OPUS
THEOLOGICUM
DOGMATICO - MORALE

DE REGULIS, AC PRINCIPIIS
INQUIRENDÆ VERITATIS

AD MORALIUM QUÆSTIONUM RESOLUTIONES,
QUÆ OBLIGATIONES, VEL EXEMPTIONES
RESPICIUNT, ORDINATIS:

IN DUOS TOMOS, SEU PARTES DISTRIBUTUM,
LOCORUM, ET MATERIARUM INDICIBUS
LOCUPLETATUM.

AUCTORE

HIERONYMO ROTUNDIO

SACERD. ORAT. S. HIERONYMI CHARITATIS DE URBE
ARTIUM MAGISTRO,
AC SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE.

ROMÆ
IN TYPOGRAPHIO PALEARINIANO
MDCCLXXXVII.

Præsidum Facultate.

BEATISSIMO PATRI

PIO SEXTO

PONT. MAX.

Nemo est, qui nesciat apud omnes Reip. Litterariæ viros morem invaluisse, nullum qualecumque opus, ad veritatem demonstrandam ordinatum, in lucem prodire, nisi Magnorum Virorum patrocinio suffultum: Idcirco & ego opus istud dogmatico-mora-

rale *de Regulis, ac Principiis inquirendæ veritatis, ad moralium quæstionum resolutiones, quæ obligationes, & exemptiones, ex naturali, divino, humanoque jure procedentes, respiciunt, ordinatis; & ad earumdem obligationum, exemptionumque praxim demonstrandam, ad abstinentiarum, ac jejuniorum, ex triplici prædicto jure respective procedentium, resolutiones speciali ratione applicatis, nemini melius, quam* TIBI, *qui in universa Ecclesia* DOCTOR, *ac* MAGISTER existens, *Primatum tenes, dicare, devovere, & consecrare constitui. Enim vero quisnam* TE *major est, qui es in sublimitatis apice constitutus? vel quosnam magis, quam* TE, *hujus opusculi Mecænatem invenire potero, cui a Christo domino impositum est, creditas oves pascere, & Ecclesiam dei regere, quam acquisivit sanguine suo? Si enim, ut in Ecclesiastica hierarchia cap.* 5. *pag.* 236. *initio ex Dionysio discimus* ministrorum *ordo* expiandi, *ac* discernendi facultatem *obtinet*;

Sa-

Sacerdotum autem illuminandi vim *habet*; Pontificum *ordo*, *quorum* PRIMATUM *tenes*, *cosummativus est*, *&* *perfectivus*; *cuja interest populum docere*, *atque ad summum perfectionis apicem*, *quantum in te est*, *perducere*. *Unde merito de Petro dicitur*: sit amoris officium pascere dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium negare Pastorem. *Jam qui dominicum gregem pascis*, CLEMENTISSIME PATER, *opusculum istud*, *ex purioribus*, *&* *quoad fieri poterit infallibilibus fontibus haustum*, *benigne suscipe*. *Et quoniam non cum perfectis tantum vivimus*, *planeque sapientibus*, *verum & cum illis*, *in quibus praclare agitur*, *si sunt simulacra virtutis*, *quid ex hujusmodi non mediocris doctrina viri*, *quibus summam copiam*, *facultatemque dicendi natura largita est*, *contra me aliquando dicturi erunt*, *si tuis auspiciis destitutum opus exiret*? *Jure igitur merito opus istud* TIBI *devovendum statui*, *cujus Dignitatem*, *Auctoritatem*.

que

que veneror; doctrinam sequor; disciplinam amplector: præcepta servare; virtutem imitari; zelum assequi studeo. Opusculum autem istud conficiendum assumens, veramque sententiam sanioribus principiis comprobatam firmare constituens, scopulum non contemnendum offendi. Quis enim nesciat, ex doctoribus esse, qui certioribus prætermissis principiis, multa obscura, & non discussa relinquunt? vel deplorabili quæstu omnia non ad Ecclesiæ utilitatem, sed ad lucrum, & propria commoda referentes, partium studio adduci non cessant? vel supra expectationem, ac meritum opus augentes, addiscentium animum perturbant, mentem obtundunt, vires opprimunt? Hæc autem, aliaque incommoda mecum cogitans, opusculum istud conficere aggressus ad finem usque, deo dante, perducere studui; in quo veritatis regulas, obligationum, & exemptionum, ex triplici jure respective procedentium resolutiones respicientes, ex propriis, quantum res patitur, respective principiis demonstrare

con-

constitui: siqua autem a suis principiis longe discedere dignoverim, ut in particularibus non paucis, præsertim in moralibus, contingere solet, eorum cum illis affinitatem ea, qua in similibus fieri potest, efficacia demonstrare conatus sum: quæ sane principia, ac regulæ licet per modum praxis ad abstinentiarum, jejuniorumque resolutiones applicentur, easdem tamen ex triplici respective jure exortas regulas, ac principia ad aliarum materiarum resolutiones, quæ obligationem, vel exemptionem respiciunt, facilius inveniendas ordinari quisque sapiens dignoscet. (Aliæ vero moralium resolutiones, quæ ex dispensatione, vel consuetudine oriri possunt, eadem ferme servata methodo, propriis innixæ regulis, ac principiis, in aliud opus Canonico-Juridicum translatæ reservantur.) Opus sane nullo unquam tempore adeo utile, ut opinor, quam nostro, quo cujusvis conditionis homines, nullis innixi regulis, ac principiis sese invicem fulcientes, nec veritatis viam assequentes, la-

xam

nam, arctamve partem eligunt, suoque judicio plus æquo fidentes, aliorum animos a recto veritatis tramite avertere faciunt: Ipse autem neque ad dexteram, neque ad sinistram declinare statuens, obligationes, exemptionesque, ex triplici respective jure provenientes, certissimis, quoad fieri poterit, innixus principiis, contrariis confutatis, ea, qua par est, efficacia demonstrare conatus sum. Hoc propositum me commovit, nedum, ut, relictis infirmis auctoritatibus, per solidiora, vel infallibilia argumenta omnia comprobare, ac demonstrare conarer; verum & ut opus istud, qualecumque sit, TIBI, *qui* DOCTOR *in Ecclesia constitutus, Sapientium* EMENDATOR *es;* SANCTUS, *&* SANCTIFICANS; PERFECTUS, *ac* PERFICIENS; ILLUMINATUS, *&* ILLUMINANS; *consecrarem. Ne dedignetur igitur* SANCTITAS TUA *sub* TUI *tutela, ac protectione opus istud assumere; sub* TANTI *namque Mecænatis auspiciis tutum esse confido, suumque finem consecu-*

tu-

turum; quibus si destituatur, facillime in maledicas linguas incidet, invidosque homines detractores sentiet; ac sanæ doctrinæ veritas penitus corruet. TUIS *ergo pedibus provolutus*, TUAM, BEATISSIME PATER, *benedictionem exopto: Teque deprecor, obtestorque, ut obsequentis animi indicium benigne suscipiens*, TUUM *patrocinium nec a me, nec ab opere meo dimovere satagas.*

SANCTITATIS TUÆ

Humillimus, obedientissimus, addictissimus servus, ac subditus
Hieronymus Rotundius Sac. Oratorii S. Hieronymi Charitatis de Urbe.

PRÆFATIO.

Regulas, ac principia expositeri, quæ abstinentiarum, jejuniorumque obligationes, solutiones, prælationes, nec non & exemptiones, ex naturali, divino, humanoque jure procedentes, demonstrare valeant, ex Angelici doctrinis, saniorumque Theologorum documentis, atque intrinsecis discussa & comprobata rationibus, explicanda suscipimus. In duas autem partes distributo opere; in prima, quatuor capitibus distincta, jejuniorum, abstinentiarumque necessitatem, ex naturali, divino, humanove jure procedentem, cap. 1. comprobamus: Quæ autem veluti in abstracto c. 1. considerata, ac discussa sunt, personis, quæ abstinentiarum, jejuniorumque necessitate ligari dignoscuntur, cap. 2. applicantur: Et quoniam ad obligationem dignoscendam, etiam abstinentias, ac jejunia instituendi dignosci debet potestas; idcirco ea instituendi potestatem admitti debere cap. 3. declaramus, confutatisque contrariis absolvimus: Ac tandem jejunandi modum, qui ex naturali, divino, humanoque jure conscientiam respective constringit, propriis uniuscujusque juris assignatis rationibus, cap. 4.

dis-

discutimus, ac resolvimus. In secunda vero parte, quatuor similiter distincta capitibus, iisdem innixi regulis, ac principiis, abstinentiarum, jejuniorumque, ex triplici respective jure procedentium, resolutiones, quæ eorumdem solutiones, prælationes, & exemptiones respiciunt, discutiendas aggredimur. In primo igitur cap. jejunii solutio, unicuique juri propria; nec non & sub qua ratione parvæ quantitatis, sive durationis materia, multipliciter discussa, licita, vel illicita dici possit, pro viribus solidisque argumentis exagitata, resolvitur: In 2. eorumdem jejuniorum solutio relate ad medicamenta, vel potus, vinorumque genera, & chocolaten, auctoritatibus, ac rationibus discutitur: In 3. quænam jejuniorum conditio, si omnes simul servari non possint, servanda, vel non servanda eligi debeat, proponitur: In 4. sub qua ratione uniuscujusque juris jejuniorum contingere, vel non contingere possit exemptio, per distinctas, ac discretas positiones discussa, demonstratur, & concluditur: in cujus calce appendicem adjecimus, ad ea resolvenda, quæ extra methodum, huc spectantia, discutere arbitrati sumus. Hujus autem operis utilitas nedum in eo sita est, quod relate ad moralium quæstionum resolutiones,

nes, quæ abſtinentiarum, jejuniorumque obligationem, & exemptionem, ex triplici jure procedentium reſpiciunt, regulæ, ac principia, unicuique ſolutioni propria, adhibitis critices regulis, deſignantur, ac demonſtrantur; verum & in eo magis, quod easdem regulas, eademque principia ad aliorum, ſub quacumque ratione ex triplici jure procedentium, quæ obligationem, vel exemptionem ſimiliter reſpiciunt, inveniendas reſolutiones applicata, ad errores detegendos, ac delitiſcentem veritatem aperiendam plurimum valere, quiſque ſapiens dignoſcet.

APPROBATIO.

REverendiss. Patris S. P. A. Magistri obtemperans mandatis, ea, qua potui, diligentia præsens opus perlegi, cui titulus: *Opus Theologicum &c. de Regulis, & Principiis &c.* Auctore Hieronymo Rotundio Sacerdote Oratorii S. Hieronymi charitatis de Urbe. Hoc in opere opinionum delectus ita sanus est, ac prudens, ut cum sanissimis, selectissimisque Theologiæ principiis optima ratione consentiat: Sicque omnia, ac singula fuse, & erudite pertractat, tantaque claritate, ac perspicuitate Auctor exponit, ut quid amplius desiderari vix posse videatur. Qua propter, ut publicam lucem aspiciat, libenter censeo.

Dabam ex Monast. S. Mariæ Novæ de Urbe. Die 20. Martii anni 1787.

D. Benedictus Torre Abbas Olivetanus
S. R. C. Consultor.

APPROBATIO.

OBtemperando mandatis Reverendiss. P. S. P. A. Magistri sedulo examinavi Opus, cui titulus: *Opus Theologicum &c. de Regulis, ac Principiis &c.* Auctore D. D. Hieronymo Rotundio Sac. Oratorii S. Hieronymi charitatis de Urbe; & non solum nihil in eo inveni bonis moribus, sanctæque fidei contrarium; quin imo multum sanæ moralis principiis consonum observari dilucide pertractantem, quæ de jejuniis & abstinentiis scitu necessaria dignoscuntur; quare nihil obstat, ut typis mandetur. In quorum fidem &c.

Datum Romæ ex Conventu SS. Cosmæ, & Damiani die 28. Januarii 1787.

Fr. Ludovicus Brocchi S. Th. D.
& S. Congr. Indicis consultor.

INDEX

TITULORUM

CA-

§. II.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De jejunii solutione, ex naturali, divino, humanoque jure procedente.

§. I.

Jejunii solutio, ex naturali jure procedens, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

§. II. *pag.* 239.

Jejunii solutio, ex divino jure procedens, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

§. III. *pag.* 243.

Jejunii solutio, ex humano jure procedens, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

CAPUT SECUNDUM *pag.* 346.

De jejunii solutione quoad medicamenta; potus in genere; potus mixtos, & non mixtos; potus vinorum; & chocolaten.

§. I.

De jejunii solutione quoad medicamenta.

§. II. *pag.* 354.

De jejunii solutione quoad potus in genere.

§. III. *pag.* 364.

De jejunii solutione quoad potus mistos, & non mistos.

§. IV.

CA-

MO-

MONITUM.

Opusculum istud primo veluti obtutu sub duplici ratione prolixum, videri tibi poterit, benevole lector; quasi scilicet obligationis, exemptionisque regulas, ac principia, ex naturali, divino, humanoque jure respective deprompta, plus æquo tractari, quam abstinentiarum, jejuniorumque obligationum, & exemptionum exigant rationes: quin & nonnulla, quæ paucis exagitari, ac resolvi potuerint, prolixitudinem redolere. Advertere autem debes, opusculum istud duplicem scopum respicere posse; unum *quidem regulas, ac principia, ex triplici jure procedentia, ad obligationem, & exemptionem, quoad omnes ferme materias in moralibus dignoscendam, proponere:* alium *vero easdem regulas, eademque principia ad abstinentiarum, jejuniorumque obligationem, & exemptionem, quoad omnes resolutionum varietates, demonstrandam applicare; inde oportuit non*

mi-

minus triplicis prædicti juris regulas, ac principia, quæ in moralibus conscientiam constringere, vel eximere valeant, pro dignitate tractare, verum & eas, eademque omnia ad abstinentiarum, jejuniorumque obligationem, & exemptionem in sua integritate applicare. Quod autem quæ satis explicata sunt, repeti videntur, si recte perpendas, non repetitionem esse; sed vel circumstantiarum varietatem, vel, ad omnem tollendam ambiguitatem, ulteriorem probatæ veritatis confirmationem id postulasse animadvertes. Scito enim sapientibus, & insipientibus debitorem esse: opusque istud, qualecumque sit, non omnibus, sed demonstratam inquirentibus veritatem, legendum, etsi expedierit, corrigendum, lectitandum proponere. Cæterum siquid reprehensibile in eo dignoveris, tua sapientia condonabis,

Et quoniam quocumque etiam adhibito conatu difficile admodum est omnia ex animi sententia contingere; inde factum, ut aliorum diligentia in ultimis fisus correctionibus, non pauca invenerim corrigenda: quæ

li-

licet sapientioribus facillime innotescere possint, veritatis tamen amore ductus, omnia relegens, adnotare judicavi. Idcirco & de hoc admonere te arbitratus sum, benevole lector, ut quæ in toto hoc opere ERRATA *dignoveris, in ejusdem fine fideliter* EMENDATA *quæras; ad eaque proinde, antequam opusculum istud lectitandum suscipias,* PRIMUM OMNIUM PERCURRENDA *te exhortor; alia, si forte inveneris leviora, facillime intelligere, & condonare satagas.*

PARS PRIMA
DE
REGULIS, AC PRINCIPIIS
INQUIRENDÆ VERITATIS
AD MORALIUM QUÆSTIONUM RESOLUTIONES, QUÆ JEJUNIORUM, ABSTINENTIARUMQUE OBLIGATIONES RESPICIUNT, FACILIUS DIGNOSCENDAS, SPECIALI RATIONE ORDINATIS.

CAPUT I.

Abstinentiarum, jejuniorumque necessitas, ex naturali, divino, humanoque jure respective proveniens, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

§. I.

De Abstinentiarum, jejuniorumque necessitate, ex naturali jure procedente.

I. ABstinentiarum, jejuniorumque necessitatem, ex naturali jure procedentem, discussuri, eam sub triplici ratione delitescentem demonstrabimus; ad concupiscentiæ nempe impetum reprimendum; ad mentis elevationem acquirendam, vel conservandam; & ad satisfactionem, deo pro peccatis dandam. Et quia forte non deest, qui juris naturæ principia huic triplici rationi applicari posse ac debere non dignoscat; idcirco naturalis juris principiis, quantum ad præsens attinet institutum, ex intrinseca ratione, et auctoritate comprobatis, abstinentiarum, jejuniorumque necessitatem ex triplici juris naturæ ratione oriri posse demonstrabimus.

Triplex abstinendi, ac jejunandi ratio ex naturali jure aperitur.

II. Et quidem ex Angelico juris naturæ principia satis innotescunt; de lege enim naturali agens, an ipsa plura præcepta contineat, postquam pra-

Utriusque rationis,

Cti-

speculativæ scilicet, ac practicæ naturalis juris principia ab Angelico sub generali ratione tanguntur.

cticæ rationis naturalis juris præcepta cum demonstrativis speculativæ rationis principiis contulerit, utriusque rationis, practicæ scilicet, ac speculativæ juris naturæ principia explicare incipit, eaque inter se conferens, in sua 12. q. 94. art. 2. c. in princ. sic habet: *Præcepta legis naturæ hoc modo se habent ad rationem practicam, sicut principia prima demonstrationum se habent ad rationem speculativam: utraque enim sunt quædam principia per se nota*. Illa scilicet, quæ ad speculativam juris naturæ rationem pertinent, sunt per se nota ad cognoscendum; quæ vero ad practicam juris naturæ rationem spectant principia, sunt per se nota ad faciendum, vel non faciendum. Et sicut illa, speculativæ nempe rationis principia, licet sint per se nota, non tamen omnibus, sed sapientioribus, innotescunt, præter illud indemonstrabile principium, supra entis, & non entis rationem fundatum, quod scilicet: *Non est simul affirmare & negare de eodem secundum idem*; ita & illa, practicæ nempe rationis principia, etsi secundum se, quid faciendum, omittendumque sit, satis indicent, non tamen omnibus per se nota quoad eorum applicationem dignoscuntur.

Practicæ rationis principia quoad prosecutionem fundantur in ratione boni; quoad fugam vero fundantur in ratione contrarii, scilicet mali.

III. Propius autem ad rem nostram accedentes, ejusdem Angelici doctrinam quoad juris naturæ principia, ad practicam rationem spectantia, subjicimus, prout paulo interius loc. cit. sic ratiocinatur: *Sicut autem ens est primum, quod cadit in apprehensione simpliciter*, in apprehensione scilicet speculativæ rationis, seu cognitionis tantum; *ita bonum est primum, quod cadit in apprehensione practicæ rationis*, scilicet per inclinationem, *quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica est*

quod

quod fundatur supra rationem boni, quæ est: *Bonum est, quod omnia appetunt*. Quasi diceret: Inclinatio ad agendum, quæ est practica principii ratio, non sequeretur apprehensionem, quæ est speculativa principii ratio, nisi apprehenderetur sub ratione boni. Unde infert: *Hoc est ergo primum præceptum legis*, practicam nempe rationem dirigens: *Bonum est faciendum, & prosequendum; & malum vitandum*. Et notetur, quod subjungit: *Et super hoc fundantur omnia præcepta legis naturæ: ut scilicet omnia illa facienda, vel vitanda pertineant ad præcepta juris naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana*. Et quia ex generalibus regulis non omnes juris naturæ principia, ad practicam ejusdem juris rationem spectantia, discernunt; idcirco ad ea demonstranda, tamquam ex præmissis conclusiones, ex eodem Angelico ibidem subjungimus: *Quia vero bonum habet rationem finis*, quæ scilicet ad agendum inclinat, *malum autem rationem contrarii*, ab eo scilicet recedendi, impediendi, vitandi, & consequenter ad omittendum inclinat; *inde est quod omnia illa, ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit ut bona, & per consequens, ut opere prosequenda; & contraria eorum, ut mala, & vitanda*.

IV. Ad dignoscendum igitur juris naturæ principia, ad rationem practicam pertinentia, inclinationum discretio dignoscenda est: quibus præcognitis, etiam juris naturæ principiorum, ad practicam rationem spectantium, discretio innotescit. Unde Angelicus ibidem: *Secundum igitur ordinem inclinationum naturalium est ordo præceptorum legis naturæ*, ad rationem nempe practicam pertinentium. Et quia homo inclinat, seu appetit bonum sui, & communitatis respective, vel sci-

Ex triplici inclinationum ordine triplex oritur naturalium practicæ rationis præceptorum ordo. Et I. quoad conservationem proprii boni

licet qua animal est, vel qua rationalis est, quod sane triplicis rationis intelligitur, idcirco ex triplici inclinationum genere triplex oritur naturalium præceptorum ordo, ad rationem practicam pertinentium; ad quorum discretionem procedens, sic prosequitur Angelicus: *Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scilicet quælibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam: & secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conservatur, & contrarium impeditur.* Quia igitur homo ad ea primo inclinatur, & appetit, quæ ad vitæ conservationem pertinent, ea vero refugit, & vitare contendit, quæ vitæ bonum lædere, vel auferre possunt; inde hujus primi practicæ naturalis rationis principii discretio emergit, quam sic efformare placet: *Ad naturale practicæ rationis principium ea prosequi pertinet, quæ ad vitæ conservationem necessaria dignoscuntur: ea vero fugere, vitare, auferre, impedire, quæ vitæ bonum lædere, vel auferre dignoscuntur.*

Et II. Quoad maris, & fæminæ commistionem, prolis educationem, ac similia.

V. Ad alterum autem inclinationum ordinem, commune bonum respicientem, sic procedit ibidem Angelicus: *Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus, & secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, ut est commistio maris, & fæminæ, & educatio liberorum, & similia.* Quia igitur homo ad ea inclinatur, & appetit, quæ ad alterius sexus commistionem, & liberorum educationem, ac similia pertinent; ad ea vero vitanda, quæ hujusmodi commistionem vel liberorum educationem, ac similia lædere vel auferre possunt; inde altera practicæ naturalis ratio-

tionis principii discretio innotescit, quam sic efformare placet: *Ad naturale practicæ rationis principium ea prosequi pertinet, quæ ad prolis generationem, ejusque educationem, ac similia necessaria dignoscuntur; ea vero fugere, vitare auferre, impedire, quæ prolis generationem, ejusque educationem, ac similia lædere, vel auferre dignoscuntur.*

Naturalis inclinatio, quoad prolis generationem, ulterius explicatur, et non omnes constringere demonstratur.

[Quoniam autem homo, licet qua animal est cum brutis conveniat, ut patet in his, quæ non ad electionem, sed ad naturæ necessitatem pertinent; qua tamen rationalis est, nedum non convenit cum brutis in his, quæ sunt propria rationis, verum & nec in his, quæ agit, qua animal est: bruta enim, quæ naturæ sunt, ex instinctu, & quasi ab alio ducta, agunt; homo autem etiam ad ea quæ necessaria sunt, movet seipsum ex fine agens; inde sequitur, quod naturalis inclinatio ad prolis generationem, seu ad maris, ac fæminæ commistionem in homine per electionem ex ratione procedere debet. Quatenus ergo prolis generatio, atque ad eam inclinatio ad humani generis conservationem ordinatur; inde, licet in singulis ad maris, ac fæminæ commistionem inclinatio detur, non proinde singulos ad generationis actum ratione regulata natura constringit, si per alios humani generis conservatio, ac propagatio consequatur: Immo ab ipsamet natura, ratione regulata, ut ab homine regulari necesse est, a sexus commistione prohiberi intelliguntur; qui speciali ratione se deo devoventes, cælibatum promiserint. Cum igitur homo nedum qua animal est, sed qua rationalis est, agere debeat, per electionem scilicet, ac propter finem, & consequenter ejus actus ratione regulari necesse sit; inde illis inclinationibus, in quibus homo cum brutis convenire dignoscitur, non eo modo, ac

bru-

brutis uti convenit, ſed eo modo, quo ſecundum rationem eas regulandi dictamen a naturali practicæ rationis principio eſſe, ac procedere intelligitur. Recta autem ratio non omnibus, ac ſingulis maris, ac fæminæ commiſſionem dictare intelligitur.]

Et III. Quoad inclinationem ad veritatem de deo, hominumque ſocietate dignoſcendam.

VI. Ad tertium autem inclinationum ordinem, bonum hominis, qua rationalis eſt, reſpicientem, ſic proſequitur ibidem Angelicus: *Tertio modo ineſt homini inclinatio ad bonum ſecundum naturam rationis, quæ eſt ſibi propria; ſicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoſcat de deo; & ad hoc, quod in ſocietate vivat. Et ſecundum hoc ad legem naturalem*, ad naturale ſcilicet practicæ rationis principium, *pertinent ea, quæ ad hujuſmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet converſari, & cætera hujuſmodi, quæ ad hoc ſpectant*. Quia igitur homo ad ea inclinatur, & appetit, quæ hominis ſunt, qua ſcilicet rationalis eſt, ad veritatem nempe de deo, hominiſque ſocietate dignoſcendam, inde hujus tertii practicæ naturalis rationis principii diſcretio exoritur, quam ſic efformare placet: *Ad naturale practicæ rationis principium ea proſequi pertinet, quæ ad deum cognoſcendum, & ad bene cum hominibus convivendum, neceſſaria judicantur; ea vero fugere, vitare auferre, impedire, quæ veritatem de deo, hominumque ſocietate cognoſtendam, lædere, vel auferre dignoſcuntur*.

Ex primo, ac tertio practicæ rationis principiis ad ſupernaturale bonum, tamquam

VII. Omiſſo igitur ſecundo practicæ rationis principio, ad maris nempe, ac fæminæ commiſtionem, liberorumque educationem inclinatione; quod præſentis inſtituti non eſt, cujus tamen intelligentiæ diſcretio poſt n. 5. ſeparatim poſita eſt; ex primo, ac tertio practicæ rationis principiis in

in naturali jure fundatam, a deo tamen motam, superhaturalis quoque boni conservandi, vel prosequendi; sive acquirendi inclinationem inferimus. Quia enim ex Angelico ibidem ad 3. *Ratio etsi in se una sit, tamen est ordinativa omnium, quæ ad homines spectant; & secundum hoc sub lege rationis continentur omnia ea, quæ ratione regulari possunt*; inde ex prædictis duobus principiis, in unum veluti collectis, subsequens efformare placet principium; scilicet: *Nedum ad naturale practicæ rationis principium ea prosequi pertinet, quæ ad corporalis vitæ conservationem necessaria sunt; ea vero fugere, vitare, auferre, impedire, quæ ejusdem corporalis vitæ bonum lædere, vel auferre possunt: verum etiam ad idem naturale practicæ rationis principium ea prosequi pertinet, quæ ad spiritualem vitam, ad spiritualem nempe animæ utilitatem conservandam, prosequendam, vel acquirendam, necessaria sunt; ea vero fugere, vitare, auferre, impedire, quæ ejusdem spiritualis vitæ, animæ nempe spirituale bonum lædere, vel auferre possunt*. Quæ omnia, ut perpendenti patet, cum relate ad corporalis, tum relate ad spiritualis vitæ conservationem sub ratione prosecutionis, ac fugæ in sensu exposito respective considerari debent. Et licet vitæ animæ conservatio, ad supernaturalem beatitudinem consequendam ordinata, utpote elevationem, & gratiam supponens, supra naturam sit, eique indebita, ne cum Bajo sentire velimus; quia tamen homo adhuc in sensu diviso ab elevatione, vel peccato, in possibili nempe puræ naturæ statu, passiones, concupiscibilem scilicet, & irascibilem habuisset, & contra naturam agere potuisset, si voluisset, ad quod impediendum, expediens fuisset, ad reprimendas concupiscentias, medium adhibere, ad quod, ne contra naturam ageret,

ex radice, inclinationem emergere demonstratur.

in-

inclinatio emersisset: licet item in sensu composito elevationis, homini ex supernaturali lumine supernaturalis finis consequendus innotescat: quia tamen supernaturalis finis consecutio vitæ propriæ conservatio est; inde ex naturali jure, tamquam ex radice, ad supernaturalem vitam, etsi naturæ indebitam, atque ex supernaturali lumine notam, eidem naturæ, licet indebitis, supernaturalibus adjutæ auxiliis consequendam ordinata, media adhibendi, a deo mota emergit inclinatio. Sicut igitur, ut n. 4. diximus, *ad naturale practicæ rationis principium ea prosequendi inclinatio pertinet, quæ ad naturalis vitæ conservationem necessaria dignoscuntur, ea vero fugere, vitare, auferre, impedire, quæ ejusdem naturalis vitæ bonum lædere, vel auferre innotescunt: ita ad idem naturale practicæ rationis principium, tamquam ad radicem quamdam, in ipsamet hominis natura fundatam, ea prosequi, a deo mota inclinatio pertinet, quæ ad supernaturalis vitæ consecutionem necessaria dignoscuntur, ea vero fugere, vitare, auferre, impedire, quæ ejusdem supernaturalis vitæ bonum lædere, vel auferre dignoscuntur.*

Abstinentiarum, jejuniorumque necessitas ad mentem erga deum elevandam; ad bene cum proximo convivendum; & ad satisfaciendum deo ex naturali practicæ rationis principio, tamquam ex ra-

VIII. Quia igitur effrænis concupiscentia supernaturalis vitæ consecutionem in sensu composito elevationis, prout in presenti sermo procedit, impedire solet; idcirco: *ad naturale practicæ rationis principium tamquam ad radicem quamdam, ea prosequi, eaque fugere, vitare, auferre, impedire respective pertinet, quæ ad concupiscentiam reprimendam conducere videntur*. Et quoniam concupiscentia præ cæteris mediis per ciborum abstinentiam, vel jejunii formam reprimitur, inde consecutionem sic efformo: *Ad naturale practicæ rationis principium, tamquam ad radicem quamdam pertinet, per ciborum abstinentiam, vel jejunii formam concupiscentiam reprimere*. Abstinentiarum ergo, je-

ju-

juniorumque necessitas, ad spiritualis vitæ conservationem ordinata, adhuc in sensu composito elevationis, ut procedit, a naturali jure, a naturali scilicet practicæ rationis principio, tamquam ex radice exorta dignoscitur. Quia item ex n. 6. *Ad naturale practicæ rationis principium ea prosequi pertinet, quæ ad deum cognoscendum, & ad bene cum hominibus convivendum, necessaria judicantur; ea vero fugere, vitare, auferre, impedire, quæ veritatem de deo, hominumque societate cognoscendam, lædere, vel auferre dignoscuntur*: Effrænis autem concupiscentia, intellectum obnubilans, dei propriique erga proximum officii cognitionem impedit, ad eamque reprimendam, abstinentiam, seu jejunii formam jure naturæ necessariam nuper innuimus; inde abstinentiarum jejuniorumque necessitas, ex tertio naturalis practicæ rationis principio, ex D. Thoma supra relato, ad dei, propriique erga proximum officii cognitionem promovendam, tamquam ex radice exorta innotescit. Unde alterum quoad præsens institutum, ex naturali jure ortum efformare placet principium, scilicet: *Ad naturale practicæ rationis principium, tamquam ad radicem quandam pertinet, per ciborum abstinentiam, jejuniive formam ad supernaturalia mentem inclinare*. Abstinentiarum igitur jejuniorumque necessitas, adhuc in sensu composito elevationis, sub ratione scilicet supernaturalis vitæ consequendæ, a naturali jure, a naturali scilicet practicæ rationis principio, tamquam ex radice exorta dignoscitur. Et quia peccatum supernaturalis vitæ consecutionem impedit, quod ut ex n. 7. eruitur, contra hominis bonum est; satisfactio autem ad redimenda peccata medium reputatur, quod hominis bono convenit; inde adhuc in sensu composito elevationis, ad naturale practicæ rationis principium, tamquam ad radicem

dice oriri dignoscitur.

cem quamdam pertinet pro peccatis satisfactio. Ciborum autem abstinentia, jejuniique forma, opera satisfactoria sunt, ac satisfactionis media; alterum igitur nuper assignatum sic complere placet principium: *Ad naturale item practicæ rationis principium, tamquam ad radicem quamdam pertinet, per ciborum abstinentiam, jejuniive formam deo pro culpis satisfacere.* Abstinentiarum igitur, jejuniorumque necessitas, adhuc in sensu composito elevationis, sub ratione spiritualis vitæ consequendæ, a naturali jure, a naturali scilicet practicæ rationis principio, tamquam ex radice, exorta dignoscitur. A primo igitur ad ultimum veluti in unum omnia colligens, sic efformare arbitror principium: *Ad naturale jus, ad naturale scilicet practicæ rationis principium, tamquam ad radicem quamdam pertinet, per ciborum abstinentiam, jejuniorumque formam, concupiscentiam reprimere; mentem ad supernaturalia circa deum, ac proximum elevare; ac deo pro culpis satisfacere.* Quod idem est ac dicere, *ciborum abstinentiam, jejuniorumque formam ex naturæ jure, ex naturali nempe practicæ rationis principio tamquam ex radice, ad reprimendam concupiscentiam, ad mentem elevandam, ad deo satisfaciendum, necessariam existere.*

Quæ ab intrinsecis probata, ac demonstrata est abstinentiarum, jejuniorumque necessitas, iterum reassumpta, ab extrinsecis comprobatur.

IX. Ad hanc autem sub triplici ratione consideratam abstinentiarum, jejuniorumque necessitatem probandam, ex naturalis practicæ rationis principio, tamquam ex radice, procedentem, ad corporis, animæque vitam conservandam, atque ad agendum cum deo, & proximo, in sensu exposito ordinatam, rationes, Patrumque doctrinas adducturi, non amplius eam, ex naturali jure sumptis argumentis, oriri demonstrabimus, sed auctoritatibus innixi probandam assumimus; ut nedum ab intrinsecis, verum & ab extrinsecis ad

ad proprium bonum ordinata, abstinentiarum, jejuniorumque innotescat necessitas. Et primo quidem quoad corporalis vitæ conservationem, supra n. 4. & 7. ex naturali jure probatam inclinationem nunc ex Eccli. 37. v. 32. docemur: *Noli*, inquit, *avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam*. v. 33. *In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram*. v. 34. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam*. Et Chrysostomus hom. 29. super cap. 12. Epist. ad Hebræos relatus can. *Nihil enim* de consecr. dist. 5. sic habet: *Nihil enim sic jucundum est sicut cibus bene digestus, & decoctus. Nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur; nihil sic ægritudinem fugat sicut moderata refectio: sufficientia quippe cum nutrimento & sospitatem simul procreat, & voluptatem: abundantia vero morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat*. Et doctor Maximus adversus Jovin. lib. 2. relatus can. *Legimus* de consecr. dist. 5. *Legimus*, inquit, *quosdam morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, convaluisse*.

Et I. Quoad corporalis vitæ conservationem.

X. Et 2. Ciborum abstinentiam, jejuniorumque formam, ex naturali jure, ex naturali nempe practicæ rationis principio, tamquam ex radice, ad concupiscentiam reprimendam, necessariam existere, ex præmissis n.7.& 8. quasi ab intrinsecis jam probatum, ex sequentibus, quasi ab extrinsecis probandum assumimus. Apostolus enim ad concupiscentiam reprimendam inter alia, etiam vigilias, & jejunium assignat 2. Cor. 6. v. 5. dicens: *In vigiliis, in jejuniis*, v. 6. *In castitate &c.* & Venerab. Beda in illud Apost. 1. cor. 9. v. 24. *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic*

Et II. Quoad concupiscentiam reprimendam.

currite, ut comprehendatis, sic ratiocinatur: *omnes quidem currunt, dixit, in illo stadio, in illo spectaculo: unus tamen accipit bravium: cæteri victi discedunt, & si perseveraverint in currendo... hoc non est ita: si quotquot currunt, perseveranter currant, omnes accipiunt; & qui prior venerit expectat, ut cum posteriore coronetur: agonem quippe istum non cupiditas, sed charitas facit.* Cursus autem corona obtineri non potest, nisi impedimenta tollantur; concupiscentia autem impedimentum est, nisi per carnis mortificationem reprimatur; quod certe nisi per ciborum abstinentiam, jejuniorumque formam obtineri non posse supra discussimus. Unde ciborum abstinentiæ, jejuniorumque necessitatem oriri dignoscimus, quapropter Apostolus v. 27. sic prosequitur: *Sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo*: super quo idem Beda, *suo timore*, inquit, *nos terruit, quid enim faciet agnus, ubi aries tremit?* & Damascenus de jejunio tit. 5. in edit. parisiensi an. 1712. sic eloquitur: *Si Eva a ligno jejunasset, hoc jejunio*, tamquam malorum scilicet, quæ post Adæ lapsum nos circumdant, remedio, *nunc opus non haberemus: neque enim opus habent sani medico, sed qui male habent.* Post peccatum ergo omnibus diebus vitæ nostræ indicta pœnitentia est; unde pergit ibidem: *Ipsa quoque vitæ ratio, quam in paradiso tenuere, jejunii imaginem præfert: Quoniam autem minime jejunavimus*, in statu scilicet innocentiæ non ad malum tollendum, quod tunc non erat, sed ad illud impediendum, *e paradiso ejecti sumus. Jejunemus igitur, ut ad eum remigremus.* Abstinentis autem vitæ exemplar, zelo commotus sese præbens Apostolus, ad Phil. 3. v. 17. sic habet: *Imitatores mei estote, fratres, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.*

v. 18.

v. 18. *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos crucis Chriſti*. v. 19. *quorum finis interitus: quorum deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt*.

XI. Et quia dei cognitionem, proximorumque, quibuſcum vivimus, nec non & erga nos officium, mediaque ad ea proſequenda, contrariaque repellenda, ad naturale practicæ rationis principium ſpectare paſſim, ac præſertim n. 8. probavimus; rebelles autem paſſiones, mentem obnubilantes, quid erga deum ac proximum, nosquemetipſos faciendum ſit, cognoſcere non permittunt; ciborum vero abſtinentiam, jejuniorumque formam, ad ſedandas paſſiones, mentemque elevandam, & ad contraria impedienda, maxime conducere ſupra diſcuſſimus; inde tertio loco ciborum abſtinentiam, jejuniorumque formam ex naturali jure, ex naturali nempe practicæ rationis principio, tamquam ex radice, ad cognoſcendum de deo, ad agendum cum proximo, atque ad noſmetipſos defendendos neceſſarias exiſtere ex præmiſſis, quaſi ab intrinſecis, jam probatam, ex ſequentibus, quaſi ab extrinſecis, probandam aſſumimus. Unde quoad mentis elevationem erga deum, per abſtinentiam, & jejunium obtinendam, in præfat. quadr. ſic canit Eccleſia: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia*. Et Daniel cap. 9. & 10. v. 3. poſtquam in jejuniis deum deprecatus fuerat, ab Angelo edoctus, captivitatis tempus intellexit; tribus enim hebdomadis, in quibus a delicatioribus cibis abſtinuerat, elapſis, apparens Angelus cap. 10. v. 14. *quæ ventura ſunt populo*, inſtruxit. Nedum autem per ciborum abſtinentiam, jejuniorumque formam hominum mens ad divina cognoſcen-

Et III. Ad cognoſcendum de deo. & ad bene agendum cum proximo.

ſcenda elevatur, verum etiam & ad bene agendum cum proximo diſponitur. Sicut enim ne lædatur alterius corpus, ex naturali jure, ex naturali ſcilicet practicæ rationis principio, inclinatio, ac neceſſitas, conſcientiam conſtringens, oritur; ita ne alterius lædatur anima, ex ipſomet naturæ jure, ex naturali nempe practicæ rationis principio, tamquam ex radice inclinationem, ac neceſſitatem oriri fas erit, ut ſupra diſcuſſimus. Unde ſi ciborum comeſtio, ſive vetita, ſive non, ſcandalum generet, etiam ex practico rationis principio, tamquam ex radice, ab eis abſtinendi neceſſitas emergit. Unde & Daniel ad evitandum ſcandalum, ab immolatitiis abſtinuiſſe dicitur cap. 1. v. 8. *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus ejus: & rogavit eunuchorum præpoſitum, ne contaminaretur*. v. 9. *Dedit autem deus Danieli gratiam, & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum*. Et, invadente Antiocho Epiphane Jeroſolymam, & ad gentilium ritum omnes, quoſcumque invenerat, cogere ſtudioſe imperante, licet alii legem domini relinquentes, ad gentilium ritum tranſierint, de Machabæis tamen lib. 1. cap. 1. v. 65. dicitur: *Et multi de populo Iſrael definierunt apud ſe, ut non manducarent immunda: & elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis*: & v. 66. *& noluerunt infringere legem dei ſanctam, & trucidati ſunt*. Et de Eleazaro 2. Mach. 6. v. 18. ſic legimus: *Eleazarus unus de primoribus Scribarum, vir ætate provectus, & vultu decorus, aperto ore hians, compellebatur carnem porcinam manducare*. v. 19. *At illeglorioſiſſimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad ſupplicium*. Ac de ſeptem Fratribus, & Matre 2. Mach. 7. v. 1. ſic habetur: *Conti*

tigit autem & septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris, & taureis cruciatos: quibus omnibus pro legis observantia, ne proximum suo scandalo læderent, martyrium sustinentibus, v. 41. *Novissime autem post filios & mater consumpta est.* Ac de Juda Machabæo cap. 5. v. 27. dicitur: *Judas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: & fæni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.* Unde Apostolus ciborum abstinentiam ad scandalum vitandum inculcans, Rom. 14. v. 15. dicit: *Si enim propter cibum Frater tuus contristatur: jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est;* subjungimus v. 20. *Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.*

XII. Ciborum item abstinentia, jejuniorumque forma, ad nosmetipsos defendendos ordinata, in superioribus n. 7. & 8. ex naturali jure discussa, per alias rationes, & auctoritates, tamquam ab extrinseco necessaria comprobatur. Quia enim dæmon semper nobis adversatur; per abstinentiam autem, jejuniorumque formam dæmonis vires infringuntur, inde nedum ab intrinseco, ex naturali nempe practicæ rationis principio, tamquam ex radice, abstinentiarum, jejuniorumque necessitas n. 4. 7. & 8. probata, ad illum impugnandum, & ad secuturum malum impediendum dignoscitur; verum & aliis rationibus, & auctoritatibus, quasi ab extrinsecis comprobatur. In desertum namque Jesus ductus, triplici tentationum genere, gula scilicet, vanagloria, & idololatria a dæmone tentandus, ad nostram instructionem, per orationem, & jejunium, ad illum vincendum, dispo-

Et IV. Ad nos ipsos defendendos.

poni voluit. Idcirco tentationibus, ab humani generis hoste propositis, Matt. 4. v. 3. *Si Filius dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* v. 6. *Si Filius dei es, mitte te deorsum.* v. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens, adoraveris me*; illum post jejunium vicit per illa verba: v. 4. *Scriptum est: non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore dei.* & v. 7. *Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum*: & v. 10. *vade Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et interrogantibus discipulis quare non potuerint ejicere ab homine spiritum mutum, dixit Jesus Marc. 9. v. 28. *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio.* Unde Angelicus 3. p. q. 41. art. 3. c. *Per hoc*, inquit, *quod ipse ante tentationem futuram jejunavit, docuit, quod per jejunium nos oportet contra tentationes armari.* Cui consonans, Anselmus præcessit, Cantuariensis Archiepiscopus in exhortatione ad temporalium contemptum, æternorumque desiderium, inter multa, quæ congerit, ad idem suadendum argumenta, apposite sic habet: *Adime tibi quoque saturitatem panis, parsimonia tuum corpus castiga, jejuniis, & abstinentiæ intentus, pallida ora gere, aridum porta corpus. Esuri, & siti, abstine, & aresce: nisi jejuniis erudiaris, non potes tentationes vincere.*

Et V. Ad deo pro culpis satisfaciendum.

XIII. Et sicuti, quia naturalis inclinatio nedum ad corporalis vitæ ut n. 4. & 7. conservationem, verum & ad animæ salutem ordinatur; inde inclinationem, seu obligationem ad reprimendam concupiscentiam, mentemque ad officia erga deum, & proximum, ac nosmetipsos elevandam, ex naturali jure oriri probavimus, quæ sane mentis elevatio, ut supra n. 8. discussimus, per ciborum abstinentiam, jejuniorumque formam obtine-

ne-

netur; ita, quia sine culparum satisfactione, quæ inter alia media per ciborum abstinentiam, jejuniorumque formam, ut in superioribus diximus, exhibetur, neque corporis in futurum, neque animæ salus consequitur; inde ciborum abstinentiæ, jejuniorumque, nedum ad corporalis, ac spiritualis vitæ conservationem; ad corporis nempe sanitatem, ad reprimendam concupiscentiam, & ad mentem elevandam, ad officia scilicet erga deum, ac proximum, & nosmetipsos implenda; verum & ad deo pro culpis satisfaciendum, ex naturali jure, ex naturali scilicet practicæ rationis principio necessitatem oriri tenendum est; quam etiam ab extrinsecis, quasi ab auctoritatibus, probari posse, nemo est, qui nesciat.

XIV. Ex Angelico autem jejunii necessitatem confirmare volentibus, sic ratiocinari placet 22. q. 147. art. 3. c. *Jejunium utile est ad deletionem, & cohibitionem culpæ, & ad elevationem mentis in spiritualia. Unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad prædicta. Et ideo jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ; sed determinatio temporis, & modi jejunandi* &c. Et Aug. lib. de pœnit. medicina, relatus de pœnit. dist. 1. can. *Non sufficit*, apposite sic eloquitur. *Non sufficit, mores in melius commutare, & a præteritis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciat deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, et jejuniis*; cui præcinens Ambrosius Epist. 82. *Quæ salus*, inquit, *nobis esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra, cum scriptura dicat: Jejunium & eleemosyna a peccato liberant?* Abstinentiarum item, jejuniorumque necessitatem, ex naturali practicæ rationis principio ortam, in sensu præsertim n.

Quæ in superioribus exposita, ac discussa sunt, ulterius ex auctoritate confirmantur & concluduntur.

7. & 8. exposito, discutiens Chrysostomus hom. 1. de jejunio sic concludit: *Jejuna, quia peccasti: jejuna ut & non pecces: jejuna, ut accipias*, ut scilicet etiam in futurum corporalis vitæ sanitatem in æterna vita consequaris; ut concupiscentiam reprimas, ejusque processum impedias; ut erga deum, ac proximum, nec non & erga te ipsum, quid agere, vel non agere debeas, facilius dignoscas, & expeditius agas; ut deo satisfaciens, culpæ deletionem, pœnæque remissionem obtineas: *Jejuna*, pergit, *ut & permaneant, quæ accepisti*. Ex quibus omnibus abstinentiarum, jejuniorumque necessitatem ex naturali practicæ rationis principio, tamquam ex radice in sensu exposito, ac præcisive a quocumque positivo præcepto sub his, illisve circumstantiis oriri cuilibet sanæ mentis innotescit.

§. II.

De Abstinentiarum, jejuniorumque necessitate, ex divino jure procedente.

Hujus a superiori paragrapho discretio designatur.

XV. Explicata superiori paragrapho abstinentiarum, jejuniorumque necessitate, quam ex naturali practicæ rationis principio exoriri demonstravimus; in hoc paragrapho abstinentiarum, jejuniorumque necessitatem ex divino jure oriri posse ostendimus. Et quia hujusmodi ex divino jure orituram necessitatem, per contractam cum deo obligationem procedentem, quantum ad præsens exagitandam assumimus; obligationem autem cum deo ex voto, vel juramento, simplici vel solemni, sive ex religiosa professione oriri novimus; inde abstinentiarum, jejuniorumque necessitatem, ex divino jure ortam, sive orituram explicare volentes, eam ex voto, vel juramento simplici, vel so-

ſolemni, ſive ex religioſa profeſſione procedentem, diſcutiendam aggredimur. Singulorum igitur explicata natura, non quidem quoad omnes rationes, ſed quantum ad præſens attinet inſtitutum, abſtinentiarum, jejuniorumque neceſſitatem, ex divino jure ſub prædictis rationibus procedentem, declarabimus.

XVI. A voto igitur in genere incipientes, illud quamdam promiſſionem, deo factam, includere, dicimus. Ut autem ſit validum, tria requiri ex Angelico 22. q. 88. art. 1. c. docemur. Cum enim *promiſſio ex propoſito faciendi* procedat: *propoſitum autem aliquam deliberationem* præxigat, *cum ſit actus voluntatis deliberatæ*; inde eſt quod *ad votum tria ex neceſſitate requiruntur*: *primo quidem deliberatio*, cum cognitione rei, ad quam ſe obligare intendit; *ſecundo propoſitum voluntatis*; *tertio promiſſio, in qua perficitur ratio voti*. Et ſubjungit: *Superadduntur vero quandoque & alia duo ad quamdam voti confirmationem, ſcilicet pronuntiatio oris ſecundum illud* ps. 65. v. 13. *Reddam tibi vota mea*. v. 14. *quæ diſtinxerunt labia mea*, inſuper *& teſtimonium aliorum*. Quia vero deus intuetur cor; inde ultima duo, oris nempe pronuntiatio, aliorumque teſtimonium quoad promiſſiones deo factas, vel faciendas, relate ad conſcientiæ detentionem, neceſſaria non ſunt. Non igitur ſufficit nuda promiſſio: unde Alexander III. cap. *Litteraturam tuam* de voto, & voti redempt. propoſito dubio, an aliquis in brachio diminutus, mortis pavore perterritus, dicens: *Non diu hic morabor* proponens in animo, quod religionis habitum eſſet aliquando aſſumpturus, religionem ingredi teneretur? ſic reſpondit. *Tibi igitur reſpondemus, quod ſi plus non ſit in voto proceſſum, tranſgreſſor judicari non poteris, ſi non impleas, quod dixiſti*. Quia enim ſolum conſtat bona vo-

Voti natura explicatur, ejuſque ad valorem rationes proponuntur.

luntas, nuda nempe promiſſio, non vero ejuſdem voluntatis obligatio, voluntas nempe ſeſe obligandi ad id quod dixit, quæ quidem ſeſe obligandi voluntas in eo, quod dicit, ad voti rationem neceſſario requiritur; inde quod dixit, ſub ratione voti adimplere non teneri declaratum eſt. Ex quo infert gloſſa, *quod ex nuda promiſſione non oritur obligatio*, ſcilicet ſub ratione voti. Licet igitur ad voti valorem promiſſio requiratur, in qua voti ratio perficitur; ea tamen ad voti rationem non pervenit, niſi ejuſdem rei promiſſæ propoſitum ex deliberata voluntate procedat; ac viciſſim, neque deliberata voluntas ſine promiſſione voti rationem perficit: Ad voti igitur valorem propoſitum requiritur, interior nempe voluntas concepta, ſeu determinatio, interior ſcilicet actus aliquid faciendi, vel omittendi, & inſuper voluntatis actus, per quem intelligat ſe obligare ad faciendum, vel omittendum, in quo actu ſeſe obligandi, quæ proprie dicitur promiſſio, perficitur voti ratio: qui ſane actus, qui propoſitum, ac promiſſio reſpective dicuntur, debent eſſe deliberati: unde neque propoſitum, neque ſeſe obligandi actus ſufficit ad voti rationem, niſi adſit deliberatio, plena ſcilicet ejuſdem voluntatis libertas, ac diſcretio de re, quam facere, vel omittere proponit, ac promittere intendit; nec non & plena cognitio de obligatione ejuſdem rei, qua ligari proponit; quin & quod immediate, vel mediate in dei obſequium a vovente ſeu promittente intelligatur facta obligatio.

Voti rationes ſuperius expenſæ relatæ ad praxim expenduntur.

XVII. Unde licet per propoſitum, ex deliberata voluntate procedens, quatenus nulli facta ſit obligatio, hæc non oriatur; ex deliberatæ tamen voluntatis propoſito, & ſubſequente promiſſione, eaque acceptata, ut in voto contingit,

git, quæ utpote de meliori bono, ac dei obsequium respiciens, ab eo acceptari præsumitur, statim rei promissæ obligatio sub voti ratione consurgit. Si quis igitur abstinentiam, vel jejunii formam ex deliberato animo servandam proponens, eam servaturum, deo promitteret, ad abstinentiam, vel jejunii formam juxta voventis mentem ex divino jure sub voti ratione ligatus existeret; contra vero si quis ex deliberato animo, ex plena scilicet suæ voluntatis libertate, ac discretione rei, quam intenderet, abstinentiam, vel jejunii formam servaturum, per interiorem scilicet voluntatis actum sibi proponeret, si tamen nemini facta subsequeretur promissio, abstinendi, vel jejunandi non consurgeret obligatio; & consequenter neque sub ratione voti obligatus existeret, cum ex defectu promissionis, voti rationem deficere necesse sit. Hujusmodi autem discretio in eo observari poterit, qui ex deliberato animo propositum conciperet horologium alicui elargiendi, nulli tamen elargiturum promittens, ad propositi executionem non teneretur: nec absimiliter si quis abstinentiam, vel jejunii formam servaturum proponeret, deoque promitteret, non tamen ex deliberato animo propositum conciperet, ad ejus executionem non teneri certum est: Item si ex deliberato animo abstinentiam, vel jejunium deo promitteret, sed non sibi in animo proponeret, quia scilicet ficte promitteret, ad abstinentiam, vel jejunii formam, etsi promissam, ex defectu tamen propositi, adstrictus non esset; nisi forte ob irreverentiam, ex fictione deo irrogatam, abstinentiam, vel jejunii formam in peccati vindictam, ex proposito, de novo deliberate concipiendo, assumere sub alia ratione deberet, secus vero sub validi voti ratione.

Aliæ quoad voti obligationem expenduntur conditiones

XVIII. Ut autem vovens, quod promisit, servare teneatur, tres exiguntur conditiones, juxta illud Glossæ (in verbo: *divina* 22. q. 2. can. *Beatus Paulus Apostolus* super Verba Gelasii Papæ) sic arguentis: *Est argumentum hic, quod in omni voto, vel Sacramento*, scilicet juramento, *intelliguntur hujusmodi generales conditiones*: scilicet: *Si Deus voluerit*; *si vixero*; *si potero*. Et quia deus contra sui gloriam, proximique utilitatem, animæque bonum promissa recusat; inde fit, quod ad voti valorem ejus materia discutienda est, bona ne vel mala sit. Huc facit, quod 22. q. 88. art. 2. ad 2. docet Angelicus; *dicendum quod quædam sunt, quæ in omnem eventum sunt bona, sicut opera virtutis: & talia bona possunt absolute cadere sub voto. Quædam vero in omnem eventum sunt mala, sicut ea, quæ secundum se sunt peccata: & hæc nullo modo possunt sub voto cadere*, ut contigit quibusdam Judæis, qui Paulum Hierosolymis persequentes Act. 23. v. 12. *devoverunt se dicentes neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum*. Et pergit Angelicus: *Quædam vero sunt quidem, in se considerata bona, & secundum hoc possunt cadere sub voto; possunt tamen habere malum eventum in quo non sunt observanda, & sic accidit in voto Jephte*, qui, ut ex Hieronymo refert Angelicus, *in vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, & in reddendo impius*: quia tamen ad Hebr. 11. v. 32. inter Sanctos nominatur, de quibus v. 33. dicitur: *adepti sunt repromissiones*: inde subdit idem Angelicus: *Probabile est, eum pœnituisse de facto iniquo*. Antequam autem ultra progrediamur, ne quid non discussum relinquamus, animadvertere sic placet: si per ipsummet Angelicum stulte voverit, impieque reddiderit; ergo certissime in

red-

reddendo peccavit. Si autem in reddendo certissime peccavit, & inter Sanctos ab Angelico ex Apostolo declaratur, omnino tenendum videtur, eum de facto iniquo certissime pœnituisse. Prætereo, quod cum eruditis recentioribus dici poterit, eum vovisse Judic. 11. v. 31. *holocaustum* . . . *domino* quicquid primum post victoriam Ammonitarum occurrerit, eo modo, quo liceret. Et quia non liceret: & quia non licebat, hominem in holocaustum offerre; idcirco potius cum eruditioribus criticis dici debet, per holocaustum hic perpetuam divino cultui filiæ mancipationem significari juxta legem Levit. 27. v. 28. *Omne, quod domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager &c.* qua super re Augustinus etsi cum antiquitate sensexit, hac tamen, aliisque pressus difficultatibus, factum expendens, suamque cohibens sententiam, subdit: *Ista testimonia nos compellunt, quærere potius, cur factum sit, quam facile improbare, quod factum est.* Nec immerito: cum enim filiæ in holocaustum concrematio voti naturæ, quæ illicita offerri vetat; legi, quæ hominis in holocaustum concremationem prohibet; ac rationi, quæ Jephte ad aliquid deo gratum offerendum, victorem rediturum moverit, opponatur, quis sanæ mentis, his innixus principiis, dicere velit, Jephte, etiamsi quid offerri prohibitum, post victoriam primo obvenerit, illud oblaturum promisisse? poterat enim occurrere asinus, quem non liceret offerre. An forte contra fas, contra legem, contra voti naturam, contra rationem asinum oblaturus fuisset, si primo occurrisset? quod si non asinum, a fortiori nec filiam in holocaustum obtulisse intelligitur, cujus concrematio, præterquam quod contra legem existeret, maximam redoleret crudelitatem.

Nec

Nec valet, quod aliqui etiam ex Patribus id senserint. Cum enim id non ex constringente traditione, sed ex privato sensu, privataque interpretatione procedat, contra Tridentinum sess. 4. in decreto de edit. & usu Sacrorum librorum non videtur; & consequenter nec prohibitum antiquitati contrariam tenere sententiam, quæ in ipsamet voti natura, ipsaque divina lege, atque intrinseca ratione fundata dignoscitur. Unde eo sensu vovisse intelligi videtur Jephte, quo licitum existeret, & consequenter minime contra legem judicabat: & sicuti dici non poterit illicitum quid vovisse, ita ob easdem rationes dici nec poterit, ob partam victoriam, deo gratias acturum, illicitum holocaustum, filiæ nempe concremationem obtulisse. Id enim, cum in sacris bibliis clare non constet, quinimo deus ipse nec Sacrificium Isaac impleri voluerit, sed potius impedivit, neque ex irrefragabili, & constanti traditione roboretur, asserere divinare esset & contra gratitudinis, votique rationem commentum. Unde potius dicendum, quod Judic. 11. v. 34. reversus Jephte domum suam, occurrentem sibi filiam, quam solam unigenitam, nec alios habebat fiilios, eo, quo licebat, modo deo consacraverit, ad perpetuam nempe servandam virginitatem provocaverit, cui facillime consensit filia. Pro cujus rei coronide addere placet, scripturæ praxim esse eorum mala opera commemorare, ac reprobare, quos inter Sanctos laudare solet, ut de David, Petro, Thoma, Magdalena, aliisque innotescit. Jephte autem factum nullibi in tota scriptura reprobatum dignoscitur. Et si quidem laude dignum Jephte de filiæ holocausto, seu concrematione factum existeret, præterquam quod ex speciali dei præcepto actum, contra sentientes feriret, non enim

tunc

tunc impie reddidiſſe dicendus eſſet, non ſecus ac Iſaac immolatio, in ſcripturis celebraretur. De filiæ autem Jephte concrematione nullibi in ſacris bibliis mentio fit. Unde potius dicendum, Jephte, quicquid primum poſt Ammonitarum victoriam occurrerit, deo in holocauſtum oblaturum promittentem, eo modo, quo liceret, oblaturum promiſiſſe, impleviſſeque. Et quia hominis concrematio ſub holocauſti ratione etiam a divina lege prohibebatur; inde filiæ holocauſtum non per ejus concremationem, ſed per ejus deo obſtrictam perpetuam virginitatem, ipſaque protinus conſentiente filia, quod certe in unigenita filia tunc ſervandum, in veteri nempe lege, magnum quid putabatur, impleviſſe dicendus eſt.

XIX. Expoſitis autem voti natura, ejuſque conditionibus, ac materia, facile erit diſcernere, quandonam vovens, voti obligatione ligatus exiſtat. Quod ſane per exempla, noſtro inſtituto convenientia, ſic dilucidatur: ſiquis ex deliberato animo, abſtinentiam, jejuniive formam ſibi proponens, deo ſervaturum promitteret, impotens factus, exequi non teneretur, ſive executio impoſſibilis facta ſit, quia morte præventus, vel omnino impeditus exiſtat qui voverit; ſive impotentia ſit tantum moralis, ex eo nempe orta, quod per abſtinentiam, jejuniive formam vitæ periculum, vel aliud notabile detrimentum ſubire cogeretur. Cum enim deus propriam dilexionem regulam diligendi proximum conſtituerit, ac præceperit; atque ex charitatis lege divino jure teneamur nedum proximum non occidere, verum & nec lædere; & a fortiori eodem jure noſmetipſos nec occidere, nec lædere conſtringamur; inde eſt, quod, perſeverante univerſaliori, ac certiori divino præcepto, vitam nempe propriam non

Voti conditiones per exempla dilucidantur.

non lædendi; vota abſtinentia, vel jejunii forma divino jure non conſtringeret, ſi voti executio vitam læderet, vel auferret: cumque hæc regula, quod ſcilicet in concurſu duorum præceptorum divinorum ſervatu ſimul impoſſibilium, illud prævalere debeat, quod certius, & univerſalius ſit, ut nuper diximus, ſit omnino tenenda; inde & alia deducuntur: cum nempe ſcandalum ſit per ſe, ac divino jure prohibitum, oritur, quod ſiquis abſtinentiam, jejuniive formam ex deliberato animo ſibi proponens, deoque ſervaturum promittens, abſtinentiam, vel jejunium ſervans, alteri ruinæ occaſionem præberet, ad voti executionem nec divino jure teneretur; neđum ex eo, quod certius, & univerſalius divini juris præceptum, quale eſt ſcandalum vitare cum minus certo, ac particulari præcepto concurreret, in quo concurſu certius, & univerſalius, quale eſt ſcandalum vitare, minus certo, ac particulari præcepto præfertur: verum & ex eo, quod ſub eodem divino jure ſemper certius, etſi minus univerſale præceptum, minus certo, etſi univerſaliori divino præcepto præferri debere ex divinis eloquiis docemur. Licet enim divinum præceptum, vel divina lex magis obliget, quam juramentum, vel votum; ſi tamen votum ſit certum, & ignoretur, an divinæ legis, vel divini præcepti materia per contrarium votum, per votum ſcilicet cum divina lege, vel divino præcepto ſervatu impoſſibile, a ſui obſervatione eximat, vel conſtringat; & tunc de obſervatione divini præcepti, vel divinæ legis exorto dubio, votum, vel juramentum certius, divinæ legi, vel divino præcepto dubio præferretur. Cujus fortaſſe ratione, quia Joſue cap. 9. v. 15. *Inito fœdere, pollicitus eſt, quod non occiderentur; principes quoque multitudinis juraverunt eis*, ſcilicet Gabaonitis; inde,

de, etsi ad illos occidendos populos divino generaliori præcepto teneretur ex Deut. 7. v. 2. *Percuties eas usque ad internecionem.. nec misereberis earum*, orto tamen quoad particularem illum casum, per interpositum juramentum, certissime jure divino constringens, dubio relate ad generalius, divinum præceptum, illos nempe populos occidendi, non generalius divinum præceptum, quod relate ad hunc particularem casum evasit dubium, sed certum emissum juramentum, ex divino simili jure obligans, præferre judicavit Josue. Quin & ex eo magis, quod negativum præceptum cuicumque sub eadem ratione positivo præcepto in suo, servatu impossibili, concursu prævalere debere, inconcussum apud omnes reputatur. Eodemque argumento eruitur nec ad votam abstinentiam, jejuniive formam obligationem consurgere, si, licet in sui deliberatione, propositione, ac promissione jejunium, vel abstinentia bona, nullique injuriosa existat, per accidens tamen mala evaderet alteri injuriosa, vel perniciosa, vel scandali occasio, vel contra dei gloriam, vel alterius majoris boni impeditiva. Unde Gelasius Papa Beatos Apostolos Petrum, & Paulum, promissione non servata, ab omni culpa immunes declarat 22. q. 2. can. *Beatus Paulus*, dicens: *Beatus Paulus Apostolus non ideo (quod absit) fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarius*; cum scilicet ad Rom. 15. v. 28. dixerit: *Per vos proficiscar in Hispaniam*, pergit Gelasius, *dispositione* tamen *divina majoribus occupatus ex causis, implere non potuit, quod promisit.. Nec quia Beatus Petrus Apostolus pro affectu divinæ reverentiæ ipsi domino respondit* Joan. 13. v. 8. *Non lavabis mihi pedes in æternum, fefellisse*, pergit Gelasius (*quod absit*) *aut in sua putabitur minime constitisse sententia; quia mox eidem divinæ voluntati*

tati cesserit, *& quod se dixerat non esse facturum, causis adstrictus humanæ salutis*, *passus est prona voluntate faciendum*.

Voti obligatio, in suo robore subsistens gravis asseritur.

XX. Votum autem suis conditionibus contentum, ac ratione materiæ deo gratum existens, gravem inducere obligationem ex Lev. 27. clarissime patet; votum enim non dispensabatur, sed commutabatur; quin immo nec qui legali commutatione impotens esset, a voto immunis existeret, sed sacerdotis judicio sistere debebat. Unde v. 8. dicitur: *si pauper fuerit*, *& æstimationem* (ad redimendum scilicet votum commutationem, a lege taxatam reddere &c.) *reddere non valebit*, *stabit coram sacerdote*; *& quantum ille æstimaverit*, *& viderit eum posse reddere*, *tantum dabit*. Et Deut. 23. v. 21. *cum votum voveris domino deo tuo*, *non tardabis reddere*: *quia requiret illud dominus deus tuus*: *Et si moratus fueris*, *reputabitur tibi in peccatum*. Et Eccle. 5. v. 4. *Multoque melius est non vovere*, *quam post votum promissa non reddere*. Obligationis autem ratio in sua 22. q. 88. art. 3. c. sic ab Angelico explicatur: *Ad fidelitatem hominis pertinet*, *ut solvat id*, *quod promisit*... *maxime autem debet homo deo fidelitatem tum ratione dominii*, *tum etiam ratione beneficii suscepti*: *& ideo maxime obligatur homo ad hoc, quod impleat vota deo facta*: *hoc enim pertinet ad fidelitatem*, *quam homo debet deo*. Unde licet ad voti valorem requiratur ætas, quæ perfectum rationis usum indicet, ut contractam ex promissione obligationem cognoscat; determinata tamen ætas, in quantum ex divino jure obligatio procedat, secundum se non requiritur. Inde fit, quod siquis sufficientem rationis usum habens, ciborum abstinentiam, jejuniive formam sub ratione voti deo promitteret, etsi minorennis, vel adolescens, illico divino jure ligatus existens, ad

promissam abstinentiam, jejuniive formam teneretur implendam.

XXI. Simplici autem voto, ejusque obligatione explicata, quoad solemne votum idem ac de simplici quoad præsens dicendum videtur. Cum enim solemnitas, quantum ad nostrum attinet institutum, relate scilicet ad obligationem ex divino jure contractam, nihil substantiale addat, nisi quoddam extrinsecum; inde est, quod, voti substantia remanente, solemni voto ligatus, eodem ac ex voto simplici vinculo adstrictus remanet. His autem generaliter dictis, licet quoad omnes voti solemnis rationes differere præsentis instituti non sit; ne tamen penitus jejunum quoad votorum solemnitatem, ad nostrum institutum spectantem, lectorem relinquamus, placet hic ex Angelico loc. cit. art. 7. voti solemnitatem explicare, sic dicente: *Unicuique rei solemnitas adhibetur secundum illius rei conditionem*. Sicut in solemnitate militiæ, cum scilicet quis in militum numero solemni ritu adscribitur, armorum, equorum, militumque apparatus intervenit. In nuptiarum autem solemnitate sponsi, ac sponsæ apparatus, & amicorum, propinquorumque conventus intervenire solet, & sic in similibus. *Votum autem*, pergit ibidem s. Doctor, *est promissio deo facta*, & per hoc quid spirituale. *Unde solemnitas voti attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad deum pertineat; idest secundum aliquam spiritualem benedictionem, vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ*. Et post pauca addit: *Et hujus ratio est quia solemnitates non consueverunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur* alicui rei, ut patet in matrimonii, ac militiæ solemnitatibus, quæ tunc adhibentur, ut supra innuimus, *quando uterque conjugum sui corporis po-*

In quo solemne votum, quantum ad jus divinum sub ratione voti attinet, cum simplici voto conveniat, & in quo disconveniat, aperitur.

potestatem alteri tradit, vel cum quis militiæ se tradit, commune bonum, ac publicæ potestatis imperium cum vitæ propriæ periculo tueri promittens; nec non juxta eumdem Angelicum, *voti solemnitas adhibetur, quando aliquis per susceptionem sacri ordinis divino ministerio applicatur*; vel quoad religiosam professionem voti solemnitas intervenire dicitur *in professione certæ regulæ, quando per abrenuntiationem sæculi, & propriæ voluntatis, aliquis statum perfectionis assumit*; ut ibidem prosequitur Angelicus. Unde solemnitas nedum in religiosa professione, verum & in ordinis susceptione intervenire dicitur. His propterea innixi principiis, audacter asserimus, solemne votum emittere non dici illum, qui coram Episcopo, aliave Ecclesiastica potestate, obedientiæ votum emitteret; vel sub voti similiter ratione aliquem virtutis actum faciendum promitteret. In his enim casibus juxta paulo ante positam Angelici doctrinam, quatenus non totalis personæ mancipatio, tamquam status, interveniret, non proprie solemne, sed publicum diceretur votum, nisi religiosa esset professio, vel ordinis susceptio juxta Angelici discretionem loc. cit. ad 3. *Aliud est votum esse publicum, & aliud est solemne*.

Voti solemnis, & publici obligatio, ejusque obligationis discretio designatur.

XXII. Solemnis autem voti obligatio ex supradictis patet. Cum enim simplex votum gravem inducat erga deum obligationem; ejus autem solemnitas nihil erga deum imminuat, immo potius confirmet; inde fit quod solemne votum eamdem, quin & potiorem erga deum obligationem inducit. Cumque solemnitas illius cum deo factæ promissionis aliorum includat testimonium; inde etiam ex hoc major voti servandi obligatio emergit, ne scilicet propriæ famæ periculum aliorumve scandalum, atque ad malum provocatio ex voti solemnis transgressione consurgat. Unde ab Innoc.

noc. XI. in Bulla. *Ad abolendam* feria V. die 18. Aug. & iterum 19. Nov. 1687. Michaelis Molinos propositio 65. damnatur dicens: *Superioribus obediri debet in exteriore, & latitudo voti obedientiæ religiosorum pertingit solummodo ad exterius: Aliud est in interiore, quo solus deus, & director intrant*. Unde siquis sive per solemnia religiosæ professionis vota, sive per publicum votum, scilicet coram Pontifice, vel Episcopo, aliave legitima potestate emissum, ad ciborum abstinentiam, jejuniive formam sese adstringeret, abstinentiam, jejuniive formam servare coram deo, & hominibus jure divino teneretur. Quin immo & per ejus transgressionem ab eadem potestate coerceri poterit: quod certe superadditum in voti simplicis transgressione non intervenit. Notandum tamen hic, quod, ut ex voto solemni, vel publico obligatio consurgat, nedum requiritur, quod ex deliberato animo servaturum regulam sibi proponens, vel coram summo Pontifice, vel Episcopo, aliave Ecclesiastica ac legitima publica potestate aliquem virtutis actum facturum deo promitteret; & quod possibilitate physica, ac morali regula, seu virtutis actus servatu possibilis sit; & quod voti materia nec mala sit, neque alteri perniciosa, vel injuriosa, nec majoris boni impeditiva; verum etiam, quod regulam servaturum, vel aliquem virtutis actum facturum ex deliberato animo sibi proponens, deo sub ratione solemnis, vel publici voti respective promittat. Unde etsi, sicut ad voti simplicis valorem animi deliberatio, propositum, ac promissio requiritur; ita ad voti solemnis vel publici valorem animi quoque deliberatio, propositum, ac promissio similiter requiritur; id tamen pro solemni voto, vel tantum publico non sufficit, nisi ejusdem solemnis, vel publici voti in emittente accedat ratio. Siquis igi-

igitur abstinentiam, jejuniive formam ex deliberato animo sibi proponens, deo per Ecclesiæ solemnitatem, vel publicitatem servaturum promitteret; sub ratione tamen solemnis, vel publici voti ratio deficeret: vel per hoc scilicet, quod animus deliberatus ad abstinentiæ, jejuniive formæ obligationem subeundam, ex solemnitate, vel publicitate orituram, deesset; vel per hoc quod eam non sibi proponeret; hujusmodi nempe ex voti solemnitate, vel publicitate orituram obligationem subire non intenderet; vel per hoc, quod sub ratione solemnis, vel publici voti deo non promitteret; tunc ad votam cum solemnitate, vel publicitate abstinentiam, jejuniive formam jure divino sub ratione solemnis, vel publici voti non adstringeretur.

Idem ulterius explicandum assumitur.

XXIII. Non casu autem dictum est: *Sub ratione solemnis*, vel *publici voti* in sensu posito non adstringi. Ad regulam namque aliumve virtutis actum, adhuc in casu posito, in foro interno adstringeretur, non quidem sub solemnis, vel publici respective voti ratione, cum sub tali ratione ex defectu conditionum coram deo nullum sit, ut supponimus; nec consequenter sub ratione sacrilegii, quantum ad voti solemnis, sive tantum publici transgressionem attinet; sed sub ratione charitatis; ne scilicet ob apparentem voti solemnitatem, vel publicitatem per ejus transgressionem scandalum oriretur, etiam coram deo ad observantiam teneretur. Quinimmo sicuti, si voti solemnitas, vel publicitas sub conditione, sine qua non, ad voti substantiam pertinens intelligatur, solemnitatis, vel publicitatis ratione, in prædicto, vel alio sensu, deficiente, utique votum etiam sub ratione voti simplicis deficere necesse sit; ita econtra; quia voti obligatio juxta voventis intentionem consurgit; inde, & si cum

so-

ſolemnitate, vel publicitate vovens, ſolemne, vel publicum votum non intenderet, ſi vero in eo, quod voveret, etſi ſolemnitatem, vel publicitatem, obligationem ſcilicet ex ſolemnitate, vel publicitate oriundam non intenderet, ex deliberato tamen animo ſibi proponens, deo ſervaturum promitteret; & tunc, licet e. g. ad votam abſtinentiam, jejuniive formam ſub ratione ſolemnis, vel publici voti in caſu poſito non adſtringeretur, niſi ad evitandum ſcandalum, ut ſupra innuimus; juxta voventis tamen intentionem, ut procedit, ſub ratione voti ſimplicis obligatio ſubſiſteret. Quod ſi cum ſolemnitate, vel publicitate vovens, neque ſub ratione voti ſolemnis, vel publici, neque ſub ratione voti ſimplicis ſeſe intenderet obligare; inde fieret, quod cum ſolemnitate, vel publicitate vovens in ſenſu expoſito, neque ſub ratione voti ſolemnis, vel publici, neque ſub ratione voti ſimplicis ligatus exiſteret, niſi tantum ratione charitatis, ne ſcilicet ſcandalum, quod phariſaicum non ſit, per ejus transgreſſionem oriretur; quin immo & per emiſſam ſolemnitatem, vel publicitatem per ſolemnis, vel publici voti apparentiam ad ejus obſervantiam cogi poſſet, donec a legitima poteſtate ab illius obſervantia declararetur immunis. Ratione autem materiæ nedum ſimplex votum, ut diximus, verum & ſolemne, vel publicum obligare ceſſabit, ſi non ſit poſſibilis; ſi deus eam nolit; ſi mala ſit; vel alii e. g. injurioſa, vel pernicioſa, vel contra dei gloriam, vel ſit, aut evadat majoris boni impeditiva, non ſecus ac de ſimplici voto dictum eſt. In ſuo autem robore ſubſiſtens ſolemne, vel publicum votum, nedum coram deo, ut ſupra de ſimplici voto diximus, verum & coram hominibus, quorum etiam reſpectu per ſolemnitatem, vel publicitatem ad ob-

ſervantiam obligatio conſurgit, conſcientiam conſtringere fatendum eſt. Unde regulam, vel abſtinentiam, ſive jejunii formam, aliumve virtutis actum coram eccleſiaſtica, ac legitima poteſtate per validum, ac ſolemne, vel publicum votum profitens, ad regulam, vel abſtinentiam, ſive jejunii formam, aliumve virtutis actum exequendum divino, humanoque jure adſtrictus exiſteret.

Juramenti ratio, ac diſcretio proponitur, ac diſcutitur.

XXIV. Et quia nedum per votum ſive ſimplex, vel ſolemne, aut publicum, verum & per juramentum, ex divino jure obligatio conſurgit; inde explicata voti ſimplicis, ac ſolemnis, vel publici obligatione, juramenti obligationem, quantum ad præſens ſufficit, explicandam ſuſcipimus. Juramentum autem divini teſtimonii invocatio dici poterit. Unde Angelicus 22. q. 89. art. 1. c. *Juramentum*, inquit, *ad confirmationem ordinatur. Confirmatio autem in ſcibilibus per rationem fit: quia procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ ſunt infallibiliter vera*. Quia autem *particularia facta contingentia hominum non poſſunt per rationem neceſſariam* (ſcilicet evidentem in ſe, vel præmiſſis) *confirmari.... ideo ea, quæ de de his* (particularibus factis) *dicuntur, ſolent confirmari per teſtes*. Et quia homines vel ex malitia mendaces ſunt, vel ex defectu cognitionis neque futura, neque occulta cordium, vel abſentia cognoſcere poſſunt; *ideo neceſſarium fuit recurrere ad divinum teſtimonium: quia deus neque mentiri poteſt, neque etiam aliquid latet*. Unde, ut ibidem immediate ſubjungitur; *Aſſumere autem deum in teſtem dicitur jurare: quia quaſi pro jure introductum eſt, ut quod ſub invocatione divini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur*. Et quia aliquis, deum in teſtem aſſumens, nedum præſentia, aut præterita, verum & futura confirmare poteſt; ex cognitionis autem futurorum defectu aſſerere

non

non potest, sed promittere, contra ac quoad præsentia, aut præterita intervenit; idcirco, si præsentia, vel præterita respicit juramentum, assertorium dicitur; si autem futura, promissorium appellatur. Quod discutiens Angelicus 22. 9. 89. art. 7. c. sic ratiocinatur: *Iuramento, quod est de præterito, vel præsenti, obligatio est non respectu rei, quæ jam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus jurandi; ut scilicet juret id, quod, jam verum est, vel fuit*. Quoad futura autem sic prosequitur: *Sed in juramento, quod præstatur de his, quæ sunt fienda a nobis, obligatio cadit e contra, scilicet, super rem, quam aliquis juramento firmavit: tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id, quod juravit; alioquin deest veritas juramento.* Non videtur autem prætereundum, quod absolute, & absque ulla discretione ab Angelico asseratur, quod scilicet juramentum de præsenti non obliget, cum revera possibile sit verum facere quod juravit. vide n. 26.

XXV. Et quia obligatio non nisi ex valido juramento consurgit; validum autem non erit, nisi cum veritate, & judicio, & justitia conjunctum, juxta illud Jerem. 4. v. 2. *Et jurabis: vivit dominus in veritate, & in judicio, & in justitia*; inde omisso assertorio juramento, quod ad præsens minus attinet institutum, quoad promissorium dicimus; ut validum sit, veritatem prærequiri, per hoc nempe quod non ficte, sed vere promittat cum animo scilicet implendi, quæ promittit; secundo prærequiri judicium, per hoc scilicet, quod possibile sit, atque in ejus potestate, quod futurum promittit; tertio justitiam prærequiri, ut nempe quod faciendum jurat, neque contra deum sit, neque contra proximum, vel majoris boni impeditivum. Unde Angelicus ibidem sic pergit: *Si vero sit quidem possibile fieri, sed fieri non*

Conditiones ad juramenti valorem designantur.

non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni (scilicet majoris) *impeditivum, tunc juramento deest justitia: & ideo juramentum non est servandum in eo casu, quo est peccatum, vel boni* (majoris) *impeditivum*. Unde concludit: *sic ergo dicendum est, quod quicumque jurat aliquid se facturum, obligatur ad faciendum, ad hoc, quod veritas impleatur; si tamen alii duo comites adsint, scilicet judicium, & justitia.*

Juramenti obligatio ex intrinseca ejusdem juramenti natura, ejusque conditionibus discussa proponitur.

XXVI. Juramenti autem obligatio, ex jure divino orta, gravis est. Unde siquis de præterito abstinuisse, vel jejunasse juraret, cum revera heri non abstinuerit, vel nec jejunaverit, esset quidem perjurus: quia tamen, ut supra n.24. de præterito, juxta præcitatam Angelici doctrinam obligatio non est respectu rei, quæ jam fuit, sed respectu ipsius actus jurandi; inde fit, quod ex hujusmodi juramento jejunii, vel abstinentiæ obligatione ligatus non existeret; cum ad præteritum non detur potentia, nisi forte in perjurii vindictam, mutata voluntate, abstinentiam, vel jejunium assumeret servandum, ad quod cæteroqui sub juramenti ratione non teneretur. Contra vero quia juxta eamdem Angelici doctrinam in promissorio juramento, quod scilicet de his præstatur, quæ fienda sunt, obligatio cadit super rem, quam sub juramento facturum promittit; inde siquis abstinentiam, jejuniive formam servaturum juraret, quia tenetur verum facere, quod juraverit, ad abstinentiam, jejuniive formam, juxta quod juraverit divino jure ligatus existeret. Quæ sane obligatio faciendi verum quod juravit, nedum intelligi debet de futuro, qua tali, verum etiam quod juratum] de præsenti, secundum quod possibile juranti sit illud verum facere. Quod si ficto juraverit, abstinendi nempe, jejunandique animum exclu-

de-

deret, & nihilominus abstinentiam, jejuniive formam jurasset, cum abstinere, vel jejunare nollet, perjurus quidem in jurando esset, ad abstinentiam tamen, jejuniive formam ligatus non esset, nisi forte, ut in similibus supra innuimus, in perjurii vindictam abstinentiam, jejuniive formam assumeret servandam. Et quia ad juramenti valorem nedum veritas, verum & judicium requiritur, per quod ab ejus materia quod malum est, quodque physice, aut moraliter impossibile reputatur, excluditur; inde fit, quod si quis abstinentiam, jejuniive formam servaturum juvans, in ejus executione scandalum ingereret, ad juratam abstinentiam, jejuniive formam non constringeretur: & quia in concursu duorum de eadem re præceptorum, illud prævalere debet, quod majus est, aut certius; & ex naturali, divinoque jure proximum non occidere certissime tenemur, cujus transgressio fieret vel vitam violenter auferendo, vel ad vitæ conservationem per ciborum subtractionem media impediendo, quod a fortiori nosmetipsos constringit; inde est, quod abstinentiam, jejuniive formam servaturum jurans, si in ea servanda vitæ periculum subire dignosceret, ad abstinentiam, jejuniive formam etiam divino jure solutus existeret. Quia insuper præter veritatem, & judicium, etiam justitiam in juramento requiri supra n. 25. ex Jeremia didicimus; inde fit quod abstinentiam, jejuniive formam sub juramento servaturum in sensu exposito sese adstringens, ab ejus executione etiam jure divino immunis existeret, si ejus observantia alteri perniciosa, vel majoris boni impeditiva evaderet. Cum enim juramentum rationabile sit, atque iniquitatis vinculum esse nequeat, inde non minus in voto, quam in juramento militare videntur conditiones illæ n. 18, relatæ: *Si vixero, si po-*

si potero, si deus voluerit. In his autem, ac similibus non omnimoda exemptio, sed jurati, vel voti operis dilatio, vel, mediante superioris jurisdictione, commutatio necessario requiritur.

Quandonam juramenti obligatio consurgat, reassumpta concluditur.

XXVII. Juramenti autem natura, ejusque materia, & conditionibus expositis, non secus ac de voto diximus, facile erit inferre quando nam jurans, illius obligatione ex divino jure ligatus existat. Et certe siquis abstinentiam, jejuniive formam servaturum juraret, factus impotens, exequi non teneretur; sive cæteroquin physica impotentia sit, sive moralis; ex eo, e. g. quod per abstinentiam, jejuniive formam vitæ periculum subire cogeretur; quod in concursu cum altero divino præcepto prævalere debere supra n. 19. de voto jam diximus: Ac propter eamdem rationem ad juratam abstinentiam, jejuniive formam non amplius teneretur, si hujusmodi abstinentia, jejuniive forma servata, ruinæ occasionem alteri præberet, vel mala evaderet, vel alteri injuriosa, aut perniciosa, vel contra dei gloriam, vel majoris boni impeditiva, ut supra innuimus. Juramentum autem suis conditionibus instructum, atque in suo robore subsistens, gravem inducere obligationem ex illo Exod. 20. v. 7. constat per illa verba: *Non assumes nomen domini dei tui in vanum*: præsertim cum mendacio, *nec enim habebit insontem dominus eum, qui assumpserit nomen domini dei sui frustra*: Quod exponens Veritas Matt. 5. v. 33. inquit: *Non perjurabis: reddes autem domino juramenta tua*. Obligationis autem ratio in juramento ex infinita dei dignitate, ejusque infallibili Veritate, quæ in testimonium ad rei confirmationem assumitur, exurgit.

Publici juramenti rationes aperiuntur.

XXVIII. Quoad solemne autem, seu publicum juramentum, quod in alicujus publicæ actionis confirmationem fieri solet, non attenditur solum sc-

secundum aliquod spirituale, sicut de voto diximus: cum enim solemnitas, seu publicitas rei naturam sequatur; votum autem quoad omnia spirituale sit; inde jure merito hujus solemnitatem, seu publicitatem per spiritualia peragi supra probavimus: quia vero juramentum, licet quid spirituale sit, ac religionis similiter actus, adhiberi tamen etiam solet in confirmationem rei, homini promissæ, quæ juxta naturæ diversitatem spiritualis, vel profana esse solet; inde est, quod in ejus solemnitate, seu publicitate spiritualia, & non spiritualia concurrere possunt, etsi cæteroquin quoad finem, interposito juramento, spiritualia denominentur, ac sint. Solemne igitur, seu publicum juramentum, non secus ac de solemni, seu publico voto diximus, idem est ac simplex cum addito solemnitatis, vel publicitatis; quæ in eo consistit, quod per actionum publicitatem, præsentibus Magistratibus, vel Primatibus, sive ecclesiastica, ac legitima interveniente potestate, coram testibus, ac multitudine peragitur; ex quorum majori, vel minori concursu major, vel minor solemnitas, seu publicitas appellabitur.

XXIX. Solemnis autem, seu publici juramenti obligatio eadem ac simplicis est; ex eo autem, quod ejus transgressio scandalum generare solet, & per vim coactivam ad illud servandum a publica potestate obligari poterit jurans; inde per ejus solemnitatem, seu publicitatem nedum ad id servandum in foro fori obligatio consurgit, ut ex pœnis transgressoribus debitis innotescit, verum & in foro poli, ratione scilicet scandali, ex ejus transgressione in multitudine consurgentis augeri solet, ac jurantis conscientiam sub multiplici ratione constringere. Unde siquis per solemne, seu publicum juramentum coram Pontifice, vel Episco-

Publici juramenti obligatio ulterius discutitur, ac resolvitur.

scopo, aliave publica ecclesiastica, ac legitima potestate abstinentiam, vel jejunii formam servaturum sese adstringeret; ad hujusmodi abstinentiam, jejuniive formam nedum jure divino ex motivo religionis, qua juramenti transgressio est, vel quatenus contra charitatem ratione scandali, ejus transgressio esset, ligatus existeret, verum & ex eadem scandali ratione coram hominibus ligari necesse est, & per publicam, ac legitimam potestatem ad juratam abstinentiam, jejuniive formam servandam coerceri poterit. Quod certe superadditum, non secus ac de voto diximus, in juramenti simplicis transgressione, quæ coram deo tantum culpabilis est, non intervenit.

Quando nam, & sub qua ratione publici juramenti obligatio consurgat, ulterius explicatur.

XXX. Notandum tamen quod, ut ex solemni, seu publico abstinentiæ, jejuniive juramento jure divino consurget obligatio, nedum requiritur, quod coram Pontifice, vel Episcopo, aliave publica, ac legitima potestate abstinentiam, jejuniive formam servaturum juraret; & quod hujusmodi abstinentia, jejuniive forma, physica, moralive possibilitate servatu possibilis sit; & quod jurata materia mala non sit, neque alteri perniciosa, vel injuriosa, nec majoris boni impeditiva, verum &, non secus ac de voti solemnitate supra discussimus, quod ad hujusmodi, vel alium virtutis actum sub ratione solemnis, seu publici juramenti sese adstringere intelligeret. Unde sicut ad juramenti simplicis valorem veritas requiritur, judicium, ac justitia; ita ad solemnis, seu publici juramenti valorem, veritatem, judicium, & justitiam sub ratione solemnis, seu publici juramenti requiri necesse est. Inde oritur, quod, siquis abstinentiam, jejuniive formam, vel alium virtutis actum ex deliberato animo coram publica, ac legitima potestate servaturum juraret, sub ratione tamen solemnis, seu publici

ju-

juramenti ratio deficeret; vel per hoc ſcilicet, quod ficte quoad juramenti executionem procederet, animus nempe ad abſtinentiæ, jejuniive, ſive alterius virtutis actus ſubeundam obligationem, ex juramenti ſolemnitate, ſeu publicitate oriundam deliberatus deeſſet: vel per hoc, quod ficte quoad juramenti intentionem procederet ex eo nempe quod, poſita licet ſolemnitate, ſeu publicitate, illius tamen virtutis actum ſibi ſervaturum non proponeret, hujuſmodi nempe obligationem, ex ſolemnitate, ſeu publicitate oriundam ſubire non intenderet, vel per hoc, quod ſub ratione ſolemnis, ſeu publici juramenti neque quoad intentionem, neque quoad executionem jurare ſibi proponeret, & tunc ad juratam etſi cum ſolemnitate, ſeu publicitate abſtinentiam, jejuniive formam, ſive alium virtutis actum ſub ratione juramenti ſecundum ſe, vel ſub ratione ſolemnis, ac publici juramenti reſpective jure divino non conſurgeret obligatio, niſi forte in fictionis vindictam, vel ad evitandum ſcandalum reſpective, ſervandum aſſumeretur, ut in ſuperioribus non abſimili ratione de voto diſcuſſimus.

XXXI. Nec ſuperfluum reputari debet dicere ſub ratione ſolemnis, ſeu publici juramenti in caſu poſito obligationem jure divino non conſurgere. Ad hujuſmodi enim actum, non ſecus ac de ſolemni voto ſupra diximus, adhuc in caſu poſito in foro poli adſtringeretur jurans, non quidem ſub ratione ſolemnis, vel publici juramenti, ſi revera nullum coram deo ſit, ſed ob apparentem juramenti ſolemnitatem ſeu publicitatem, non quidem ſub ſacrilegii ratione, ſed charitatis lege, ne ſcilicet ſcandalum oriretur, etiam coram deo ad obſervantiam ſub hac ratione teneretur: neque per hoc quod juramenti obligatio ex jurantis intentione emergat, poſſet cum ſolemnitate, ſeu pu-

Idem ulterius diſcutitur ac reſolvitur.

publicitate jurans juramenti obligationem, seu executionem ad evitandum scandalum prætermittere. Si tamen in eo, quod jurat, non solemnitatem, seu publicitatem intendens, neque proinde obligationem ex solemnitate oriundam contrahens, ex deliberato tamen animo sibi proponens, deo servaturum juraret: & tunc, licet ad juratam abstinentiam, jejuniive formam sub ratione solemnis, seu publici juramenti in casu posito non adstringeretur, nisi ad scandalum, in sensu exposito vitandum, juxta jurantis tamen intentionem, ut procedit, sub ratione juramenti simplicis adstrictus existeret. Quod si cum solemnitate, seu publicitate jurans, neque sub ratione solemnis, vel publici, neque sub ratione simplicis juramenti sese intenderet obligare; inde fieret, quod cum solemnitate, seu publicitate jurans in sensu exposito, neque sub ratione solemnis, seu publici, neque sub ratione simplicis, seu privati juramenti ligatus existeret; nisi tantum ex charitatis lege, ne scilicet scandalum oriretur; quin & per apparentem juramenti solemnitatem, seu publicitatem ad ejus observantiam cogi posset, nisi a legitima potestate ab hujusmodi observantia solveretur. Quocumque autem modo fictio procederet, sive scilicet quoad juramenti intentionem, sive quoad executionem, semper perjurus existeret sine veritate jurans. Et quia nedum veritas, verum & judicium, & justitia ad solemnis, seu publici juramenti valorem requiritur; inde fit, quod ratione materiæ nedum simplex juramentum, verum & solemne seu publicum obligare cessabit, si ejus materia non sit possibilis, si deus eam nolit, vel quia mala, aliive injuriosa, vel perniciosa, vel contra dei gloriam, vel majoris boni impeditiva, non secus ac de simplici voto n. 26. supra discussimus. In suo autem robore subsistens solemne, seu pu-

publicum juramentum, nedum obligat coram deo, ut supra de simplici juramento obligationem ex motivo religionis exurgere diximus, verum & coram hominibus, quibuscum etiam per solemnitatem, seu publicitatem ad abstinentiam, jejuniive formam; sive ad alium virtutis actum obligari certissimum est. Unde ad abstinentiam, jejuniive formam, aliumve virtutis actum coram publica, ac legitima potestate per validum, ac solemne, seu publicum juramentum sese adstringens, ad abstinentiam, jejuniive formam, sive ad alium virtutis actum exequendum divino, humanoque jure adstrictus existeret.

Quod in concursu voti, ac juramenti præferri debeat, aperitur.

XXXII. Discutiendum autem remanet, quid in concursu voti, ac juramenti sub diversa licet ratione obligare debeat? Si enim sub eadem ratione, iisdemque circumstantis concurrant, unum alterius obligationem confirmabit; ad quod aperiendum, quid magis obliget, perpendendum est. Et quidem juxta Angelicum 22. q. 89. art. 8. c. *Per votum obligatur aliquis deo: per juramentum autem obligatur aliquis interdum homini. Magis autem obligatur homo deo, quam homini. Ergo major est obligatio voti quam juramenti*. Et pergit ibidem: *utraque obligatio, scilicet voti, & juramenti, causatur ex aliquo divino, aliter tamen & aliter: nam obligatio voti causatur ex fidelitate, quam deo debemus, ut scilicet ei promissum solvamus; obligatio autem juramenti causatur ex reverentia, quam debemus ei; ex qua tenentur, quod verificemus id, quod per nomen ejus promittimus. Omnis autem infidelitas irreverentiam continet; sed non convertitur: videtur enim infidelitas subjecti ad dominum esse maxima irreverentia. Et ideo votum ex ratione sua magis est obligatorium, quam juramentum*. Unde abstinentiam jejuniive formam, sive alium virtutis

actum vovens, idemque sub iisdem omnino circumstantiis servaturum jurans, voto per juramentum de eadem re ac circumstantiis confirmato, ad abstinentiam, jejuniive formam, sive alium virtutis actum ex motivo religionis nedum sub ratione voti, verum & ratione juramenti jure divino tenebitur. Quod si votum cum juramento servatu possibile non sit, tunc in concursu servatu impossibili voti observatio præferri debet, nisi forte juramenti obligatio processerit. Unde jurans perpetuam peregrinationem, postmodum autem voveat religionem ingredi, etsi secundum se magis teneretur religionem ingredi cum periculo non servandi juramentum, quam servare juramentum cum voti transgressione; quia tamen juramentum voto præcessit, magis ad servandum juramentum, quam votum teneretur; nisi forte quatenus juramentum majus bonum impediret, ad subsequens votum potius, quam ad præcedens juramentum obligatio consurgeret. Et quoad nostrum institutum: Jurans abstinentiam, vel jejunium, & vovens visitationem Basilicæ longioris distantiæ eodem die jejunii peragendam, cum abstinentia, vel jejunio servatu impossibilem, licet secundum se ad Basilicæ visitationem potius, quam ad juratam abstinentiam, vel jejunium teneretur; quia tamen juramentum præcessit; inde in sensu posito, magis ad juratam abstinentiam, vel jejunium, quam ad votam visitationem obligatio consurgeret, si utrumque scilicet servari non possit.

Idem ulterius explicatur.

XXXIII. Quod si in concursu vota, ac jurata materia mala per accidens efficeretur, vel sit, sic vovens, ac jurans, nec sub ratione voti, neque sub ratione juramenti ad observationem teneretur. Unde in concursu voti ac juramenti sub eadem ratione ad neutrum obligatio consurgit, si in eo servando quid malum contingeret. Qui igitur

tur abstinentiam, jejuniive formam vovens, juramento firmaret; in eo autem servando vitæ periculum subiret, vel alteri injuriosum quid caussaret, vel scandalum ingereret, vel majorem dei gloriam, majusve bonum impediret, vel aliud quovis modo per accidens malum oriretur, ad hujusmodi abstinentiam, jejuniive formam non teneretur, sed per accidens solutus existeret. Quod si in concursu anterioris voti, ac posterioris juramenti sub diversa ratione, licet servatu possibile esset votum, non servato tamen juramento, malum quid contingeret, tunc per accidens ad juramentum potius, licet posterius, quam ad votum obligatio consurgit. Unde siquis peregrinationem vovens, jejunium juraret; si non jejunando vitæ periculum subiret, vel scandalum oriretur, vel alteri injuriosus esset, vel contra dei gloriam, vel majoris boni impedimentum exurgeret; tunc ad juramentum magis, quam ad votum etsi anterius, ad jejunium nempe potius, quam ad votam peregrinationem obligatio consurgeret, si utrumque scilicet servari non posset.

XXXIV. Unum autem in illorum gratiam discutere, ac resolvere placet, mordicus, & gratis sustinere volentium, jejunium jure divino præcipi; illis namque innixi Joelis verbis, Judæos ad pœnitentiam ex peculiari divino præcepto adhortantis cap. 2. v. 12. *Nunc ergo dicit dominus: convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, & in fletu, & in planctu*; jejunium ex divino jure procedere autumant. Quam longe autem a vero aberrent, ex eo innotescit, quod per prædicta verba non universalis, ac perpetua jejunii lex, sed peculiare pro illis circumstantiis illi populo præceptum intelligitur. Juxta dialecticas autem regulas, licet in generali præcepto omnes includi necesse sit, in peculiari tamen præcepto, pecu-

Præjudicium, quasi ex divino præcepto jejunium, vel abstinentia existat, confutatur, ac sana intelligentia aperitur.

lia-

liaribus præſertim circumſtantiis circumſcripto, omnes includi falſum omnino eſt. Per prædicta autem Joelis verba non generalis, ac perpetua jejunii lex, ſed particularis ad illum populum ordinata, ac pro illis tantum, ac ſimilibus circumſtantiis data intelligi debet. Non ergo poterit ex hujuſmodi verbis jejunii lex ad omnes extendi. Prætereo, quod non ſine veriſimilitudine ſuſtineri poterit, id non tamquam ſpeciale illi populo divinum præceptum, ſed tamquam medium ad Judæorum converſionem, a deo præceptam abſtinentiam, a Joele fuiſſe declaratum. Huic autem explicationi conſonat Franciſcus Toletus, in edit. Rom. an. 1600. in comment. ſecundum Lucam in cap. 5. annotatione 70. dicens: *Tertio advertendum eſt in hujus jejunii declarationem, olim in veteri lege frequentiſſimum fuiſſe uſum jejunii, ut conſtat ex tota ſcriptura, lege, & prophetis, & hiſtoriis; nullum tamen tempus jejunii indictum fuit a lege: nec tale præceptum in ea fuit, ſed jejunia aut ſponte in pœnitentiam peccatorum, aut in carnis mortificationem, aut ad iram dei placandam aſſumebantur aut aliquando ab ipſis Majoribus Judæorum injungebantur, maxime temporibus anguſtiæ, & tribulationis, & aliis de cauſis*. Et immediate ſubjungit: *Sic jejunabant diſcipuli phariſæorum*. Cæterum, quantum ad præſens attinet inſtitutum, ſufficiat nobis jejuniorum fontes aſſignaſſe, votum ſcilicet, vel juramentum, ſimplex, vel ſolemne, ſeu publicum, vel religioſam profeſſionem, ex quibus abſtinentiarum, vel jejuniorum obligatio jure divino conſurgere poſſit. Quod ſi deus abſtinentiam, vel jejunium præciperet, etiam ſub divino jure abſtinentiarum, jejuniorumque obligationem ſic conſurgere quis negabit? Et licet jejunia, a legitima poteſtate indicta, etiam divinæ legis rationem implicite contineant, ſubſtantialiter

ter tamen, considerato jejunandi præcepto, abstinentiæ, ac jejunia humani juris dici debent præsertim in nova lege. Neque si forte in veteri lege ex divino jure aliqua jejunia indicta fuerint, in nova lege constringunt, nisi ab Ecclesia præcipiantur; quæ tamen non amplius sub ratione divini juris, sed sub ratione humani juris quoad substantiam ab Ecclesia intelliguntur indicta.

§. III.

De Abstinentiarum, jejuniorumque necessitate, ex humano jure procedente.

XXXV. Probata jam in superioribus paragraphis abstinentiarum, jejuniorumque necessitate, ex naturali, divinove jure procedente, in hoc 3. §. eorumdem necessitatem, ex humano jure provenientem probandam assumimus. Et quia ex humano jure procedunt universalis Ecclesiæ mandata, vel Pontificum sanctiones, sicut & Episcoporum, vel particularis Ecclesiæ statuta, nec non & confessariorum præcepto, vel, si vis, etiam directorum consilia; idcirco hic abstinentiarum, ac jejuniorum necessitatem, ex universalis Ecclesiæ vel Pontificis, aut Episcoporum &c. mandatis provenientem proponimus. Et certe in nova lege jejunium, vel abstinentias in præcepto esse certissimum apud omnes reputatur, & est. Unde Joannes a Turrecremata in edit. veneta an. 1578. probare volens, jejunium sub præcepto esse, de consecr. dist. 5. Verb. *Jejunia* sic habet: *Majoris perfectionis est lex nova, quam vetus, & magis a carnalibus abstrahens, sed in lege veteri erat jejunium in præcepto*. Unde de expiationis solemnitate decima die mensis septimi, scilicet Tirsi, nostro septembri respondentis, celebranda, Lev. 23. v.

Humani juris assignatis principiis, abstinentias ac jejunia sub præcepto esse comprobamus.

29. dicitur: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.* Ex quo infert: *Ergo multo fortius in lege nova*; ac de ejusdem novæ legis jejuniis loquens præcit. auctor ibidem sic habet: *Hæc jejunia*, scilicet, ut præmittit, vigiliarum, quatuor temporum, antipaschalium, &c. *Christus eo tempore, quo cum suis discipulis conversatus est, non indixit eis, nec ipsi jejunia observabant, Christi præsentia roborati, & ejus sponsalitium celebrantes.... quamvis autem non indixerit suis jejunia eo tempore, non tamen prohibuit; licet eorum vita non indigeret iis jejuniis, qui cum Magistro pauperes erant, & sæpe inopia cibi ita laborabant, ut spicas aliquando manducare cogerentur præ fame.*

Ecclesiæ jejunia servandi necessitas confirmatur.

XXXVI. Cæterum Ecclesiæ jejunia servandi necessitas ex Alexandro VII. clarissime patet, qui die 24. sept. 1665. feria 5. inter alias, prop. 23. damnavit, sic dicentem: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult se subjicere præcepto*; quod certe contra Ecclesiæ sensum est, universalemque traditionem, Ecclesiæ jejunia in conscientia obligare sentientem. Et quia, ut ex Apost. ratiocinatur Angelicus 12. q. 96. art. 4. ad 2. super illud Rom. 13. v. 1. *Non est enim potestas nisi a deo, quæ autem sunt, a deo ordinatæ sunt.* v. 2. *Itaque qui resistit potestati, dei ordinationi resistit*, dicens: *Secundum hoc efficitur reus quantum ad conscientiam*; inde est, quod nedum ex universalis Ecclesiæ lege, verum & ex Pontificis mandato abstinentiarum, jejuniorumque necessitas oriri solet. Quin immo, quia Episcopi ecclesiasticæ, ac publicæ potestatis Principes in domo dei sunt; inde quoad abstinentiarum etiam, jejuniorumque mandata in suis respective diœcesibus obedientiæ neces-

ceſſitas emergit, dicente Apoſt. 2. Theſſal. 3. v. 14. *Quod ſiquis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Sicuti autem Apoſtolus præcepta dare potuit, ut patet per illud 1. Cor. 11. v. 2. *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*; ita & Epiſcopos, qui Apoſtolis legitime ſucceſſerunt, in ſui gregis ædificationem præcepta dare poſſe nemo Theologorum negat: quod multo magis in ſynodo teneri debet, in qua plena illius particularis Eccleſiæ poteſtas in Epiſcopo repræſentari ſolet. Sive igitur ex ſynodi particularis lege, ſive ex ſpeciali Epiſcopi mandato abſtinentiæ, jejuniive forma ſuis ſubditis imponeretur, ad eam ſervandam humano jure neceſſitas emergeret.

Ex confeſſarii præcepto abſtinentiarum, jejuniorumve obligatio dignoſcitur.

XXXVII. Ex confeſſarii inſuper legitima poteſtate abſtinentiarum, jejuniorumve neceſſitatem oriri ex Eccleſiæ ſanctionibus innoteſcit. Inde ex Innocentio III. de Pœnit. & Remiſſ. cap. *omnis utriuſque* quoad ſacramentalem pœnitentiam ſic legitur: *Et injunctam ſibi pænitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere.* Per hoc autem, quod dicat: *ſtudeat adimplere*, adimplendi neceſſitatem non excludit, ut clarius quoad præſens inſtitutum explicat Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 8. de pœnitentia, dicens: *Debent ergo Sacerdotes domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pænitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere: ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pænitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*: per hoc enim quod *injungere* dicat, præceptum imponere pœnitentibus ſatis conſtat, ut ex Catechiſmo Rom. ex decreto concilii Trid. ad Parochos Pii V. pri-

 mum,

mum, Clementis vero XIII. jussu deinde edito in Romana editione 1761. eruitur; de pœnitentiæ namque sacramento agens, prope finem sic habet: *Sed ex omni satisfactionum genere maxime convenit, pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot, & definitis diebus orationi vacent; ac pro omnibus, & præsertim pro iis, qui ex hac vita in domino decesserunt, preces deo faciant*; & post aliqua subjungit: *Quod si interdum etiam ob publicam offensionem, publica pœnitentia præscribenda fuerit, quamvis eam pœnitens refugiat, ac deprecetur, non erit facile audiendus: verum persuadere ei oportebit, ut quæ tum sibi, tum aliis salutaria futura sunt, libenti, & alacri animo excipiat*. Per ly autem, *pœnitentibus præcipere*, obedientiæ necessitas in pœnitente arguitur. Si ergo confessarius in peccatorum vindictam abstinentiam, jejuniive formam injungit, eam in peccatorum vindictam adimplendi, necessitas in pœnitente consurgit.

Abstinentiarum, jejuniorumve necessitas sub ratione sacramentalis pœnitentiæ iterum comprobatur.

XXXVIII. Qua autem temeritate audent aliqui dicere posse pœnitentem injunctam sibi pœnitentiam recusare, & in purgatorio sibi diluendam, pœnam omnem temporalem reservare, ipsi videant. Et sane si pœnitentia, e.g., si abstinentia, vel jejunium, a confessario injunctum, tamquam medium ad vitanda peccata injungatur, illud recusans pœnitens, suum ad peccatum affectum omnino proderet; & nec veri doloris, nec veri propositi non peccandi de cætero ostenderet: Quod si non in medelam, sed in meram peccatorum satisfactionem injungeret, neque ex hoc posset pœnitens illud recusare; præterquam quod enim veri doloris signa dubia redderet, venialiter saltem ex alio capite omnino peccaret; cum enim ex Trid. Synodo debeat confessarius pœnitentiam injungere, quod ex Catechismo Romano præceptum declaratur; injungendi autem, ac præcipiendi po-

potestas in confessario per legitimam relationem obediendi necessitatem in pœnitente arguat; inde est, quod pœnitentiam recusans, per inobedientiam contra legitimam potestatem, si non mortali, veniali saltem peccato adstringeretur. Unde si confessarius duodecim e. g. abstinentiarum, vel jejuniorum dies per singulos annos imponat, tempus non determinans, nisi unum per singulos menses, debet pœnitens semel in mente, vel primo elapso mense, bis in secundo, mense, eoque elapso, & nec impleto pœnitentiali opere, ter in tertio mense, &c.; si autem ultimus anni mensis advenerit, abstinentiis sive jejuniis nondum persolutis, in ultimo illius anni mense per duodecim dies abstinere, vel jejunare ex confessarii præcepto teneretur: ita ut si non remanserint, nisi illius ultimi mensis duodecim dies, in singulis ex his duodecim ex vi præcepti confessarii abstinere, vel jejunare juxta confessarii mentem constringeretur, nisi aliter confessarius declaraverit; quod si confessarius abstinentiæ, sive jejunii diem determinaret, non quidem ad finiendam obligationem, ut confessarii mens in hujusmodi intelligi debet; & tunc illa eadem die abstinentiam, vel jejunium servare teneretur, pœnitens in qua servandum, fuerit a confessario impositum; eaque die elapsa, & non impleta pœnitentia, in sua substantia, possibili ac servanda permanente, alia die injunctam sibi pœnitentiam implere tenebitur.

XXXIX. Nec de facili poterit pœnitens injunctæ pœnitentiæ onus excutere aliique faciendam committere, cum Innocentius III. cap. *omnis utriusque* de Pœnit. & Remiss. dicat: *Et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere*. Unde Alexander VII. inter alias, propositionem 15. damnavit, dicentem: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœni-* Pœnitentiæ adimplendæ necessitas sub aliis rationibus comprobatur.

 ten-

tentiam adimpleat. Neque in hoc valet regula 68. juris in 6. dicens: *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum*, ut enim videri potest hujus regulæ expositio, nullo modo hæc valet, ubi actio personæ industriam exigat, ut esset in casu nostro, quo pœnitenti imponeret confessarius abstinentiam, vel jejunii formam, aut eleemosynam; per hoc enim, quod pœnitens, faciendam eleemosynam alteri suaderet, nec de proprio aliorum miseriam sublevaret, crumenæ detrimentum non sentiens, ejus affectum a se non abdicaret, quod certe confessarii mens intenderet; ac similiter abstinentiam, vel jejunii formam alii faciendam committens, proprias passiones non mortificaret, & concupiscentiam non refrænaret: quod certe nedum menti confessarii, verum & sacramentalis satisfactionis naturæ opponitur. Satisfactio namque pars integralis sacramenti pœnitentiæ a Tridentino asseritur, sess. 14. cap. 8. dicente: *Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe, contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*. Cum ergo satisfactio, tamquam integralis sacramenti pars, pœnitenti exequenda imponatur; inde est, quod, si pœnitens impositam pœnitentiam recusaret, vel acceptam, mutata voluntate, non adimpleret, vel alii ad implendam committeret, pœnitentiæ sacramentum quoad integrales partes mancum faceret; quod veniali saltem culpa non caret. Et quibus innotescit, quod nec confessarius posset, exequi potentem, ab exequenda pœnitentia pœnitentem eximere; sicut nec pœnitens eam recusare; etsi cæteroquin ob rationabiles causas posset a confessario humiliter petere commutationem.

Jure igitur humano etiam ratione ſacramentalis pœnitentiæ abſtinentiarum, jejuniorumque neceſſitas oriri poterit: & multo magis, quia licet pœnitentia a confeſſario præcipiatur, & per hoc ſub ratione humani juris contineri videatur; quatenus tamen, non ut homo, ſed ut deus peccata audit, ac remittit, etiam ut deus ſatisfactorium opus imponere videtur; unde ſub hac ratione præceptum opus potius ad jus divinum, quam ad humanum pertinere dignoſcitur.

XL. Quoad obedientiam autem, directoribus debitam, non eo rigore, quo ſupra dictum eſt, abſtinentiarum, jejuniorumque neceſſitas oritur. Enim vero directoris nomine hic confeſſarium non intelligimus, ſed illum, qui ſpiritus magiſterium aſſumens, aliquem ad perfectionem dirigendum ſuſcipit. Et licet, ut plurimum, unus, idemque ſit confeſſarius, ac director, duplicis tamen officii munus in hoc ſecernitur; confeſſarii namque vices gerit, quando ſui pœnitentis ſacramentalem audiens confeſſionem, medicamina vulneribus applicare intendit; media ad evitanda peccata, in eorumque medelam præſcribens, aliqua ſatisfactoria opera, orationes ſcilicet, abſtinentias, jejunia, eleemosynas, ac ſimilia in peccatorum vindictam ſub ratione ſacramentalis pœnitentiæ imponit: Quod ſi non per ordinem ad ſacramentalem abſolutionem, ſed ad ſpiritus directionem, ejus audit ſive bonorum, ſive malorum operum confeſſionem, ut, animæ ſtatu cognito, ad perfectionis tramitem per ſalutaria monita dirigere valeat, tunc directoris vices agit; cujus obedientia ſub culpa ſecundum ſe non conſtringit, niſi ſub ratione directionis accederet poteſtatis ratio, ut in ſuperioribus Religionum, etiam erga novitios. Et ſane non omnis inobedientia eſt æquale peccatum. *Poteſt enim* juxta Angeli.

Abſtinentiarum, jejuniorumve neceſſitatem ex directoris obedientia non ſecundum ſe, ſed per accidens ac ſub alia ratione oriri poſſe declaramus.

licum 22. q. 105. art. 2. c. *una inobedientia esse gravior altera dupliciter : uno modo ex parte præcipientis ; quamvis enim omnem curam homo apponere debeat ad hoc quod cuilibet superiori obediat ; tamen magis est debitum, quod homo obediat superiori quam inferiori potestati* : Unde magis expedit obedire Pontifici, quam Episcopo ; magis Episcopo quam Parocho : Item magis Regi, quam Duci, &c. Licet ergo obedientia, quæ necessitatem imponat, a naturali, ac divino jure orta, ad parentes, ad publicas potestates, & in familiæ bonum, ac domesticorum regimen, ad eorum etiam caput, ac rectorem extendatur, vel etiam ad confessarium ; sub cujus ratione tamquam verus judex coram deo, & angelis ejus sententiam fert, pœnitentiale opus imponens ; director tamen, qua director est, neque per se, neque per alium suos alumnos obligare poterit, nullumque jus habet, ut obedientia ei præstetur. His autem non obstantibus, ex eo quod per obedientiæ transgressionem sui discipuli spiritualis profectus impediretur, vel, non præcognitis periculis, a perfectione decideret, directori non obediens ; inde, etsi secundum se, sub ratione scilicet directionis, obedientiæ necessitas non exurgat, qua director est ; pro bono tamen animæ suæ quædam veluti necessitas in discipulo exoritur ad ei obediendum, qui animæ suæ curam susceperit, cuique tamquam discipulum se instituendum tradiderit. Etsi igitur non stricto jure, lato tamen modo abstinentiarum, jejuniorumve in sensu exposito necessitatem etiam per directoris obedientiam ex quadam veluti tacita obedientiæ promissione oriri posse asserimus.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De Personis, quæ abstinentiarum, jejuniorumque necessitate ligantur.

Hujus capitis idea, ac structura proponitur.

I. Quia abstinentiarum, jejuniorumque necessitas sub duplici ratione considerari potest, vel relate scilicet ad intrinseca motiva, subjectum respicientia, vel relate ad subjectum, seu personas secundum se, abstinentiarum jejuniorumve legibus subjectas; idcirco explicata, seu potius superiori capite discussa abstinentiarum, jejuniorumque necessitate, quæ intrinseca subjectorum, seu abstinentium, sive jejunantium motiva, quoddam scilicet abstinendi, jejunandive jus passivum, sive obligationem, ex naturali, divino, humanove jure procedentem directe respiciat; in hoc capite abstinentiarum jejuniorumque necessitas, non secundum se considerata, seu subjecta, seu abstinentes, jejunantesque personas directe respiciens, proponitur, discutitur, ac resolvitur. Quæ igitur superiori capite quoad abstinentiarum jejuniorumque necessitatem relate ad personas tractanda supersunt, huc rejecta, discutienda judicavimus. Caput ergo istud tribus paragraphis distinctum in 1. abstinentiarum, jejuniorumque necessitatem relate ad personas, ex naturali jure ortam, investigat, discutit, ac resolvit; in 2. necessitatem, relate etiam ad personas, ex divino jure procedentem, ex theologicis & canonicis principiis discutiendam, ac resolvendam aggreditur; in 3. eorumdem necessitatem, relate similiter ad personas, ex humano jure provenientem, prius discussam proponere, ac resolvere satagit. Quæ sane principia, etsi ad jejunia, vel abstinentias applicata, ad aliorum etiam operum, discretione semper adhi-

adhibita, servataque proportione investigandam necessitatem, valere posse quis non videt?

§. I.

De Personis, quæ abstinentiarum, jejuniorumque necessitate ex naturali jure ligantur.

Rationis usum nondum habentes, abstinentiarum, jejuniorumve necessitate ex naturali jure non ligari discutitur, ac resolvitur.

II. Discussis cap. I. §. I. abstinentiarum, jejuniorumque necessitatis rationibus, ex naturali jure procedentibus, relate ad intrinseca motiva, animæ, corporisque bonum spectantia, in hoc paragrapho subjectum, seu personas, abstinentiis, jejunandive forma naturali necessitate ligandas designabimus. Et sane pueros, ac puellas rationis usum nondum attingentes, abstinentiarum, jejuniorumve necessitate, ex naturali jure procedente, non ligari, certum apud omnes reputatur: idemque dicendum, si adhuc, pueritiam excedentes, ad rationis usum non pervenerint, vel continuo privari dignoscuntur. Abstinentiarum namque, jejuniorumque necessitatem, ex naturali jure relate ad intrinseca motiva procedentem, in concupiscentiæ remedium, ad mentem elevandam, ad deo pro peccatis satisfaciendum ordinari supra discussimus. Illi ergo ad abstinentias, ac jejunia ex naturali jure obligari dicendi sunt, qui concupiscentiæ legibus premuntur; quique ex concupiscentiæ effectibus a mentis elevatione impediuntur; quique deo satisfacere pro peccatis tenentur. Qui autem pueri, vel puellæ rationis usum nondum attingunt, vel pueritiam excedentes, ad eum non perveniunt, vel continuo privantur; nec concupiscentiæ legibus premuntur, nec ejus effectus experiuntur, neque proinde ex culparum imperitia deo satisfacere tenentur. Qui igitur pueri, vel puellæ rationis usum nondum attigerint, vel pue-

ritiam excedentes, ad eum non pervenerint, vel continuo privantur, abstinentiarum, jejuniorumve necessitate relate ad intrinseca motiva in concupiscentiæ remedium; ad mentis elevationem, atque ad deo pro peccatis satisfaciendum, ex naturali jure procedente non ligantur.

III. Et quia juxta Angelicum 12. q. 1. Art. 1. c. *Actionum, quæ ab homine aguntur, illæ solæ proprie dicuntur humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus...... Est autem homo dominus suorum actuum per rationem, & voluntatem: unde & liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis, & rationis: Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* Quia igitur illi etsi adulti, quibus rationis usus deest, per rationem, & voluntatem non agunt; inde adulti, quibus rationis usus deest, suorum actuum domini non sunt. Illorum igitur actus non sunt hominis, in quantum homo. Quia ergo abstinentia, sive jejunium, quatenus actus virtutis sunt, fieri non possunt, nisi ab homine, in quantum homo est; illorum autem actus, quibus rationis usus deest, hominis actus non sunt, in quantum homines sunt; inde nec eorum abstinentia, sive jejunium hominis actus sunt, in quantum homines sunt. Non igitur eorum abstinentia, sive jejunium actus virtutis est. Illi ergo, qui rationis usu privati existunt, abstinentiarum, jejuniorumve necessitate, ex naturali jure provenientc ligari non possunt.

Idem dicendum de adultis, quibus rationis usus continuo deest:

IV. Quia igitur abstinentiarum, jejuniorumque necessitate relate ad intrinseca motiva ad concupiscentiam nempe reprimendam, ad mentem elevandam, ad deo pro peccatis satisfaciendum, ex naturali jure procedente, non nisi illi ligari di-

Quo sensu a septennio, ac supra rationis usum habentes, abstinentia-

cun-

rum, jejuniorumve necessitate ex naturali jure ligentur, expenditur.

cuntur, qui ratione ducti, ex *voluntate deliberata procedunt*. Septennes autem pueri rationis capaces sunt, ac proinde ex voluntate deliberata procedere possunt, cujus signum dentium expletio est, ex Hippocrate in 3. classe lib. de principiis in arg. n. 13. in fine littera c. dicente: *Pueri, septem annis præteritis, dentes explent, & in septem annis sunt & ratione, & numero exactæ hebdomades trecentæ, ac sexaginta* (potius dicerem: trecentæ, & sexaginta quinque hebdomades, & uno insuper die cum dimidio.) Inde fit, quod septennes pueri abstinentiarum, jejuniorumque necessitate, ex naturali jure procedente, ligari possunt. Advertendum tamen hic est, mentem nostram non esse, quasi septennes pueros, etsi doli capaces, non secus ac adolescentes, ac juvenes, sive natu majores ad abstinentias, vel jejunia, relate ad intrinseca motiva, ex naturali jure procendentia, obligare velimus. Cum enim hujusmodi obligatio ad reprimendam concupiscentiam, ejusque affectus impediendos, mentis elevationem, officia erga deum, ac proximum, quin immo & erga se ipsum retardantes, atque ad deo pro peccatis satisfaciendum, ordinetur; in septennibus autem pueris, vel puellis, etiamsi doli capaces sint, non adeo concupiscentia prævalet, ut abstinentiis, jejuniisve ad eam reprimendam opus sit; inde abstinentiarum jejuniorumque obligatio, ex naturali jure procedens, in septennibus pueris, vel puellis, etiamsi doli capacibus, sicut in adolescentibus, vel juvenibus, ac natu majoribus agnosci non debet. Intelligimus ergo in septennibus pueris, vel puellis doli capacibus ad abstinentias, sive jejunia relate ad intrinseca motiva, ex jure naturæ procedentia obligationem incipere. Quia autem gravis obligatio ex gravi periculo, vel ex lethali peccato oriri solet, ad quod perfecta ratio requiritur, quæ

in

in septennibus pueris, vel puellis etiam doli capacibus passim deest; inde fit, quod in septennibus pueris, vel puellis etiamsi doli capaces sint, ad abstinentias, vel jejunia ex naturali jure procedens gravis obligatio ut plurimum non consurgit: passim autem, auctis cum ratione ad peccandum periculis, etiam ad abstinentias, vel jejunia in sensu exposito obligationem consurgere tenendum est. Si igitur ad grave corporis, animæque damnum impediendum, ipsis notum, abstinentiæ, sive jejunia, ex naturali jure procedentia necessaria dignoscuntur, ad hujusmodi abstinentias, vel jejunia gravis ex ipsomet naturæ jure consurgit obligatio. Licet ergo adolescentes ex Ecclesiæ præcepto, nisi tertio elapso septennio, ad jejunia non teneatur; naturali tamen jure ad ea teneri dicendi sunt, si ad corporis, animæve salutem, tamquam medium necessaria judicentur. Qua ratione autem juvenes ante annum vigesimum primum ad jejunia, ex naturali jure procedentia, ad reprimendam nempe concupiscentiam, ad mentis elevationem, vel ad deo satisfaciendum ordinata non teneantur, si adhuc in senibus concupiscentiam exardescere, mentem obnubilare, voluntatemque a deo malitiose avertere ex Daniele innotescit? qui de senibus judicibus non minori auctoritate, quam malitia plenis cap. 13. v. 8. sic habet: *Et exarserunt in concupiscentiam ejus* (scilicet Susannæ) v. 9. *Et everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum*. Huc facit illud Prov. 29. v. 21. *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum* (scilicet corpus suum, ad serviendum nempe animæ datum), *postea sentiet eum contumacem*. Septennium autem non determinamus quasi tempus, ad rationis usum constitutum; sed tempus assignare intendimus, ad rationis usum, in

puc-

pueris, vel puellis ponendum, sufficiens. Cæterum sicut ante septennium rationis usus advenire poterit, ita & quandoque neque in septennio advenisse dignoscitur. Quocumque autem modo rationis usus deest, nulla pro tali statu vel ex naturæ jure orta, obligatione ligari tenendum est. Quia igitur gravis obligatio ad lethale peccatum, vel ad ejus periculum impediendum ordinatur; inde relate ad omnes, præcisive a positiva lege, gravis obligatio ad abstinentias, vel jejunia relate ad intrinseca motiva, ex naturali jure procedentia, ad concupiscentiam scilicet reprimendam, ad ejusque effectus, mentis elevationem officia erga deum, proximum, ac se ipsum implere retardantes, impediendos, atque ad deo satisfaciendum tunc ex naturali jure oriri dicenda est, cum ad talia, ac similia impedienda incommoda necessaria judicentur.

An obligatio in sensu exposito ex naturali jure in iis consurgat, de quibus dubium sit an rationis usus advenerit, discutitur, ac resolvitur.

V. Utrum autem in dubio usus rationis, ad abstinentias, vel jejunia ex jure naturæ in sensu exposito consurgat obligatio, theoretica tantum esse poterit quæstio, si de ipsismet procedit, quid agere debeant, de quibus an rationis usus advenerit, dubitatur. Si enim advenerit, tunc concupiscentiam, & ad malum inclinationem, ac boni, malique discretionem sentiunt; concupiscentiam autem, & ad malum inclinationem, ac boni, malique discretionem sentientes, ipsimet de proprio rationis usu dubitare non possunt. Si autem non advenerit, & tunc, cum nec concupiscentiam, nec ad malum inclinationem, nec boni, malique discretionem sentiant; ne dubium quidem, immo nec cogitatio de rationis usu subire ipsis poterit, ut patet. Quodque de pueris, vel puellis dictum est, etiam de perpetuo amentibus, vel ad tempus rationis usu carentibus, eo statu durante, dici debet. Si vero sermo sit de illis, quorum in-

intereſt, hujuſmodi pueros, vel puellas, natuve minores dirigere, ac moderari, practica quæſtio eſt: ad quod dicimus, illos, qui hujusmodi puerorum, ſive puellarum, natuve minorum curam gerunt, in dubio usus rationis ad abſtinentias, vel jejunia, ex naturali iure procedentia, obligare eos debere, ſi ea omittentes, grave peccatum, vel proximum ejus periculum dignoſcant incurſuros.

VI. Obligationem autem iſtam ad abſtinentias nempe, vel ejunia relate ad intrinſeca motiva, ad reprimendam ſcilicet concupiſcentiam, ad mentis elevationem, ſive conſervandam, ſive acquirendam, ad officia erga deum, proximum, ac ſeipſos explenda, atque ad deo ſat sfaciendum, ex naturali jure ortam, omnes, in hac vita degentes, etiam ſi perfecti ſint, ac Sancti, ex unanimi doctorum, & Eccleſiæ ſenſu ligare ſatis conſtat. Unde ex propoſitionibus a Clemente V. in concilio viennenſi damnatis inter alias, in ſuis decretalibus relatas de Hæreticis cap. *Ad noſtrum* damnatur propoſitio I. dicens: *Homo in vita præſenti tantum, & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit: nam (ut dicunt) ſiquis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri*. Inde ſequitur altera ſecundo loco poſita, ſimiliter damnata dicens: *Jejunare non oportet hominem, nec orare poſtquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui, & rationi ſubjecta, quod homo poteſt libere corpori concedere quicquid placet*. Similiter ab Innocentio XI. die 18. Auguſti, & 19. Nov. an. 1687. inter 68. Michaelis Molinos propoſitiones, damnatur propoſitio 57 dicens. *Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non peccan-*

Etiam perfecti abſtinentiarum, jejuniorumve ex naturali jure orta neceſſitate, ligari dicendi ſunt.

candi amplius, seu mortaliter, seu venialiter. Et propositio 14. dicens: *Qui resignatus est divinæ voluntati, non debet a deo quidquam petere, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est quodammodo velle, ut divina voluntas nostræ se conformet, & non nostra voluntati divinæ: Et illud: petite, & accipietis ex Evangelio non fuit dictum a Christo pro animabus infernis, quæ nolunt habere voluntatem; quin & istæ eo deveniunt, ut non possint a deo quidquam petere.* Quod sane quam temerarium, absurdumque sit sentire, vel asserere ex Trid. sess. 6. de justificatione can. 23. innotescit per illa verba: *Siquis hominem, semel justificatum, dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, nunquam vere fuisse justificatum; aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.* Et quidem merito; dum enim peregrinamur a domino, perfectionis status, peccandi impossibilitatem inducens, non datur. Unde Paulus, postquam justitiam ex fide Christi Jesu assecutum esse asseruerit, ad Phip. 3. v. 12. subjunxit: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem siquomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum a Christo Iesu.* Et pergit dicens *v.* 13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse; unum tamen, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora* (scilicet meliora, potiora, eligibiliora, perfectiora) *extendens me ipsum.* Et v. 14. *Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis dei in Christo Iesu.* Et 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

VII.

VII. Unde mortificatio nedum utilis, verum & necessaria a Christo domino declaratur; dissuadente enim Petro passionem, & mortem per illa verba Matt. 16. v. 22. *Absit a te domine: non erit tibi hoc.* v. 24. *Tunc Jesus dixit discipulis suis: siquis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quomodo ergo perfectionis status, in quo peccari amplius non possit, possibilis sit, si sequentibus Christum, in cujus sequela perfectio consistit, semper erit in hac vita necessaria mortificatio? Unde Joan. Epist. 1. cap. 1. v. 8. inquit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Apoc. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc*; Et *sanctus sanctificetur adhuc*. Quæ sane doctrina a Patribus semper retenta est, ut patet ex Aug. lib. de perfectione justitiæ cap. 3. dicente: *Tunc ergo erit plena justitia, quando plena sanctitas; tunc plena sanctitas, quando plena charitas; plenitudo enim legis charitas; tunc autem plena charitas, quando videbimus eum, sicuti est; Neque enim erit, quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad visionem* Et ex concilio carthaginensi anno 418. celebrato can. 6. in exposit. illorum verborum 1. Joan. 1. v. 8. *si dixerimus, quoniam peccatum* &c. sic habetur: *Item placuit, quod ait s. Joannes Apostolus, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit: Loquitur enim Apostolus, & adjungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici: poterat enim Apo-*

Idem ulterius comprobatur

Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est: sed cum ait: nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est, satis ostendit, eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum. Et can. 7. ejusdem concilii (secus vero milevitani concilii, cui perperam tribuitur, sicut & canon præcedens) dicitur: *Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant; quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in populo peccatores; & ideo non dicere unumquemque Sanctorum: dimitte mihi debita mea*, sed: *dimitte nobis debita nostra: ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur; anathema sit. Sanctus enim, & justus erat Apostolus Jacobus cum* dicebat cap. 3. v. 2. *In multis enim offendimus omnes; nam quare additum est: omnes? nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo* 142. *v.* 2. *ubi legitur: Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et in oratione sapientissimi Salomonis* 3. *Reg.* 8. *v.* 46. *Non est enim homo, qui non peccet*.

Idem ulterius confirmatur, roboratur, & concluditur.

VIII. Cujus etiam veritas ex Sanctorum sententiis dignoscitur. Unde Job. 14. v. 16. licet sanctus, simplex, rectus, ac timens deum, de se ipso tamen dicit: *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis*. Ac Daniel sanctus, ac justus simul cum aliis e suo populo peccatoribus sic coram deo protestatur cap. 9. v. 5. dicens: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, &c.* Et plura, atque innumerabilia sunt, quæ nedum ex sacra, verum & ex ecclesiastica historia sanctorum virorum adduci possent exempla, vere peccatores semetipsos confitentium.

Et

Et licet mortificatio per abstinentias, vel jejunia non sit secundum se perfectio, quia tamen sine abstinentiis, ac jejuniis indomita semper caro recalcitrat; inde sicut eorum necessitas ad perfectionis obstacula impedienda dignoscitur, ita etiam ad acquirendam, conservandamque perfectionem tamquam necessarium medium ab omnibus reputatur. Unde Cassianus collat. 1. cap. 7. post med. sic habet: *Igitur jejunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem*. Quis igitur timere non debeat, ne deficiat, si instanter non postulet, ut perseveret? Unde Trid. sessione 6. de justificat. cap. 13. sic eloquitur: *Scriptum est:* (scilicet Matt. 10. v. 22.) *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere*. Et post pauca subdit: *Verumtamen qui se existimant stare, videant, ne cadant, & cum timore, ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate*. Cumque, præsertim permanente temporalis pœnæ reatu, deo satisfacere per bona opera debeamus, dicente eodem Trident. loc. cit. can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit; anathema sit*; abstinentiæ autem, ac jejunia ad reprimendam concupiscentiam; ad mentem elevandam; atque ad deo satisfaciendum ordinentur; & in præsenti vita,

dum in via sumus, impeccabilitatis, vel summæ perfectionis status præsumi non possit; inde etiam relate ad eos, qui perfectioni studere contendunt, abstinentiarum, jejuniorumve, quæ ad mala impedienda, bonaque prosequenda tamquam media dignoscuntur, necessitatem, ex naturali jure in sensu supra exposito procedentem, admitti debere omnino tenendum est.

§. II.

De Personis, quæ abstinentiarum jejuniorumque necessitate ex divino jure ligantur.

Hujus paragraphi idea ac structura proposita, quinam relate ad intrinsecam voti naturam, eo ligari capaces sint, declaramus.

IX. Abstinentiarum, jejuniorumque necessitate, ex divino jure procedente, superiori cap. §. 2. demonstrata, eam in hoc §. ad personas applicare contendimus, quæ ex divino jure ligari possunt. Et certe ex divino jure ligare diximus votum, vel juramentum simplex, vel solemne, seu publicum, ac religiosam professionem. Omnes igitur divino jure ligantur, qui voto, vel juramento, aut religiosa professione detinentur. Et quia ad validum votum, secundum se consideratum, requiritur, ac sufficit deliberatio, propositum, ac promissio, ut superiori capite §. 2. discussimus; idcirco omnes illi ad votas abstinentias, ac vota jejunia divino jure ligari dicuntur, qui deliberandi, proponendi, ac promittendi capaces existunt. Deliberandi autem, proponendi, ac promittendi capacitas non ætatem, sed organorum corporis perfectionem requirit, quæ ad perfectum rationis usum sufficere possit. Omnes ergo, qui per interiorem organorum perfectionem perfecto rationis usu pollent, voto ligari capaces existunt; quod certe nedum in adolescentibus, vel natu majoribus, verum & in pueris, ac puellis passim inveniri potest. Unde indiscrimi-

mihatim dicitur Num. 30. v. 3. *Si quis virorum votum domino voverit; ... non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.*

X. Speciatim autem de personis loquens textus, quoad mulierem sub patria potestate constitutam, sic habet v. 4. *Mulier si quippiam voverit ..... quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum, quod pollicita est ... & tacuerit, voti rea erit.* Et v. 5. *quidquid pollicita est ..... opere complebit*: quod certe juxta aliquorum opinionem nedum de puellis, verum & de pueris sub cura parentum, vel tutorum, constitutis intelligi debet. Unde Angelicus 22. q. 88. art. 9. c. sic habet: *Est ergo dicendum, quod, si puer* (qui scilicet annum 14. non expleverit) *vel puella* (quæ scilicet annum 12 non compleverit) *ante pubertatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si vero ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem (quantum in ipso est) se obligare, sed votum ejus potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subjectus.* Quæ sane irritatio non eodem modo in puella, ac in puero procedit, ut passim innotescet, præsertim n. 18. Et licet, puella adhuc in ætate puellari, & sub cura patris constituta, si rationis capax sit, possit quoad actus elicitos, ab imperatis actibus non pendentes, imperatos nempe, apparentesque actus non exigentes, deo se obligare, ac valide vovere; valide enim vovere posset, deum passim præsentem cogitaturam, vel amoris actum eliciturum, ac similia; quoad illius tamen elicitos actus ab imperatis actibus dependentes, imperatos nempe, apparentesque actus exigentes, ut esset e. g. abstinentiarum, vel jejuniorum votum, ne patris jurisdictionem, ac potestatem læderet, obligari cum deo non posset, nisi patre consentiente. Unde licet

Voti obligatio quoad puellam, nisi ex consensu patris relate ad imperatos actus non consurgit.

quoad actum elicitum validum esset votum, quia tamen quoad actum imperatum, seu quoad ejus executionem, validum non esset, nisi sub conditione, quod pater consentiat; inde licet, emisso per actum elicitum abstinentiæ, vel jejunii voto, obligatio petendi consensum a patre in puella oriatur, eo tamen non obtento, conditione scilicet non purificata, abstinendi, seu jejunandi obligatio cessabit, nedum pro ætate puellari, si scilicet vovens puella fuerit, verum & nec in posterum servare tenebitur, cum clarissime, & apertissime de puella dicatur Num. 30. v. 6. *Si autem statim ut audierit, contradixerit pater*, scilicet puellæ *& vota ... ejus*, scilicet puellæ, *irrita erunt, nec obnoxia*, scilicet puella, *tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater*: Quæ sane voti irritatio in sensu exposito quoad actus externos, ut est jejunare, abstinere &c., ita in puella intelligi debet, ut ne quidem in occulto votum servare teneatur, immo potius peccaret contra patriam potestatem, a deo declaratam, si irritatum a patre votum servare conaretur, ut ulterius explicabitur.

Puellæ obligatio quoad votum ulterius discussa, concluditur.

XI. Et quia scriptura duo exigit, ut ex v. 4. dignoscitur, quod scilicet in puellari ætate voveat, & quod in domo patris existat; inde inferri videtur, quod si in puellari ætate abstinentiam, sive jejunium voveat, non tamen in domo patris existat (intellige: non tamen domum patris ulterius habitatura, nec sub ejus cura extitura sit; extra domum enim patris existens ad horam, vel infirmitatis, aut recreationis gratia, ejus cura a patre non abdicata, extra patris domum existere non intelligitur) vel si in sensu exposito in domo patris existat, non tamen in puellari ætate voveat; tunc non plene poterit pater votum irritare, sed solum voti executionem suspendere, seu, non secus ac tu-

tutor, vel familiæ caput impedire, si sibi, vel familiæ incommodum afferre dignosceret Quod si, ut audivit, statim non irritavit pater; & tunc etiam cum suo incommodo non amplius poterit pater voventem puellam in domo patris a voti executione impedire; et multo minus, illud irritare, nisi qua familiæ caput est, ad familiæ detrimentum impediendum non secus ac tutor, voti executionem moderari, vel suspendere. Quod si forte dicant aliqui, puellari ætate elapsa, emissum votum reviviscere; id certe sacræ Litteræ consonum non videtur, cum absolute dicat: quod *statim* contradicente patre, *irrita erunt*: nec puella *obnoxia tenebitur sponsioni*. Intelligi ergo doctores debent, obligationem ad hujusmodi vota reviviscere, puellari ætate elapsa, non quidem ex vi obligationis, in ætate puellari intentæ, & a patre in ætate puellari statim contradicente irritatæ, sed ex vi obligationis, quam post irritationem denuo in eadem licet puellari ætate, & in domo patris adhuc existens, concepit, patri non manifestatam, ac suo tempore implendam; vel quoad votum, puellari ætate elapsa, conceptum, et quoad executionem ob timorem patris suspensum. Si enim puella abstinentiarum, jejuniorumve, in puellari ætate, & in domo patris existens, votum emiserit, & a patre in eadem puellari ætate statim contradicente, irritum declaratum fuerit, illud in sensu exposito non confirmante, neque innovante puella, per patris statim factam contradictionem, puellæ in puellari ætate, & in domo patris existentis, mortua voti obligatio, adhuc puellari ætate elapsa, non reviviscit.

XII. Per hoc autem, quod Num. 30. v. 17. dicitur: *vel quæ manet in parentis domo*, ut esset nondum emancipata mulier, nec viro tradita, & in

Quicquid de puellæ voto dicitur, de muliere

puellari ætate elapsa non intelligitur: nec quicquid de muliere puellari ætate elapsa dicitur, ad juvenes extendi posse declaratur.

& in parentis custodia, & gubernatione constituta, non quicquid de puellæ voto n. 11. dictum est, etiam de muliere nondum emancipata nec viro tradita, & in parentum custodia, & gubernatione constituta dici debet. Animadvertere etiam placet hic, quod licet in superiori expositione n. 10. quicquid de puella scriptura dicat, etiam de puero dicendum intendant doctores, propter paritatem scilicet rationis, communemque, ferme dicam, doctorum sensum, ac non paucorum confessariorum, ac spiritus moderatorum praxim, ut passim discutiemus; quod autem v. 17. de muliere, puellari ætate elapsa, et si in domo patris, sive curatoris constituta, nec viro tradita nuper diximus ad juvenes, ad pueros nempe, puerili ætate elapsa, extendi non debet, cum in hoc Ecclesiæ sensus his favere non videatur. (vide infra n. 16. ad 18.)

Voti obligatio quoad mulierem sub viri licet absentis, potestate constitutam proponitur, ac resolvitur.

XIII. De muliere autem (vide infra n. 19. ad 23.) sub viri, licet absentis, potestate sic habetur v. 7. Si *maritum habuerit, & voverit aliquid...*: v. 8. *Quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque, quodcunque promiserat.* Si ergo mulier, virum habens, etsi absentem, abstinentiarum, jejuniorumve votum emiserit, hujus voti nondum conscio facto viro, ad illud jure divino tenebitur: Viro autem suo etsi absente, voti conscio facto, statim non contradicente, voto ligata remanebit mulier; eo autem statim contradicente, a voti obligatione quoad executionem liberabitur, usque dum consenserit vir ejus.

Voti obligatio quoad mulierem in domo viri existentem; nec non &

XIV. De muliere vero (vide infra n. 19. ad 23.) virum habente, & in domo viri existente sic prosequitur textus v. 11. *Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit.... v. 12. si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet*

quo-

quodcunque promiserat. Inde abstinentiarum, sive jejuniorum votum emittens mulier virum habens, in ejusque domo existens, & audiens vir statim non contradixerit, vel tacuerit, cum contradicere potuerit, voto ligata remanebit; quod si, ut audierit vir ejus, statim contradixerit, ad votas abstinentias, vel jejunia non tenebitur. Unde de utraque muliere virum habente; cum de ea scilicet, cujus vir absens fuerit, tum de muliere, cujus vir domi existat, pro ut textus intelligentia videtur exponenda, nostro instituto propius accedens littera, sic habet n. 30 v. 14. Si mulier *voverit .... ut per jejunium, vel caterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, ut faciat, sive non faciat*. Voti nempe obligatio quoad executionem suspenditur, usque dum vir consentiat, non enim dicitur sicut de puella v. 6. *Nec obnoxia tenebitur sponsioni*; & quoad mulierem sequitur v. 15. *Quod si audiens vir, tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quid quid voverat, atque promiserat, reddet: quia statim ut audivit, tacuit*. Quoad viduas autem, ac repudiatas v. 10. sic legitur: *vidua, & repudiata quidquid voverint, reddent*. quoad viduam proponitur, ac resolvitur.

XV. Licet autem quæ adducta sunt, ex lege veteri adducta sint; quia tamen eadem est voti ratio de viduis, in lege nova vidualem statum servantibus, ac de mulieribus, etsi virum habentibus, per judicis tamen sententiam a propriis viris separatis, & per hoc ab eorum jurisdictione quoad servanda vota in sua libertate constitutis; inde mulier, sive vidua, sive repudiata, seu potius a viro suo separata, & per hoc in sua libertate quoad voti abservantiam constituta, ad votas abstinentias, sive jejunia servanda ligata remanebit. Non absimiliter adhuc in nova lege verum est, quod, si mulier adhuc in ætate puellari Quæ voti obligatio in veteri lege indicta, ac declarata est, etiam in nova lege perseverare dicenda est.

in domo patris exiſtens, abſtinentias voverit, vel jejunium, & ſciens pater tacuerit, ad votam abſtinentiam, vel jejunium ſimiliter tenebitur: Et ſicuti, ſi ſtatim ut audierit pater, contradixerit, vota abſtinentia, vel jejunio non ligatur; ita quia exceptio firmat regulam in contrarium, & textus tria nominat: puellarem nempe ætatem; in domo patris exiſtentiam; & patrem vel tacentem, vel ſtatim contradicentem; inde oritur, quod ſi mu. lier in domo patris exiſtens poſt puellarem ætatem, anno ſcilicet elapso ætatis ſuæ 12., abſtinentiam voverit, vel jejunium, ad hujuſmodi votum tenebitur, nec a patre irritari poterit; eodemque divino jure ligabitur, ſi in puellari ætate vovens, in domo patris, in ſenſu num. 11. expoſito, non exiſtat.

Quæ dicta ſunt, iterum quoad voti puellæ irritationem, vel obligationem reaſſumpta, per critices regulas diſcutiuntur, ac reſolvuntur.

XVI. Ut autem doctorum opinionibus (vide n. 10.) ſatisfaciam, qui confuſis quandoque oblocutionibus quoad hoc loqui ſolent, congruum videtur, ſic iterum quæ dicta ſunt, reaſſumere. Puella igitur in puellari ætate, adhuc in domo patris exiſtens, aliquid, ſive abſtinentias vovens, vel jejunium, ſtatim quoad actus elicitos, ad illud, ſive ad votam abſtinentiam, vel jejunium obligabitur; immo & voti ream ſe reputare debebit, ſi poſt emiſſum per actus elicitos votum non ſervaturam quoad actus imperatos, mutata voluntate, proponeret, etiam ſi pater ejus conſentiret; idemque dicendum, ſi, ut a voti executione eximeretur, patri non manifeſtaret, quia conſenſurum judicaret: quin immo juxta voventis mentem etiam quoad imperatos actus ad obſervantiam tenebitur, uſque dum conſcius pater ejus fiat. Et quia conſcio facto patre, a voluntate patris pendet quoad actus imperatos, ſeu externos, voti obſervantia, voti ſcilicet obligationem confirmare, vel abſea per voti irritationem in ſenſu

ex-

expoſito omnino eximere; inde fit, quod conſcio facto patre, ſi tacuerit, & non contradixerit, ad voti executionem etiam per imperatos actus, ſive ad votam abſtinentiam, vel jejunium jure divino ligata remanebit puella; Si vero ſtatim contradixerit, ſtatim ſimiliter a voti obligatione, quæ imperatos, ſeu externos actus exigat, per voti irritationem eximeretur. Irritato autem a patre voto, hujus obligatio, quæ imperatos actus quoad executionem exigat, etiam quoad actus elicitos non ſuſpenditur, ſed omnino ſupprimitur, ac ceſſat; nec proinde patre mortuo, vel puellari ætate tranſacta, vel ſi poſt voti irritationem extra patris domum exiſtat, reviviſceret; cum abſolute textus dicat ſtatim contradicente patre, irritum evaſurum votum, nec ſponſioni obnoxiam remanſuram mulierem: Si enim poſt patris mortem, vel, eo vivente, poſt irritationem extra patris domum exiſtente puella, vel vivente patre, in ejuſque domo exiſtente puella, puellari tamen ætate tranſacta, voti obligatio in puellari ætate emiſſi a puella, in domo patris tunc exiſtente, cui pater ſtatim contradixerit, ſic poſito caſu, reviviſceret votum, non irritum per patris contradictionem diceretur, ſed potius in domo patris exiſtente puella, eoque ſtatim contradicente, ac nondum puellari ætate elapſa, ejus obligatio ſuſpenſa declararetur, ſi aliquando ſponſioni obnoxia remaneret puella: quæ ſane expoſitio ſacro textui non cohæret. Et licet eliciti, ſeu actus interni ab alterius juriſdictione non pendeant, quia tamen irrito quoad imperatos actus per patris contradictionem evadente voto, futile eſſet aſſerere, obligationem remanere quoad actus elicitos ſervandi jejunium, abſtinentias, peregrinationem, viſitationes, &c. quæ ſine externis actibus impleri non poſſunt; inde neque quoad internos, ſeu

ſeu elicitos actus perſeverat, vel reviviſcit obligatio quoad voti a patre irriti declarati materiam, quæ in ejus executione externos, ſeu imperatos actus neceſſario exigat:ſecus vero dicendum quoad votum, cujus executio imperatos actus neceſſario non exigat, ut eſſet votum e. g. quinquies per diem divini amoris, vel contritionis, ac ſimiles actus eliciendi; licet enim hi actus etiam per imperatos, ſeu externos actus, uti ſunt verba, contuſiones, &c. ut plurimum agi ſoleant; hujuſmodi tamen ex ſua natura non exigunt, nec proinde patria poteſtas læderetur, ſi, aut conſcio, aut inſcio, vel conſentiente, vel contradicente patre, exercerentur a puella per hujuſmodi votum adhuc in puellari ætate emiſſum, & in domo patris exiſtente: ad hæc proinde, ac ſimilia vota, quæ actus externos ſecundum ſe non exigunt, adhuc in puellari ætate a puella in domo patris exiſtente emiſſa, ſive conſcio, vel inſcio, ſive contradicente, ſive tacente patre, ſtatim ſervanda teneretur puella. Ac propter eamdem rationem, quia ſcilicet exceptio firmat regulam in contrarium, & textus de patre contradicente loquitur; inde fit, quod, ſi mulier, licet in puellari ætate, in domo patris exiſtens, abſtinentiæ, vel jejunii votum emitteret, inſcio, vel tacente, aut conſentiente patre, per matris, vel cujuſcunque alterius diſſenſum a voti obligatione ne quidem quoad actus imperatos eximeretur; ad votam proinde abſtinentiam, vel jejunium, vel aliud obligata remaneret; etſi cæteroquin quoad voti executionem ad evitanda familiæ incommoda impediri poſſit, ac ſuſpendi, ſi ſui juris puella non exiſteret: Ad voti ſimiliter obſervantiam teneretur, etiam ſi in puellari ætate vovens, & in domo patris exiſtens, pater vero voti inſcius moreretur; vel ſi puellæ curam alii committeret voti ſimi-

similiter inscius, & sive per officium, sive per exilium, vel aliud quodcunque extra illius, cui puellæ curam commiserit, domum pater puellæ moraretur. Voti igitur obligatione ligabitur puella, si extra patris domum in sensu n. 11. exposito existens, voveret; etsi cæteroquin pater, voti conscius factus, puellæ, quæ extra suam domum aliorum curæ commissa spoponderit, contradicens, extra patris domum puellæ remanentis votum irritare conaretur: Eadem similiter voti obligatione teneretur mulier, si in domo patris existens, puellari tamen ætate transacta, abstinentiæ, sive jejunii votum emitteret; sive cæteroquin consentiente patre, sive contradicente; etsi quoad familiæ regimen ad evitanda incommoda posset ut familiæ caput, filiæ votum quoad executionem suspendere, vel moderari, secus vero irritare; Nullam autem jurisdictionem ne quidem in patre, neque quoad puellam &c. agnoscere fas est, quoad illa vota, quæ actus imperatos secundum se non exigant, ad quorum proinde executionem, etsi puella, statim ligata remaneret, ut passim dictum est.

Utrum autem illud num. 30. de puellæ voto, in ætate puellari emisso, & in domo patris existentis, *ita intelligi possit*, *ut*, etiamsi pater, ut audierit, tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam, vel ex aliqua inadvertentia non statim contradixerit, re tamen melius considerata, postmodum se contradicere judicans, suæ puellæ votum, vel juramentum *irritum reddat*, textui consonum non videtur: Cum enim *potestas irritandi vota, & juramenta absque speciali motivo, sed ad placitum sit singularis*, & contra commune jus, & contra Ecclesiæ consuetudinem existat, secundum quod, seu secundum quam non nisi cum validissima tantum ratione, dispensandi, vel com-

commutationem, cum dispensatione conjunctam adhibendi tradita supremis potestatibus agnoscatur facultas, *stricte*, *non late est interpretanda*. Ne autem nostram, textui licet magis consonam, nostroque judicio tenendam, aliquorum sententiæ præferre videamur, eam doctiorum conscientiæ relinquimus discutiendam.

Voti puellæ irritatio, sive obligatio sub alia ratione discutitur, ac resolvitur.

XVII. Difficilior autem solutio erit an mulier in puellari ætate, & in domo patris existens, abstinentiam, jejunium, vel aliud vovens, quod similiter actus externos secundum se exigat, patre semper inscio, puellari autem ætate transacta, voti filiæ conscio facto, & statim contradicente, a vota abstinentia, vel jejunio, vel aliquo alio eximeretur? Ad quod dicimus, quod si puella, quod in puellari ætate votum emiserit, puellari ætate transacta, ratum illud habuerit, pater, puellari ætate elapsa, conscius factus, illud irritare amplius non poterit: cum enim per novum illum consensum, post transactam puellarem ætatem habitum, non amplius ut votum in puellari ætate, sed post eam reputetur emissum; Inde fit, quod pater puellæ illius voti, etsi in puellari ætate ab ea in ejus domo existente emissi, licet omnino inscius extiterit, transacta puellari ætate, conscius factus, illud irritare amplius non valebit; ad votam proinde abstinentiam, vel jejunium, vel aliquid aliud, etiam externos actus exigens, etiamsi statim post voti scientiam contradixerit pater, jure divino ligata remanebit mulier. Item si mulier, in domo patris existens, abstinentiam, vel jejunium, vel aliud, externos seu imperatos actus secundum se exigens, in puellari ætate vovens, illud, patre inscio, etiamsi puellari ætate transacta, servasset, nullo tamen habito ultra puellarem ætatem novo consensu servandi votum, sed ex priori tantum consensu,

in

in puellari ætate habito, etiam ea transacta, votum servaverit; & tunc, puellari ætate elapsa, conscius factus pater non videtur posse illud irritare; ejus enim potestas quoad irritationem ultra puellarum ætatem non extenditur. Hæc autem puellæ votum, in puellari ætate emissum, irritandi facultas omnino adempta patri intelligitur, ubi patris voluntas præcesserit; ut esset, si forte pater ad obtinendam puellæ sanitatem, vel futuræ prolis bonam indolem, educationem &c. votum a puella, vel futura prole suo tempore exequendum emiserit; eo enim puellæ, seu natæ jam proli manifestato, si puella postquam convaluerit, vel jam nata proles, apto tempore voti a patre emissi ab ipsa tamen servandi conscia facta, etsi in puellari ætate existens, servando voto consentiens, ad illud servandum teneretur; neque hujusmodi puellæ votum, etsi adhuc in puellari ætate, & in domo patris existentis, posset pater irritare, immo etiam, contradicente patre, ad illud servandum teneretur mulier, si votum a patre in sensu exposito emissum, ut audierit libere, ac plena deliberatione servaturam consenserit. Contra vero: si pater puellæ, in ejus domo existenti, vovere omnino prohibuerit, quocunque voto, quod externos actus exigat in puellari ætate emisso, & in domo patris existens puella, se constringere intenderit, etiamsi non sit conscius pater, nullo modo ligabitur: cum enim per generalem vovendi prohibitionem in sensu exposito a patre factam vovendi incapax evaserit puella, ad voti obligationem minime contrahendam specialis patris contradictio requiri non videtur. Quod si ex opposito puellæ pater generali facultate vovere permiserit; & tunc puellæ, etsi in puellari ætate, & in domo patris existentis vota, a tempore datæ facultatis emissa, etiam

ea,

ea, quæ imperatos actus secundum se exigunt, juxta patris facultatem puellæ concessam, valida erunt, ac proinde ad ea servanda teneretur mulier, nec a patre, etiam in puellari ætate adhuc existente muliere, hujusmodi vota irritari poterunt. Non casu autem votorum discretionem assignavimus, quoad illa scilicet, quæ per solos actus elicitos, seu absque imperatis, seu externis actibus secundum se considerata impleri possunt, & quoad illa, quæ ultra elicitos actus, externos, seu imperatos actus exigunt. Quia enim quoad internos actus nulli intelligitur adempta facultas, inde etiam puella, in domo patris existens, & puellari ætate vovens e. g. passim actus amoris dei elicere, vel alia hujusmodi, quæ externos, seu imperatos actus secundum se non exigunt, sive inscio, sive conscio; consentiente, sive contradicente patre, ad hujusmodi vota servanda constringeretur. E contra: dicentes, quod puella, ut nuper exposuimus, ex generali facultate, a patre data, vovens, etiam ad ea vota, quæ imperatos actus exigunt, servanda, adhuc contradicente patre teneretur, nullo modo intelligimus, ad voti executionem obligari, si hujusmodi votum in sui observantia difformitatem includeret, ut esset, si puella ex generali habita facultate peregrinationes voveret, vel aliquid familiæ inordinatum promitteret observandum; idemque valet pro omni voto, etiam a quocunque emisso, & sui juris existente, quoties voti materia vel non est deo grata, vel per accidens non amplius deo grata dignoscatur; in quo ac similibus vel exemptio, vel dispensationis, aut commutationis onus emergit, ut parte 2. satis abunde datis principiis observari poterit; interim tamen quoad voti valorem, ejusque conditiones vide supra cap. 1. §. 2.

XVIII.

XVIII. Et quia textus de puella loquitur, non de pueris; inde, licet puer in puerili ætate, antequam scilicet decimum quartum suæ ætatis annum expleverit in domo patris existens, abstinentiam voverit, vel jejunium, vel aliquid aliud, ad ejus observantiam nedum per actus elicitos, per internos nempe voluntatis actus, verum & per imperatos, per abstinentiam scilicet, jejuniive executionem jure divino teneri dicendus est, sive cæteroquin conscius factus pater statim contradicat, sive consentiat. Ne autem hujusmodi solutio doctorum sententiis tuto sequendis, appositis tamen rationibus non innixis, opponi videatur, expositionem adjicimus. Et certe oportet quoad hoc voti obligationem distinguere, quantum nempe est ex parte voventis, & quantum ex parte displicentiæ & incommodi, quod per voti observationem inferri familiæ poterit: quantum est ergo ex parte voventis pueri, tenetur puer adhuc in puerili ætate in domo patris existens, abstinentiam, vel jejunium, aut aliud vovens, illud velle servare; si enim per actus elicitos nollet, vel vellet illud non servare, servatu possibile, voti reus erit: quantum autem ad actus imperatos, ad voti nempe e. g. jejunii, vel abstinentiæ executionem, tenetur illud exequi abstinere scilicet, vel jejunare, vel aliud implere quod deo sub voti ratione promisit, si voti executio servatu possibilis sit. Quod si per actus imperatos, per abstinentiam scilicet, vel jejunium, voti executio incommodum, turbationem, vel aliud gravamen familiæ inferret, eamque conturbaret, tunc posset pater illius voti executionem impedire, non quatenus puer est, sed quatenus familiæ pars sibi subjecta; neque hujusmodi voti executio deo grata cum alterius incommodo dignoscitur; nec proinde validum est votum cum alterius

Voti puerorum obligatio, sive irritatio proponitur, discutitur, ac resolvitur.

rius detrimento, quod aliorum paci, quæ ad charitatem pertinet, opponatur; & multo magis si incommodum illius sit, qui familiæ caput existens, huic incommodo consentire nollet. Et quia non esset isthæc voti irritatio, sed potius ejus obligationis quoad imperatos actus suspensio; inde qui votum sic emiserit, tenetur interim per actus elicitos votum servare, voluntatem scilicet habere votum quoad actus imperatos servandi, quando & quomodo sine alterius detrimento sibi possibile sit. Quod si pater facto voto, vel faciendo consenserit, quoniam adhuc cum suo incommodo executionem impedire amplius non poterit, tunc puer, adhuc mutata postmodum patris voluntate, eoque contradicente, ad voti executionem, ad votam e. g. abstinentiam, vel jejunium, vel aliud servatu possibile jure divinò tenebitur; nisi in tantum increscerct familiæ incommodum ut ex alio capite voti executio suspenderetur. Et licet quod de puella asseritur, de puero dici debere ut plurimum doctores doceant, cui opinioni adhærere videtur Angelicus, ut supra n. 10. innuimus; quia tamen scriptura de puella loquens, non patris incommodum, sed jurisdictionem erga puellæ votum assignat, patrisque voluntatem ad voti puellæ irritationem sufficere declarat, ita ut, eo statim contradicente, nullo modo sponsioni *obnoxia* remaneret puella, quod non de puero dicitur; idcirco eo quod respectu pueri, adhuc in puerili ætate voventis, & in domo patris existentis potestas quoad hoc a deo collata per modum absolutæ jurisdictionis, seu pro voluntatis arbitrio, sicut erga puellam, non innotescit, sed tantum ex rationabili caussa, si scilicet pueri votum ipsi, vel familiæ incommodum afferret, propter quod deo grata pro tali tempore voti executio non dignoscitur; inde si pueri

pueri voto pater non consentiret, immo & contradiceret, non proinde irritum redderet pueri votum, sed remanente quoad elicitos actus obligatione, sic posset puerum a voti executione impedire, ejusque suspendere obligationem, sicut posset quilibet a voti executione aliquem impedire, si ipso inscio, & non consentiente, voti executio sibi, vel familiæ incommodum afferret: idque eo semper sensu intelligi debet, quo familiæ caput, statim ac conscium factum contradicat; si enim statim non contradixerit, pro voti observantia sui pueri, vel cujuslibet quoad familiæ regimen sibi etiam quoad vitæ sustentationem subjecti insistere debebit; servatis semper Theologicis regulis, nisi scilicet de novo insurgeret ex voti observantia notabile incommodum, propter quod deo grata executio non amplius dignoscatur, ut in cujus libet voti observantia intelligi debet, ut semper supponimus. Quodque de puero dictum est, etiam de puella, puellari ætate transacta, vovente, ac de quocunque, sive muliere, sive viro, cujuscunque ætatis existat, qui a patre, matre, tutore, curatore, si tutoris etiam rationem habeat, voventis nempe personæ regimen suscipiens, vel ab alio quocunque tanquam filius, vel filia in sua familia regitur, ac sustentatur, dici debet: quæ certe minime discernentes non pauci, ac specialem, atque expressam patris jurisdictionem, puellæ vota, puellari ætate emissa, dum in domo patris existeret, in sensu passim exposito irritandi cum generali erga filios, ac sibi subjectam familiam jurisdictione confundentes, in varias, atque intricatas, ac forte insubsistentes, vel plene laxas, vel nimis arctas quoad præsens abiere sententias.

XIX. Quoad mulierem autem, maritum habentem, videtur dicendum, quod, si mulier virum ha- Voti obligatio, vel suspensio rela-

 ha-

te ad mulierem, virum habentem, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

habens sive absentem, sive non, sive in domo viri existat, sive non, abstinentias voverit, jejunium, vel aliquid aliud, si, ut audierit vir ejus, tacuerit, vel statim non contradixerit, ad votam abstinentiam &c. jure divino tenebitur; quod si statim ut audierit, contradixerit, quoad voti executionem jure divino non ligabitur. Nec mirum: cum enim mulieri, virum habenti, quatenus originalis peccati occasio extiterit, absolute dictum a deo sit Gen. 3. v. 16. *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*; inde in peccati vindictam, diminuta facultate, virum habens, ad obligationem, etiam cum deo contrahendam, absque sui viri expresso, vel tacito consensu incapax constituta est. Et licet doctores cum divo Thoma in supplem. q. 64. art. 4. hanc mulieris sub viro constitutæ subjectionem de voto, conjugale commercium lædente, explicare velint, secus vero de aliis, quæ secundum se imperatos actus exigunt; id tamen nec rationi, nec scripturis cohærere videtur. Cum enim quoad conjugale debitum sive reddendum, sive petendum æquales sint vir, & mulier, rationi consonum non est dicere, mulierem sub viro constitutam, ad votam debiti conjugalis abstinentiam non teneri sine viri consensu; cum hujusmodi abstinentiæ votum nec virum ligaret sine mulieris consensu. Si ergo in scriptura non de viro, sed de muliere tantum dicitur: *sub viri potestate eris*, inde ejus subjectio quoad virum suum etiam circa ea, ad conjugale debitum non pertinentia extendi videtur. Ad uberiorem autem hujusmodi expositionem distinguere oportet actus elicitos ab imperatis; & quidem posse mulierem, etiam sub viri potestate constitutam, per actus elicitos, ab imperatis actibus omnino non pendentes, deo per votum obligari, nemini dubium esse poterit; unde absque viri consensu, sive etiam dis-

dissentiente, sive contradicente viro, vovere poterit mulier divini amoris actum e. g. per singulas horas elicere, spiritualem communionem facere &c. Cum enim subjectio viro debita, adhuc sub universali ratione intellecta, viro præstanda sit, ne ejus in suam mulierem a deo collata, lædatur potestas; ac per hujusmodi elicitos actus, ab imperatis actibus quoad voti executionem secundum se non pendentes, neque eorum usum necessario exigentes, nullo modo ejus potestas lædatur; inde est, quod hujusmodi subjectio ad elicitos mulieris actus ab imperatis actibus minime pendentes, neque eorum usum necessario exigentes, impediendos non extenditur: Quod actus autem elicitos, imperatorum actuum usum secundum se exigentes, quatenus viri potestatem diminuere, ac lædere possent, potest a viro exigi quoad illorum executionem mulieris subjectio, quoad voti scilicet executionem.

XX. Utque ad nostrum institutum transferamus argumentum, sic ratiocinari placet: quia abstinentiæ vel jejunii votum (idemque dicendum de alia quacunque re, a muliere virum habente, deo vota, quæ imperatos actus quoad executionem exigat) quoad intentionem sub ratione elicitorum est, quantum vero ad executionem, sub ratione imperatorum, sive externorum, per externas nempe potentias exequendum, inde fit, quod abstinentiam, jejunium, vel aliquid aliud, etiam quoad executionem imperatos actus exigens, vovere potest mulier sine viri consensu, et validum esset votum secundum actus elicitos, ita ut peccaret, si cogitans virum suum consensurum, neque contradicturum, illud reticens, mutata voluntate, observare nollet, vel servare non vellet; quia vero hujusmodi abstinentiam, vel jejunium, vel aliud votum, externos, seu imperatos actus exi-

Quæ relate ad votum mulieris, virum habentis, dicta sunt, ad praxim applicantur.

exigens, exequi non potest, contradicente viro; inde quoad actus imperatos, seu quoad ejus executionem validum non esset, viro contradicente; ab ejus proinde executione a die, qua vir sciens, statim contradixerit, suspenderetur: nec casu dictum est: *viro contradicente*; tenetur enim mulier, similia vovens, etiam imperatos actus exigentia, ne obligationi suæ per actus elicitos cum deo contractæ deesset, eo tempore, quo vir ejus conscius nondum esset, pro posse satisfacere; quod si non plene sine viri conscientia posset illud implere, teneretur virum suum conscium facere, placidisque precibus, minime importunis, ad consentiendum allicere; quod si, ut audierit, statim contradixerit, suspensa per illius contradictionem quoad imperatos actus obligatione, ab ejus executione, viri contradictione durante, eximeretur mulier. Si vero post contradictionem vir suus consentiat, voti obligatio etiam quoad imperatos actus, seu quoad executionem reviviscit, nec poterit vir, postquam consenserit, a voti executione uxorem impedire; imo post viri censensum obligatio etiam quoad imperatos actus reviviscit, instauraturque etsi toto vitæ tuæ tempore contradixerit, & mortuus tandem fuerit, vel rationabilibus caussis a viro separata, sui juris existeret mulier.

Quæ dicta sunt, ulterius dilucidantur.

XXI. Neque prædicta, nova videri poterunt, cum ex Num. 30. eruta clarissime dignoscantur. Licet ergo doctores, voti obligationem considerantes, hanc mulieris subjectionem limitent quoad votum, conjugale debitum lædens, vel domus gubernationem conturbans; id tamen dicunt solum considerantes, gratum non esse deo votum (vide n. 18. & 19.) cum gravi alterius præjudicio, vel gravamine, non vero attendunt, nec gratum esse deo votum cum alterius præjudicio, vel gra-

gravamine,licet levi indebite illato. Votum autem, actum imperatum exigens, si, invito viro, executioni detur, viri potestatem supra suam mulierem lædit. Unde abstinentias vel jejunium, vel aliquid aliud vovens mulier, externos actus exigens, licet quoad actum elicitum nullum afferat viro suo gravamen, quia tamen quoad actum imperatum, quoad hujusmodi nempe voti executionem viro suo gravamen affert, saltem ex eo, quod in suam mulierem potestatem ac dominium, a deo concessum, minui advertens, displicentiam concipit; inde est, quod, licet quoad actum elicitum, gratum deo sit abstinendi, jejunandi, vel aliud faciendi votum, imperatos actus exigens, nullo tamen modo quoad ejus executionem gratum deo esse poterit, invito viro, si scilicet vir, ut audierit, contradixerit: contra vero si contradicere procrastinaverit vir ejus; tunc enim statim voti obligatio etiam quoad actus externos confirmatur. Nec prætereundum, quod dicitur Num. 30. v. 15. *Quod si audiens vir, tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam, quidquid voverat, atque promiserat, reddet; quia statim, ut audivit, tacuit*: v. 16. *sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus*. Licet autem postquam tacuerit, validum etiam quoad executionem evaserit mulieris votum; si tamen maritus, mutata sententia, voti mulieris executionem impediret, peccabit quidem maritus, postquam tacuerit, & consenserit, sine rationabili, ac sufficienti caussa postmodum voti mulieris executionem impediens; mulier tamen voti executionem interrumpens, non peccabit, ob viri nempe potestatem in mulierem. Et quatenus viri potestas in mulierem proprie non est illius vota irritandi, sed tantum eorum, quæ externos actus exigunt, executionem impediendi, etiam toto tem-

tempore vitæ ipsius viri, sub hac semper conditione, ut, statim ut audierit, contradixerit; inde fit, quod, capta occasione, viri sui obtento consensu, vel post ejus mortem sui voti obligatio quoad imperatos actus revivisciti:nec vidua effecta muliere, poterit vir posterior hujusmodi votum quoad executionem suspendere;quod nempe tempore prioris viri deo promiserat, si ante secundas nuptias, secum ipso contrahendas, voti conscius eam acceperit. His autem non obstantibus quia mulieris subjectio etiam erga virum secundum residet; inde de votis, quæ imperatos actus exigunt, tempore secundi viri deo factis, eodem modo discurrendum est, ac de potestate primi viri quoad vota tempore matrimonii a sua muliere emissa; de votis autem, quibus ligata mulier ante matrimonium cum secundo viro contractum, invenitur, plena potestas impediendi executionem, ne quidem in primo viro in sensu exposito videtur agnoscenda, nisi statim audiens, contradixerit; ac proinde, quamvis ut audierit, etiam post contractum matrimonium, statim contradixerit, non proinde immunis a votorum executione,quæ ante matrimonium emiserat, remanebit mulier, cum extra jus viri existens, sine injuria virilis potestatis ligata inveniatur, ac deo obligata: contra ac dici debet de votis, post contractum matrimonium emissis: viro enim,statim,ut audivit contradicente, nullo modo obligata est mulier quoad executionem, quæ deo accepta quasi sub conditione intelligitur, si scilicet vir, statim ut audierit, non contradixerit; quod de votis ante matrimonium emissis, atque in suo robore consideratis, dici non poterit. Potestas igitur viri sive prioris, sive posterioris, sive tertii, quarti, &c. relate ad vota ante contractum respective matrimonium emissa, etsi non ea admittenda videatur,qua possit, statim

ut

ut audierit, pro sui arbitrio contradicere, ea tamen etiam quoad hujusmodi vota, ante matrimonium emissa, admittenda est in primo, secundo &c. respective viris erga suam mulierem potestas, quæ pro bono familiæ suæ regimine, aliisque juxta theologicas rationes pensatis circumstantiis, admittenda dignoscitur. Nullo tamen, modo ut minus caute sentire quis poterit, voti mulieris irritatio, sed tantum quoad executionem suspensio etiam quoad viri potestatem in mulierem in his, ac similibus circumstantiis intelligi debet; in quantum his, illisve positis, vel cum injuria virilis potestatis deo grata non dignoscitur votorum executio.

Proposita doctrina ulterius confirmatur.

XXII. Et quia ad veritatem inquirendam, scripturæ, ac traditioni consona, rei, de qua inquiritur, assignari debet expositio; scriptura autem Num. 30. plus jurisdictionis quoad puellæ votum in patre, quam quoad mulieris votum in viro assignat; inde ad hujusmodi voti mulieris complendam scripturæ consonam solutionem, dicendum videtur, quod, quocunque casu poterit vir mulieris votum licite quoad executionem impedire, id non de omnimoda suæ mulieris voti irritatione, qua posita, nunquam illud revivisceret, sed solum quoad actus imperatos ad tempus, perseverante rationabili sui viri displicentia, vel familiæ incommodo, vel viri sui contradictione, intelligi debet. Nam scriptura patris potestatem quoad puellæ votum declarans, absolute dicit Num. 30. v. 6. *Et vota .... ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater:* Per quæ verba datur intelligi plena potestas in patre ad puellæ votum irritandum; ita ut in sensu supra exposito, statim contradicente patre nedum quoad actus imperatos ac vivente patre, & in patris domo remanente puella, verum & quoad illius voti elicitos actus quod

quod imperatos actus exigit ac post irritationem a domo patris egressa vel eo mortuo, sive puellari ætate elapsa, ab eo servando voto omnino immunis existat in perpetuum, cum absolute dicat textus: *Nec obnoxia tenebitur sponsioni*, post legitimam scilicet a patre factam irritationem, per ejus nempe apto tempore factam, in sensu in superioribus exposito, contradictionem. Quoad potestatem autem viri in suam mulierem licet dicatur Num. 30. v. 9. *Sin autem audiens, statim contradixerit, & irritas facerit pollicitationes ejus, verbaque, quibus obstrinxerat animam suam: propitius erit ei dominus*. Et v. 13. *Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, & dominus ei propitius erit*; non tamen declaratur, quod nec obnoxia tenebitur sponsioni, sicut de puella quoad patris potestatem dicitur. Unde innotescit, quod solum de irritatione quoad ejus executionem constante matrimonio, & viro in contraria sententia, & contradictione permanente, aut si voti executio viri displicentiam ac familiæ incommodum, ac perturbationem afferret, intelligi debet. Non igitur omnino tollitur, & consequenter non proprie irritatur a viro suæ mulieris votum, sed ejus executio in sensu exposito suspendi intelligitur.

Proposita doctrina concluditur

XXIII. Unde etiamsi votum puellæ, in domo patris existentis, a patre in sensu exposito semel irritatum, semel scilicet statim contradicente patre, nunquam reviviscat; quinimo, nisi per novum post irritationem puellæ consensum, ne quidem post posteriorem patris suasionem, post legitimam scilicet irritationem, reviviscat; mulieris tamen, virum habentis, votum, licet in sensu supra exposito contradicente viro, ad ejus executionem non constringat; ligata tamen remanebit mulier nedum quoad actus elicitos, verum & quoad im-

imperatos: quoad actus quidem elicitos ligata remanebit mulier, nedum enim non poterit nolle servare, vel velle non servare, verum & velle tenetur eo modo servare, quo possit, suumque virum, minime adhibitis precibus importunis, ad consentiendum allicere: quoad actus vero imperatos licet suspensum in sensu exposito esset mulieris votum, viro scilicet facto conscio statim renitente, nec in posterum consentiente: tenebitur tamen mulier quantum in se est, illud quoad executionem servare, non quidem contra viri voluntatem; sic enim non esset deo gratum, læderet enim jus in vota mulieris, quæ externos actus exigunt, a deo quoad executionem concessum, sed in quantum viri voluntatem ad consentiendum alliceret, & absque viri displicentia, vel familiæ incommodo fieri poterit: Viro autem sive postmodum consentiente vel mortuo, vel quocunque modo sui juris existente muliere, statim reviviscit etiam quoad actus imperatos suspensa obligatio, atque ad votas abstinentias, vel jejunium jure divino obligata remanebit mulier: Id autem de puellæ voto, in sensu exposito legitime irritato, quoniam non obligationis suspensio, sed proprie irritatio est, ut in superioribus dictum est, intelligi non poterit. Quia igitur divini juris in homine potestas non gratis admittenda est; & in viro erga mulieris vota non plena irritatio, sicut in patre quoad puellæ votum, in scripturis apparet; inde quod dicitur v. 14. *In arbitrio viri erit, ut faciat sive non faciat*, non cujusvis modi arbitrio, & interpretatione, sed in sano sensu textui consono a nobis exposito, intelligi debet. Vidua autem, ac repudiata, seu potius a viro justis de causis separata, cum sub viri potestate amplius non sit, sui juris existens, nedum quoad vota in tali statu deo facta, verum

& ad

& ad ea, quæ sub viri potestate existens, emiserit, & ab eorum executione a viri potestate impedita fuerit, quatenus jam revixerint, jure divino ligata dignoscitur.

Dubii voti quoad existentiam obligatio discutitur, ac resolvitur.

XXIV. Et quia ad voti ligamen personæ capacitas non sufficit, sed ejusdem voti conditio relate ad voventis mentem considerari debet; quæ fortasse dubia quoad voti existentiam, vel extensionem esse poterit; idcirco multa, nec parum implicata quoad voventium obligationem discutienda remanent. Enim vero quoad voti dubium relate ad ejusdem voti existentiam, sic ratiocinari placet: si dubium sit, an revera emissum fuerit votum, vel non, voto ligari non videtur ille, de quo an voverit, dubitatur, si scilicet dubium negativum sit: quod si dubium sit positivum, voti ligamine teneri dicendus erit; & multo magis voto tenebitur, si positive de voti existentia dubitans, non revera dubius, pro utraque scilicet parte æqualia dignoscens motiva, sed potius in voti favorem suspicaretur; secus vero videtur, si e contra, suspicio pro voto non existente dignoscatur; idemque dicendum, si incertus de voto, incertus etiam esset, an tempore apprehensi voti sufficientem ætatem, vel rationem habuerit dignoscendi id, ad quod faciendum se obligaret; tunc enim sub negativo dubio de voti existentia, ac de ratione, voto non tenebitur. Sub positivo autem dubio de emisso voto, semper voto ligabitur, etiamsi dubium sit, an tempore emissi voti rationem habuerit, vel etiamsi suspicio sit quoad supponendam sufficientem rationem, vel quoad eam tempore emissi voti non supponendam. Cum enim habito voti dubio positivo, tutior pars sit eligenda, idcirco sive ad supponendam rationem, sive ad illam in vovente non sufficientem ponendam suspi-

ſpicio locum habere non poterit; cum præſertim, voti requiſita, niſi contrarium conſtet, ſub poſitivo voti dubio extitiſſe ſupponi potius debeant. Secus vero videtur ſi, ſive negative, ſive poſitive incertus de voto, certus ſit ſufficientem rationem ſeu diſcretionem tunc non habuiſſe dignoſcendi id, ad quod faciendum ſeſe obligasſet; tunc enim ſi votum illud in ſtatu ſufficientis rationis non ratificaſſe dignoſcitur, cum ab initio, etiamſi illud emiſerit, ex defectu tamen ſufficientis rationis, ac requiſitæ diſcretionis nullum extiterit, progreſſu temporis, niſi de novo conſenſu conſtiterit, validum non efficitur. Sicut igitur ſi dubium ſit, an revera abſtinentiæ, ſive jejunii votum emiſſum fuerit, vel non, abſtinentiæ, vel jejunii voto in ſenſu expoſito ligabitur ille, qui, an voverit, poſitive dubitat; ita etiam & voto ligabitur ille, qui de abſtinentiæ, jejunjiive voto poſitive incertus, incertus etiam eſſet, an tempore apprehenſi voti ſufficientem ætatem, vel rationem, ſeu diſcretionem habuerit hujuſmodi obligationem dignoſcendi; ſecus vero ſi incertus de abſtinentiæ, jejuniive voto, certus tamen ſit ſufficientem rationem, ſeu diſcretionem ad hujuſmudi obligationem dignoſcendam non habuiſſe; tunc enim ad hujusmodi voti obſervantiam non ligabitur: contra vero ſi certum ſit votum, dubium autem, an adfuerit deliberatio, vel propoſitum, aut promiſſio; tunc enim etſi tempore emiſſi voti incertus ſit ſufficientem rationem habuiſſe, dignoſcendi id, ad quod faciendum ſeſe obligaſſet, quatenus tamen deliberatio, propoſitum, ac promiſſio ex voti certitudine adfuiſſe præſumuntur, ad votam abſtinentiam, vel jejunium, aut aliud quodcumque voverit, teneri dicendus eſt; Et a fortiori, voto teneri dicendus erit, ſi certus de voto, in-

incertus vero, sive positive, sive negative dubius esset de deliberatione, proposito, vel promissione, tempore tamen emissi voti sufficientem ætatem, ac rationem, seu discretionem dignoscendi id, ad quod faciendam sese obligasset, certo habuisse meminerit.

Voti obligatio sub ratione dubiæ materiæ proponitur, discutitur, ac resolvitur.

XXV. Quod si certus de emisso voto, certus item, sive incertus, an tempore facti voti sufficientem habuerit ætatem, vel rationem dignoscendi id, ad quod faciendum sese obligasset, dubitaret autem, an materia facti voti mala, vel majoris boni impeditiva existeret, & tunc juxta Angelicum 22. q. 88. art. 2. ad 3. *quia in his, quæ ad seipsum pertinent, de facili fallitur homo in judicando, talia vota congruentius secundum arbitrium superioris sunt vel servanda, vel prætermittenda; ita tamen quod, si ex observatione talis voti magnum & manifestum gravamen sentiret, & non esset facultas ad superiorem recurrendi, non deberet homo tale votum servare.* Unde si certus de vota abstinentia, vel jejunio, vel aliquo alio, certus item, sive incertus, an tempore facti voti sufficientem habuerit ætatem, vel rationem dignoscendi id, ad quod faciendum sese obligasset; vota autem abstinentia, vel jejunium, vel aliud dubium sit, an per accidens materia mala evaserit, vel majoris boni impeditiva; tunc juxta præmissam Angelici doctrinam, ne scilicet ad malum faciendum exponatur, superioris consilium sequi debet: neque de hoc servando voto scrupulis angi fas erit: cum enim præceptum vitandi mali, vel divinæ voluntati non repugnandi cuicunque ejusdem, vel inferioris juris positivo præcepto præferri debeat; voti autem servandi ex divino jure præceptum positivum sit; malum autem non faciendi, vel majus bonum non impediendi ad negativum ejus-

ejusdem divini juris præceptum pertineat; inde est, quod, perseverante dubio, an scilicet vota abstinentia, jejunium, vel aliud materia mala per accidens evaserit, vel majoris boni impeditiva, nedum non peccat, qui sic voverit, votam abstinentiam, jejunium, vel aliud non servans superioris judicio acquiescens, verum &, licet superioris, vel saltem doctioris judicium inquirere teneatur, ejus tamen quocunque modo nondum obtenta sententia, nondumque proinde de votæ materiæ bonitate, vel malitia soluto dubio, ne ad malum faciendum exponatur, ad votam abstinentiam, jejunium, aliudve servandum interim non tenebitur, quin immo ad illud non servandum obligabitur.

XXVI. Voto autem dubio quoad existentiam secundum se, vel quoad materiam explicato, ad votum dubium quoad extensionem explicandum procedimus. Si igitur non de voti existentia, neque de ejusdem conditionibus, ad valorem spectantibus, sed de voti extensione dubium sit, tunc voventis mens præ ceteris attendenda est. quæ qualis fuerit, ex variis circumstantiis venanda erit. Et certe quoad hoc Fagnanus de observatione jejunior. cap. *Explicavi* num. 16. sic ratiocinatur: *Si de intentione voventis nec expresse, nec tacite* ejus extensio *appareret, tunc recurrendum esset ad causam, qua motus fuit ad vovendum: nam si vovisset abstinentiam a carnibus in die veneris, quia pluries comederat, & voluit præcepto Ecclesiæ addere etiam obligationem voti, ut hoc vinculo se a peccato cobiberet; hoc casu non videtur se voluisse adstringere ad abstinentiam in die Nativitatis; quia illa die nullum est peccatum vesci carnibus in sexta feria;* sicque proinde pro feria illa sexta, in qua Christi domini Nativitas incideret, voti motiva cessante ratione, quatenus excepisse, ac præter illius

Voti dubii quoad extensionem assignatis interpretandi regulis, ejusdem causas ad ejus extensionem indagandam perpendere, maxime valere demonstramus.

fe-

feriæ sextæ intentionem vovisse præsumitur, carnium abstinentiam ex voto servare non tenebitur. Et pergit ibidem Fagnanus n. 17. *Idemque arbitror dicendum in eo, qui vovit abstinere a carnibus in sextis feriis in memoriam dominicæ passionis. Verisimiliter enim non videtur se voluisse adstringere ad abstinentiam in die Nativitatis, sed potius se conformare cum consuetudine Ecclesiæ universalis, quæ, licet indesinenter recolat memoriam passionis domini, tamen in festo Nativitatis indulget fidelibus esum carnium ob tantæ festivitatis venerationem*; ob venerandam scilicet festivæ Nativitatis excellentiam.

Si non ex causa impulsiva, ex aliis saltem circumstantiis, quoad dubiam voti extensionem, votis mentem venari posse discutitur, ac resolvitur.

XXVII. *Quod si*, subdit idem Fagnanus ibidem num. 24. *neque ex causa impulsiva, neque ex aliis circumstantiis, & conjecturis discerni possit, an vovens non vesci carnibus in sexta feria, intenderit se adstringere ad abstinentiam in die Nativitatis, nec ne, sed res prorsus dubia sit: tunc existimo veriorem esse opinionem Joannis Andreæ, ut scilicet textus noster procedat in eo tantum, qui generaliter vovit nunquam carnes comedere, non autem in eo, qui vovit eas non comedere in sextis feriis*. Ex quibus Fagnani principiis, minime contemnendis, infero, quod, qui voverit abstinentiam in sextis feriis, & voventis mens non constet, ac similiter voti causa impulsiva quoad extensionem ignoretur; & tunc, si dubium sit, an votum istud etiam pro illa sexta feria extendatur, in qua Christi Nativitas incideret, quatenus excepisse præsumitur, pro illa die abstinentiam (vide infra n. 39.) ex voto servare non tenebitur; contra vero: quia, qui generaliter vovit nunquam vesci carnibus, vel jejunare &c. nullum diem excepisse præsumitur, nullumque proinde prudens dubium esset, an diem Nativitatis exceperit; sicut etiam qui carnium abstinen-

nentiam voverit pro die, in quo Ecclesia carnium comestionem permittit; inde incidente Christi Nativitate, in utroque hoc posteriori casu ad abstinentiam, sive jejunium ex voto servandum teneri dicendus erit. Propter rationis proinde diversitatem, per eumdem Fagnanum primum inter, ac ultimos duos casus evidentem; scilicet respectu illius, qui pro sexta feria per singulas anni hebdomadas, ac respectu illius, qui generaliter, vel pro die, in quo Ecclesia carnium comestionem non prohibet, abstinentiam voverit, vel jejunium; in his ultimis ad abstinentiam teneri; secus vero in primo casu, in quo scilicet pro sexta feria abstinere voverit, pro illa die, in qua Christi Nativitas inciderit, & voti extensio dubia sit, in quantum voventis mens quoad extensionem ignoretur, declaramus. His autem non obstantibus eadem principia respectu illius, qui pro diebus, in quibus carnium esus non prohibetur, ac respectu illius, qui in sextis feriis, seu pro die, in quo carnium esus prohibetur, carnium abstinentiam voverit, vel jejunium, paulo fusius discutere placet: qua super re ratiocinationem efformans Fagnanus, subjungit: *Nam qui vovit generaliter nunquam vesci carnibus, utique voluit privare se libertate illas comedendi etiam in diebus alias permissis. Unde, cum ex vi suæ obligationis teneatur ab illis abstinere etiam in dominica Resurrectionis,* aliisque diebus, in quibus cæteroquin carnium esus permittitur, *non est ratio, cur similiter non teneatur in die Nativitatis; æqualiter enim permittit Ecclesia esum carnium in Paschate, atque in Nativitate.* Et quidem sapienter: si enim pro diebus illis abstinentiam voverit, in quibus esus carnium ab Ecclesia non prohibetur, ut esset feria 2. vel 5. & tunc quia sic vovens, pro diebus, in quibus abstinentia non præcipitur,

se

se obligasse præsumitur, in dubio, an diem Nativitatis feria 2. vel 5. incidentem, exceperit, ad abstinentiam omnino tenebitur: *Unde*, subdit idem Fagnanus, *doctores dicunt eum qui vovit abstinere a carnibus in omnibus quintis feriis*, *teneri utique abstinere etiamsi in die Jovis occurrat festum Nativitatis*: Eo scilicet, quod vovens in quinta feria, ab esu carnium abstinere, in qua ab Ecclesia non præcipitur abstinentia, nec jejunium, quatenus presumitur etiam pro diebus omnibus ab Ecclesia permissis, quæ feriæ quintæ sint, abstinere voluisse; inde etiam in quinta feria, incidente Christi Nativitate, ad carnium abstinentiam, vel jejunium juxta voventis mentem obligabitur: idemque dicendum, siquis abstinere voverit in sabbatis, ubi consuetudo sit carnes comedendi, si causa voti impulsiva ignoretur, voventisque mens non constaret: ex iisdem enim Fagnani principiis clarissime eruitur, etiam pro die Nativitatis in sabbato incidente, ad abstinentiam, sive jejunium ex voto servandum teneri; cum enim hujusmodi abstinentiam voverit pro die, in quo carnium comestio in illo loco permittitur, ad earumdem abstinentiam etiam pro die Nativitatis, in sabbato incidente, quo carnium comestio per annum ex provinciali consuetudine permittitur, se obligasse præsumitur. *At vero*, inquit Fagnanus supra cit. cap. *Explicari* de observatione jejun. n. 25. *Qui vovit specialiter abstinere a carnibus in die veneris, vovit abstinentiam in illis diebus, in quibus ex prohibitione Ecclesiæ interdictus est esus carnium*; *ergo non censetur vovisse abstinentiam in die Nativitatis, quia in illa die, etiamsi sit feria sexta, esus carnium non est ab Ecclesia interdictus*. Et quidem recte: non enim est facienda extensio a sextis feriis, in quibus carnium esus prohibetur, ad sextam il-

illam feriam, quæ dies Nativitatis sit, & in qua carnium esus ab Ecclesia permittitur. Idemque de die sabbati, in qua carnium esus ab Ecclesia prohibetur, ac de die veneris dicendum erit, si scilicet, prout sapientibus sermo innotescit, consuetudo loci voventis sit in sabbatis abstinere. Quin immo si obligans consuetudo alicubi invalesceret feria 2. vel. 3. aut 4. vel 5. a carnibus abstinere; qui votum emitteret abstinendi pro singulis disjunctive prædictis feriis, nisi alia voventis mens, vel impulsiva voti causa dignoscatur, in die Nativitatis, in qua cæteroquin esus carnium permittitur, in aliqua ex illis feriis incidente, ad abstinentiam ex voto servandam non tenebitur. Unde eodem num. 5. subdit Fagnanus: *Et in dubio credendum est, futurum fuisse ut vovens excepisset diem Nativitatis, si memoriæ occurrisset, ut sic cum Ecclesiæ usu se conformaret, & non esset singularis in sua familia.*

XXVIII. Quia item lacticiniorum comestio die veneris non prohibetur; inde propter rationis paritatem ex iisdem Fagnani principiis infertur, quod siquis lacticiniorum abstinentiam pro singulis sextis feriis voverit, voti motiva ignorata causa, menteque voventis non bene intellecta, proindeque dubium oriatur, an ad illam sextam feriam, in qua Nativitas domini inciderit, abstinentiæ votum extendatur, utique extendi dicendum erit; ac pro illa etiam sexta feria, in qua Nativitatis dies inciderit, votam lacticiniorum abstinentiam servare tenebitur. Abstinentia enim lacticiniorum pro die, in qua non erat imposita, facta intelligitur.

Voti extensio quoad lacticiniorum abstinentiam sub iisdem principiis resolvitur.

XXIX. Ex hoc autem non parva quæstio exagitari poterit, an scilicet lacticiniorum abstinentiam vovens, possit carnes comedere, votum non frangens? Et certe non contemnendus auctor Joannes

An votum de lacticiniorum abstinentia, ad carnium

abstinentiam spectata voti natura, extendi intelligatur, peculiari ratiocinatione ex intimis philosophiæ, ac Theologiæ principiis discutiendum assumitur.

nes Azorius, principio illi innixus, votum scilicet ultra voventis mentem non obligare cap. 10. sic habet: *Quid judicandum de eo, qui nihil cogitavit, cum vovit, aut non meminit, quid cogitaverit?* respondet; *tuto posse nos benigne votum interpretari, & ei dicere non esse obligatum voto de non edendis carnibus, sed solum de abstinendo ab ovis: nam si tale quid memoriæ occurrisset, sic solum vovisset.* Videtur tamen auctor ipse non plene principiorum discrimen inter se contulisse. Duo enim principia quoad voti obligationem attendi debent; mens nempe voventis, & voti natura; si enim voventis mens voti naturam destrueret, mens voventis ad voti valorem non sufficeret; quis enim diceret abstinere voventem a parvis furtis, majora furatum, votum servasse? quis diceret abstinere voventem a vini scypho, vini craterem sumentem, votum servare? quis diceret a parva mellis quantitate abstinere voventem, magnam sumentem, votum non frangere? Voventis igitur mens attendenda quidem est; talis autem esse non debet, ut voti rationem destrueret. Voti autem rationem destrueret, qui materiam, sub eadem ratione magis oppositam, facto voto non repugnare existimaret. Et certe in casu nostro, quia carnis comestio supra modum continet lacticiniorum ejusdem naturæ substantiam; & per carnis comestionem majorem ejusdem naturæ substantiam, quam per lacticiniorum comestionem perciperet comedens; inde fit, quod per carnis comestionem nec votam lacticiniorum abstinentiam servaret. Negatorium igitur tale votum videtur. Item: Cum votum sit de meliori bono; & carnis comestio magis a virtute sub eadem ratione recedit, quam lacticiniorum; inde est, quod sub eadem ratione melius bonum non esset a lacticiniis abstinere, carnibus autem vesci. Sicuti melius bonum

non

non esset a parvis furtis ex voto abstinere, & non a majoribus; vel a vini scypho abstinere & non a cratere; vel a parva mellis quantitate, & non a majori.

XXX. Non præcise autem ex voti natura ejusdem voti valorem negamus, votique defectum arguimus: non præcise scilicet ex eo, quod virtuosius sit abstinere a carne, quam a lacticiniis, ideo carnium abstinentiam vovens, lacticinia comedens, ad votam carnium abstinentiam teneretur; lacticiniorum vero abstinentiam vovens, eo quod lacticiniorum votum per carnium comestionem solvitur, carnes, quarum abstinentiam non vovisset, comedens, ad votam lacticiniorum abstinentiam non teneretur: non inquam sic præcise, verum & directe ex ciborum natura arguentes, dicimus: Ex eo scilicet quod lacticinia, & carnes, nec non parva, vel magna vini, aut mellis quantitas ad ejusdem naturæ substantiam respective pertineant; inde est, quod per carnis comestionem, per vini crateris potionem, per majoris mellis quantitatis sumptionem, nec lacticiniorum, nec vini scyphi, nec parvæ mellis quantitatis abstinentia respective servaretur: Unde nec lacticiniorum, nec scyphi vini, nec parvæ mellis quantitatis abstinentiæ votum respective servaretur: idem dicendum, a parvis furtis abstinere voventem, majora furatum, votum non servaturum. Licet enim aliquid minus perfectum possit sub voto cadere, ut esset vovere opera temperantiæ, secus vero charitatis, cum cæteroquin majoris excellentiæ, ac bonitatis existant, ac deo gratiora sint charitatis opera, quam temperantiæ; nullo tamen modo validum reputari poterit votum, si per opera non vota votæ materiæ ratio destrueretur. Votæ autem materiæ ratio, voti nempe natura a lacticiniis abstinendi per carnium comestio-

Proposita doctrina explicatur.

 stio-

ſtionem deſtrueretur, ſicuti per vini crateris potionem, per magnæ mellis quantitatis comeſtionem, perque majora furta, votæ materiæ ratio, voti nempe natura de lacticiniorum, vini ſcyphi, parvæ mellis quantitatis, vel parvorum furtorum abſtinentia reſpective deſtrueretur. Nullo igitur modo de lacticiniorum, vini ſcyphi, parvæ mellis quantitatis, vel parvorum furtorum abſtinentia validum eſſet votum, niſi carnium ſimiliter, vini crateris, magnæ mellis quantitatis, vel magnorum furtorum in voto reſpective incluſa intelligatur abſtinentia.

Propoſita doctrina ulterius dilucidatur, ac reſolvitur.

XXXI. Per hoc autem non intendimus lacticiniorum abſtinentiam voventem, & carnem, cujus abſtinentiam non voverat, comedentem, a ſervando de eorumdem lacticiniorum abſtinentia voto eximere: dicimus ergo, ſic voventem, etſi de carnibus non cogitaverit, cum voverit; quantum tamen ad ipſiuſmet voti de lacticiniorum abſtinentia naturam pertinet, etiam a carnibus abſtinere debere: Sicuti qui abſtinentiam ab epotando vini ſcypho voverit, etiam ab epotando vini cratere abſtinere deberet: quique a parvis furtis abſtinere voverit, etiam a magnis perpetrandis ligatus exiſtet; quique ſimiliter a parva mellis quantitate ex voto abſtinet, etiam ad abſtinendum a magna ejuſdem naturæ mellis quantitate ſub eadem voti ratione ligatus erit. Cum enim, ut ſupra diximus, voventis mens voti naturam mutare non poſſit; inde eſt, quod licet lacticiniorum, vini ſcyphi, parvorum furtorum, parvæ mellis quantitatis abſtinentiam vovens, ab eſu carnium, a vini cratere, a magnis furtis, a magna mellis quantitate abſtinere reſpective non voverit, neque hujuſmodi abſtinentiam intenderit, immo & eorum actum ſervatu poſſibilem cum voto crediderit, id certe ex errore

rore processisse omnino tenendum est. Nec proinde tamen, spectata voti natura, lacticiniorumque substantia, per carnium comestionem, servata licet lacticiniorum abstinentia, validum, servatumque reputari poterit votum a lacticiniis abstinendi. Contra vero: Si quis carnium, magnorum furtorum, magnæ mellis quantitatis, vinive crateris abstinentiam voveret, ad lacticiniorum, parvorum furtorum, parvæ mellis quantitatis, aut vini scyphi abstinentiam servandam ex vi voti ligatus non existeret; nisi forte aliter fuerit mens voventis. Cujus disparitatis ratio est, quia, cum minor substantia majorem non contineat, inde est, quod lacticiniorum, parvæ mellis, vinive quantitatis, vel parvorum furtorum comestio, epotatio, ac patratio respective votam de majori materiam non destrueret; at quia major materia minorem ejusdem substantiæ materiam continet; inde est, quod minora vovens ad majorem ejusdem rationis materiam ex voto servandam in sensu exposito obligaretur; si scilicet, ea non servata majori materia, nec minor voti materia servata intelligatur, immo potius votæ minoris materiæ ratio destrueretur; ut in casu posito destruitur ratio voti abstinendi a lacticiniis, si horum licet servata abstinentia, carnium abstinentia non servaretur. Votum igitur abstinendi a lacticiniis etiam ad carnium abstinentiam ex intrinseca sui natura extenderetur; votum autem abstinendi a carnibus, spectata sui natura, ad lacticiniorum abstinentiam non extenderetur.

XXXII. Discussa autem quoad prædictum, ac similes casus voti natura, discutiendum ulterius remanet; an inconcussa remanente exposita doctrina, locum habere possit quoad prædictum, vel similes casus mens voventis? ut scilicet a la- An, & quando voti lacticiniorum extensio, vel restrictio ex voventis

mente procedere possit, discutiendum suscipitur.

lacticiniorum comestione ex voto abstinere debeat, secus vero a carnibus? Ad cujus solutionem impulsiva voventis caussa attendenda est: si enim caussa voti impulsiva non fuerit a lacticiniorum substantia abstinere, quatenus lacticiniorum substantia est, sed potius quid extrinsecum, ad specialem scilicet lacticiniorum concupiscentiam reprimendam, vel in peccati vindictam, quia nimirum lacticiniorum furta commiserat, vel aliquid aliud, lacticiniorum substantiæ extrinsecum; & tunc quia specialem erga lacticinia concupiscentiam reprimere, nec non & culpæ ratio per lacticiniorum furta commissæ, a lacticiniorum comestione, quatenus lacticiniorum substantia est, quid extrinsecum reputatur, & est; inde fit quod abstinentiæ a lacticiniis votum, secus vero a carnibus, cum carnium comestione subsistit. Quis enim non videt, in his, ac similibus votam lacticiniorum abstinentiam eorum substantiam non respicere? Unde si caussa voti impulsiva quid omnino diversum a lacticiniorum substantia extiterit; ut esset, siquis, occasione capta, ova, aliaque lacticinia furari assuetus fuisset, & in hujusmodi peccati vindictam abstinentiam vovisset, tunc etiam per carnis comestionem votum a lacticiniis abstinendi subsisteret: & quatenus ratio substantiæ carnis in causa impulsiva voti lacticiniorum non includeretur; inde neque carnem comedens peccaret. Cum enim, nisi mens voventis cum voti natura sub eadem impulsiva causæ ratione pugnet, votum obliget juxta voventis mentem; voventis autem mens non sit a lacticiniis abstinere, qua lacticiniorum substantia est, sub qua ratione etiam, & quidem a fortiori, carnium abstinentiam intelligere voluisse deberet, ut in superioribus discussum est, sed ad lacticiniorum abstinentiam vovendam alia, ac longe diver-

versa a lacticiniorum substantia impulsiva ratio voventem movit; inde fit quod mens voventis in sensu exposito lacticiniorum abstinentiam, carnium quoque abstinentiam vovisse intelligi non debet. Lacticiniorum igitur abstinentiam in sensu exposito vovens, eo quod carnium comestio cum hujusmodi voti natura non pugnet, a lacticiniis quidem ex voto abstinere tenebitur, secus vero a carnibus; nisi forte etiam a carnibus abstinere intellexerit vovens.

XXXIII. Ex eodem similiter principio nuper posito, si scilicet causa impulsiva voti abstinendi a lacticiniis sit longe diversa a lacticiniorum substantia, a lacticiniis abstinendi votum per carnis comestionem subsisteret; neque ex vi voti ad carnium abstinentiam constringeretur, plures alii dissolvi possent casus; ut esset: Si causa voti impulsiva a lacticiniis abstinendi non quidem specialis lacticiniorum concupiscentia extiterit, sed quatenus e. g. in quadragesima, vel aliis jejuniorum diebus ea contra præceptum comederit, &c. tunc enim si a lacticiniis abstinendi votum emiserit, non quatenus lacticiniorum substantia sit, sed in peccati vindictam eorum abstinentiam voverit, secus vero carnium; quatenus causa voti motiva, atque impulsiva a lacticiniorum substantia diversa, atque extrinseca cum carnium comestione non pugnet, a lacticiniis abstinendi votum etiam per carnium comestionem subsisteret. Ad lacticiniorum proinde abstinentiam ex vi voti servandam tenebitur, secus vero ad carnium. Nec absimiliter: Si causa impulsiva voti, abstinendi nempe a parvis furtis; a minori mellis quantitate sumenda; ab epotando vini scypho &c. non fuerit a re aliena, invito domino, surripienda; a gustu mellis, vel vini secundum se abstinere, sed aliud a rei votæ substantia secundum se diversum, ut esset specialis obe-

Proposita doctrina ulterius declaratur.

obedientiæ ratio, vel ſpecialis erga parva concupiſcentiæ vindicta, quam in magnis non haberet, vel aliud quodlibet a rei votæ ſubſtantia ſecundum ſe diverſum; tunc rei minoris abſtinentiæ votum ad majoris abſtinentiam ex vi voti, ac ſecundum ſe non extenderetur: ſemper tamen excepto, niſi alia eſſet voventis mens. Unde ſiquis ſpecialem erga parva concupiſcentiam ſentiens, ad eam reprimendam, eorum abſtinentiam voveret, non quidem ſub ea ratione, ſub qua etiam continentur magna, ſed ſub alia diverſa motus ratione, quæ parva quidem afficeret, ſecus vero magna, a parvis abſtinendi teneret votum, quin ad majorum abſtinentiam extenderetur, niſi ex voventis mente ad majora quoque ejuſdem rationis extendi preſumeretur.

Diſparitatis ratio quoad voti lacticiniorum extenſionem, ſub duplici expoſitione ſuperius conſideratam deſignatur, ac demonſtratur.

XXXIV. Quare autem in primo caſu n. 29. 30. & 31. poſito, nugatorium eſſet votum, ſecus vero in ſecundo caſu n. 32. & 33. explicato, facilis eſt diſparitas. Licet enim voventis mens in contrahenda voti obligatione maxime attendenda ſit, non tamen valere tanti debet, ut per oppoſitam voluntatem votum deſtruat, nugatorium faciens; votum autem deſtrueret, ac nugatorium faceret, ſi majora licere ſibi putans, a minoribus ejuſdem generis, ac ſubſtantiæ, ac ſub eadem impulſiva cauſſa abſtinere voveret; ut eſſet, ſiquis lacticiniorum abſtinentiam ad ſubtrahendam corpori ſubſtantiam voveret, carnium abſtinentiam vovere non intendens. Cum enim per carnium eſum, majorem quam per lacticiniorum eſum corpori ejuſdem rationis ſubſtantiam miniſtraret, carnium abſtinentiam vovere non intendens, lacticiniorum vero abſtinentiam vovens, nugatorium redderet votum. Unde qui lacticiniorum abſtinentiam in ſenſu expoſito voveret, a carnium etiam comeſtione abſtinere ex voto tenebitur.

Hoc

Hoc posito principio sequitur; quod siquis in sensu, primo loco exposito, vovens, carnium abstinentiam vovere non intenderit, tunc lacticinia comedens, & non carnes, votum frangeret; comedens vero carnes, cum hæ lacticiniorum substantiam sub eadem ratione eminenter contineant, a lacticiniis abstinendi votum in eadem carnium comestione servare non tenebitur. Quod dictum sit ex suppositione, quod validum sit hujusmodi votum abstinendi scilicet a lacticiniis sub ea ratione sub qua ratio voti abstinentiæ lacticiniorum sub eadem omnino ratione in carnium abstinentia contineatur: Ex suppositione namque validi voti, etsi lacticinia comedens, peccaret, carnes tamen, quarum abstinentiam non intenderet, comedens, non peccaret. Et quia carnes eminenter sub eadem ratione ac lacticinia substantiam continent; inde carnes licite comedens, licite quoque lacticinia comederet; & a fortiori, si votum abstinendi a lacticiniis, secus vero a carnibus sub eadem impulsiva caussa, ut in primo casu n. 29. 30. & 31. exposuimus, emissum, reputaretur invalidum. Contra vero in secundo casu n. 32. & 33. exposito. Cum enim caussa impulsiva a lacticiniis abstinendi, ab eorum substantia distincta, ac diversa sit; si scilicet caussa impulsiva directe non sit ab eorum substantia abstinere, sed quid eis extrinsecum, specialis nempe erga lacticinia concupiscentiæ repressio, vel si furata lacticinia comedisset, & in peccati vindictam eorum abstinentiam vovisset, vel aliud a lacticiniorum substantia diversum, & tunc ad lacticiniorum abstinentiam servandam jure divino tenebitur, sive cæteroquin carnem comederet, sive non. Si enim carnes non comedens, votum in primo casu subsisteret, in quo cæteroquin voti causa impulsiva a lacticiniorum substantia diversa non ponitur, ut diximus, ac

pro-

proinde carnes non comedens, a lacticiniis abstinere tenebitur, a fortiori in secundo casu, in quo causa impulsiva abstinendi a lacticiniis, quid diversum a lacticiniorum substantia existit, ab eisdem abstinere ex divino jure teneri dicendus est, etiam si carnes comederet, vel non comederet; Cum enim in prædicto secundo casu causa impulsiva a lacticiniorum, immo a carnium substantia diversa sit, per carnium comestionem, subsistente a lacticiniorum voto, etiam carnes comedens, ad votam lacticiniorum abstinentiam obligabitur. Siquis igitur ad subtrahendam corpori substantiam, lacticiniorum, non vero carnium voveret abstinentiam, carnes non comedens, ad lacticiniorum abstinentiam ex voto servandam tenebitur; carnes vero comedens ad votam lacticiniorum abstinentiam in eadem comestione non ligabitur. Unde, si licite carnes comederet, a voto servandæ lacticiniorum abstinentiæ exemptus existeret; votum vero per lacticiniorum comestionem frangens, carnes etiam in eadem lacticiniorum comestione comedens, per transgressionis excessum contra votam lacticiniorum abstinentiam, culpam augeret: Et quocumque modo illicite carnes comederet, sive cæteroquin lacticinia comederet, sive non comederet, sive in eadem, sive in diversa comestione contra votum a lacticiniis abstinendi ageret. Siquis autem non lacticiniorum substantiam, sed quid extrinsecum, ac diversum sibi proposuerit, eorum abstinentiam vovens, tunc sive carnes comedens, sive non, etiam sub eadem vel licita carnium comestione, ad lacticiniorum abstinentiam, ex voto servandam ligabitur.

Voti lacticiniorum quoad extensionem assi-

XXXV. Ut autem inde redeat, unde discessit oratio, assignatam solutionem quoad lacticiniorum votum cum Fagnani principiis conferentes, votæ lacticiniorum abstinentiæ solutionem ejusdem Fagna-

gnani principiis, supra n. 26. & 27. a nobis admissis, sic applicabimus: vovens lacticiniorum, non vero carnium abstinentiam ex motivo substantiæ lacticiniorum instrinseco, comedens carnes in die Nativitatis domini ad votam lacticiniorum abstinentiam in eadem carnium comestione non tenebitur, si scilicet ex voventis simplicitate per lacticiniorum votum, ex motivo ipsis intrinseco emissum, carnium abstinentiam vovere non intenderit: Si autem carnes non comederet, & votum a lacticiniis abstinendi ex motivo ipsis intrinseco sit per singulos dies, vel per illos, in quibus Ecclesia lacticiniorum comestionem non prohibet, tunc juxta Fagnani principia, a nobis admissa, quia in die Nativitatis lacticiniorum comestio permittitur, etiam pro die Nativitatis voto a lacticiniis abstinendi, carnes non comedens, ligatus existet.

gnata solutio cum Fagnani principiis confertur, & roboratur

XXXVI. Quod siquis hujus ratiocinii vim non recte perciperet, hæc erit hujus casus ulterior expositio: Juxta Fagnanum supra n. 26, & 27. vovens ciborum abstinentiam pro die ab Ecclesia permissorum, nec in die Nativitatis voto solveretur; ad illud proinde servandum teneretur. Item: vovens lacticiniorum, non vero carnium abstinentiam ex motivo substantiæ lacticiniorum intrinseco, ad substantiam scilicet corpori subtraendam, juxta nostra principia supra n. 29. 30. & 31. exposita, quatenus nempe carnes lacticiniorum ejusdem naturæ substantiam eminenter continent, carnes comedens, lacticiniorum abstinentiæ votum pro illa vice non subsisteret, ac proinde eas saltem licite comedens, a vota lacticiniorum abstinentia eximeretur; carnes vero non comedens, omnino ad lacticiniorum abstinentiam ex voto servandam in sensu exposito teneretur. Si ergo votum a lacticiniis abstinendi in casu posito,

Prædicta doctrina declaratur.

sito, juxta Fagnani principia, a nobis admissa etiam ad diem Nativitatis extenderetur; inde fieret, quod etiam in die Nativitatis carnes non comedens, ad servandam lacticiniorum abstinentiam ex voto, teneretur.

Prædictæ doctrinæ ratio assignatur, & concluditur.

XXXVII. Ratio autem quare carnes comedens in die Nativitatis, a lacticiniorum voto pro illa vice, seu in eadem carnium comestione in sensu exposito eximeretur, si scilicet impulsiva voti caussa a lacticiniis abstinendi ipsis intrinseca sit, est: quia ex una parte carnium abstinentia vota non supponitur, ut procedit, sive cæteroquin ex voventis simplicitate, sive ex alia quacunque ratione a carnium comestione abstinentiam non intenderit vovens: ex alia vero parte; si voti caussa motiva a lacticiniis abstinendi sit ipsis lacticiniis intrinseca, corpori scilicet substantiam subtrahere; inde fit, quod quatenus lacticiniorum substantia ejusdem naturæ, etsi inferioris gradus sit, quam carnium, sic lacticiniorum abstinentiam vovens, per licitam carnium comestionem a vota lacticiniorum abstinentia eximeretur. Quia igitur in die Nativitatis possunt carnes comedi; inde eas licite comedens, quarum abstinentiam ex simplicitate, vel ignorantia in lacticiniorum voto non incluserit, a vota lacticiniorum abstinentia sub eadem carnium comestione eximeretur: contra vero siquis ob motivum lacticiniis extrinsecum, lacticiniorum, non vero carnium abstinentiam vovisset. Tunc enim si votum sit pro diebus, in quibus lacticiniorum comestio permittitur, & dignosci non possit, an diem Nativitatis exceperit, etiam in die Nativitatis juxta Fagnani principia voto abstinendi a lacticiniis tenebitur. Et sicuti, si caussa impulsiva voti a lacticiniis abstinendi sit quid diversum ab eorum substantia, etiam carnes comedens,

voto

voto a lacticiniis abstinendi tenebitur, inde fit, quod, etsi voto abstinendi a lacticiniis in sensu exposito ligatus, in die Nativitatis carnes in sensu exposito licite comederet, etiam ad votam lacticiniorum abstinentiam ligatus existeret: ita ex iisdem Fagnani principiis oritur, quod siquis ob motivum substantiæ lacticiniorum extrinsecum ab eis abstinendi votum emitteret, & votum sit pro selectis feriis, in quibus lacticiniorum comestio ex peculiari consuetudine non permittitur; & non constaret, an diem Nativitatis, sic vovens, incluserit; Et tunc, quia juxta ejusdem Fagnani principia, a nobis admissa, diem Nativitatis domini, in una ex selectis illis feriis incidentem excepisse præsumitur, in die Nativitatis domini, etiam si carnes non comederet, voto a lacticiniis abstinendi non ligaretur.

Assignatæ solutionis judicium doctioribus remittitur discutiendum.

XXXVIII. Hanc, qualiscunque sit, de voti extensione, sive restrictione, præsertim quoad votum a lacticiniis abstinendi propositam huc usque solutionem, vestrum omnium oculis, vestroque judicio, doctissimi, ac religiosissimi Lectores, subjiciendam existimo: meo autem videri clarissima est, ac sustinenda; nec quia doctorum turba hunc casum plane non perpendens, absolute negat; vel sine judicii discretione concedit, aut nimia cum dubitatione resolvit; idcirco novella isthæc solutio nova doctrina videri debeat. Cum enim doctrina illa nova dicenda non sit, quæ recens nota, solidis innititur principiis, in quibus quasi delitescens continebatur; sed illa tantum nova dici debet doctrina, quæ recens nota, solidis principiis contineri non dignoscitur, seu potius quæ solidis principiis non contineri dignoscitur; inde fit, quod nostra de vota lacticiniorum abstinentia solutio, licet recens visa, solidis tamen cum physicis, tum theologicis innixa, & contenta prin-

principiis, nova dici non debet; cum nova non sit, nec dici debeat illa, quæ solidis quoad voti naturam theologicis principiis plane inniti doctrina comprobatur. Cum præsertim, quocunque casu vota lacticiniorum abstinentia etiam in eadem carnium comestione in suo robore subsistere concluditur, ex tacita voventis voluntate, qui non carnium, sed lacticiniorum tantum abstinentiam intenderit, procedere dignoscatur.

Voti jejunii extensio, vel restrictio ex circumstantiis atque ex voventis mente juxta Fagnani principia discutitur, ac resolvitur.

XXXIX. Et quoniam ad nostrum institutum nedum de abstinentiis, verum & potius de jejuniis agere pertinet; inde voti dubii extensione quoad abstinentiam jam discussa, ejusdem voti dubii extensionem quoad jejunium relate ad voventium mentem investigandam ex ejusdem Fagnani principiis (n. 26. & 27. 35. ad 38.) speciali ratione discutiendam aggredimur. Siquis igitur pro singulis sextis feriis jejunium voverit; & dubium esset an illud de jejunio votum ad illam etiam sextam feriam, in qua Christi Nativitas incideret, extenderetur, etiam pro illa sexta feria, in qua salvatoris nostri Nativitas celebratur, jejunii obligatio ex divino jure subsisteret. Ideo enim, per Fagnanum carnium abstinentiam in sextis feriis vovens, si dubium oriatur, an ad Nativitatis diem extendi debeat, diem illum excepisse dicendus est vovens; quia, cum in sextis feriis carnium comestio prohibeatur, eamdem abstinentiam voto firmatam, ad sextam illam feriam, in qua Nativitatis dies inciderit, quatenus illa die carnium comestio ab Ecclesia permittitur, extendisse non præsumitur: Quia igitur contrariorum eadem est ratio, eidem insistendo argumento: quia in sextis feriis jejunium non præcipitur, ad quod cæteroquin se obligaverit vovens, inde per conformitatem ad Fagnani principia, a nobis admissa: qui pro singulis sextis feriis jejunium vove-

verit, etiam pro illa sexta feria, in qua salvatoris nostri Nativitas incideret, & in qua cæteroquin jejunium non præcipitur, ad votum jejunium servandum obligabitur. Utrum autem eisdem insistendo principiis, jejunium, seu unicam servans comestionem, posset in die Nativitatis carnes comedere, valde dubium videtur. Et sane quatenus in jejunio ciborum delectus intervenit, quia jejunium pro die voverit, in quo illos Ecclesia prohibet, quos tamen in die Nativitatis non prohibet; inde superioribus insistendo principiis, videtur ex hoc, in die Nativitatis unicam servans comestionem posse, nisi alia fuerit voventis mens, carnes comedere: quia vero vovens directe intendit jejunium qua tale prout scilicet ab Ecclesia præcipitur; inde est, quod etiam in die Nativitatis, in feriam sextam incidente teneatur non solum ad unicam comestionem, verum & ad carnium abstinentiam.

XL. Nobiscum quoad jejunii votum sentit Navarrus in manuali confessariorum, & pœnitentium de præceptis Ecclesiæ cap. 21. dicens: *An vero vovens jejunare omni feria sexta, vel sabbato, possit vesci carnibus, & non jejunare die Natalis domini tali die incidente? Respon: quod non per* Cap. final. *de observ. jejuniorum*. Licet autem Navarrus eamdem ac nos quoad votum jejunium, per singulas sextas ferias implendum, relate ad Nativitatis diem sententiam tulerit; non iisdem tamen, ac supra intrinsecis, solidioribusque Fagnani principiis innixum, sententiam protulisse animadvertimus. Ideo enim Martinus ab Azpilcueta loc. cit. asserit, per singulas sextas ferias jejunare voventem, non posse vesci carnibus in die Nativitatis domini, in feria sexta incidente, immo ad jejunium, ex voto servandum teneri, quia Honorius III. cap. *Explicari* de observat.

Tenendæ doctrinæ ex Navarro confirmatæ discretio proponitur.

je-

jejuniorum declarat, quod *illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis*. Honorius autem ibidem a carnium comestione in die Nativitatis domini non exclusit, nisi illos, qui jejunii voto etiam pro illo Nativitatis die ligati sunt; posse autem quem etiam pro illo die jejunii voto ligari, nemini dubium esse poterit. Casus vero, qui nobis explicandus suscipitur, non est, an jejunium vovens pro die Nativitatis domini, ad illud eo die servandum teneatur; utique enim ad illud teneri dicendus est. Noster igitur, immo & ipsius Navarri casus est, an jejunium vovens pro diebus, in quibus non præcipitur, & in uno ex illis Nativitatis dies inciderit, etiam quo Nativitatis die obligari intelligatur? Ad quod solvendum generalis doctrina, cui Navarrus innititur, non sufficit, sed alia ratiocinatione, sanis innixa principiis opus est, qua non utitur Martinus, ut illum percurrenti patere poterit; nec principiorum discretionem quoad dubii voti restrictionem, seu pro illo die exemptionem interpretandam assignat, quam Fagnanus in hoc solvendo dubio adhibet, unicuique meo videri sequendam tanquam principium ad dubiam voti extensionem, sive restrictionem dilucidandam.

Prædictæ doctrinæ extensio proponitur, discutitur, ac resolvitur.

XLI. Quod autem de jejunii voto pro singulis sextis feriis facto dictum est, etiam de jejunii voto pro quibuscunque diebus, in quibus jejunium non præcipitur, dici debet. Qui igitur pro singulis secundis, vel tertiis, &c. feriis, in quibus cæteroquin jejunium non præcipitur, jejunium voverit, orto dubio, an in die Nativitatis domini, in una ex illis feriis, in quibus jejunium voverit, incidente, ad jejunium teneatur; quate-

tenus nec in die Nativitatis domini jejunium præcipitur; laudato Fagnani principio innixus, ad votum jejunium, etiam in die Nativitatis servandum, obligari absolute teneo. Ex opposito autem: siquis jejunium voverit pro die, seu diebus, scilicet pro tali, vel talibus feriis, in quibus ex Ecclesiæ præcepto, vel speciali loci consuetudine jejunii obligatio vigeat; & tunc si dies Natalis domini eo die, seu uno ex illis diebus inciderit, in quibus jejunii præceptum, vel obligans consuetudo vigeat; eo quod in die Natalis domini istæc obligatio cesset, si dubium oriatur, an pro die Nativitatis domini votum jejunium constringeret, utique ex iisdem Fagnani principiis minime extendi dignoscitur. Utriusque autem casus solutionis ratio est, quia jejunium vovens pro die, seu diebus, in quibus jejunium non præcipitur; cum nec in die Nativitatis jejunium præcipiatur; inde, nisi aliter constet de mente voventis, Nativitatis diem excepisse non presumitur, seu ad illam etsi solemnitatis diem, votum extendisse intelligitur. Tale igitur jejunium etiam ad Nativitatis diem extendi tenendum est: contra vero: qui jejunium voverit pro die, seu diebus, seu pro aliqua feria, vel feriis, in quibus ex lege, vel peculiari cunsuetudine jejunium præcipitur, cum in die Nativitatis non præcipiatur, immo & quodcunque universale jejunii præceptum, vel consuetudo cesset; inde nisi aliter constet de mente voventis, Nativitatis diem, excepisse præsumitur, sicque ad Nativitatis diem votum jejunium non extenderetur. Utrum autem in primo casu, in quo votum jejunium etiam ad Nativitatis diem extenderetur, possit qui voverit, unicam servans comestionem, carnes in die Nativitatis comedere, valde implexa, ac difficilis videtur solutio; cæterum ad servandum jejunium in die Nativitatis

adstrictus, etiam ad ciborum delectum, & ad unicam comestionem tenebitur. vide supra n. 39.

Voti dubii extensio relate ad alia minoris momenti discutitur, ac resolvitur.

XLII. Ad complendam autem de dubia voti extensione doctrinam, alia minoris momenti ab omnibus admissa subjungere placet: Qui determinatis vicibus abstinentiam vel jejunium voverit, e. g. bis in hebdomada, non tamen determinando votæ abstinentiæ, vel jejunii diem, elapsis feria 2. 3. 4. & 5. abstinere, sive jejunare respective tenebitur in feria sexta, & sabbato. Per hoc enim quod in præcedentibus feriis non abstinuerit, vel non jejunaverit, votæ abstinentiæ, vel jejunii obligatio non extinguitur; sed ad ultimas usque hebdomadæ dies extenditur. Non absimiliter: Qui determinatis vicibus abstinentiam, vel jejunium voverit, octies e. g. per singulos menses, non determinando hebdomadam, vel materialiter bis in hebdomada dicens, mens tamen ejus non per singulas hebdomadas bis abstinere, vel jejunare ex voto statuerit, sed octo per singulos menses tantum abstinere, vel jejunare dies intenderit, si pluribus elapsis mensis diebus, votum non servaverit, in ultimis saltem octo diebus continuo abstinere, vel jejunare respective ex voto tenebitur. Item: Siquis e. g. per triginta dies per singulos annos servandam abstinentiam, vel jejunium voverit, dies non determinans, vel bis, aut ter per singulos menses abstinere, vel jejunare ex voto ligabitur: quod si ad finem properaret ejusdem anni undecimus mensis, ad ultimos saltem triginta illius anni dies abstinentiæ, sive jejunii respective obligationem extendi fatendum est: qui proinde sic voverit, ad ultimos triginta illius anni dies perveniens, nondum impleto voto, in iisdem omnibus continuo abstinere, vel jejunare ex voto respective tenebitur. Quod si abstinentiam, vel jejunium vovens, nec diem,

nec hebdomadam, nec menſem, nec annum, neque aliud determinaverit tempus, tunc quocunque elapſo tempore, nunquam, immo & nuſquam ceſſabit obligatio; unde ſic vovens, niſi votum expleat, ad illud etiam ad ſenilem uſque ætatem ſervandum ligatus remanebit. Item ſi vovens, tempus determinaverit e. g. feria 2. 3. &c. vel 20. 25. die cujuslibet menſis non ad finiendam obligationem, & tunc eo elapso, adhuc ad votam abſtinentiam, vel jejunium reſpective tenebitur. Contra vero ſi vovens, tempus determinaſſet ad finiendam obligationem, ita ut determinatum tempus, inſimul cum vota abſtinentia, vel jejunio connecteretur; ut eſſet abſtinentiæ, vel jejunii votum in pervigiliis ſanctorum, vel in ſabbatis, &c. determinando ſpecialem illius diei rationem, & tunc quia vota abſtinentia, vel jejunium illi determinato diei intelligitur addictum; inde, ſicuti non tenetur jejunare, vel abſtinere, ſeu votum ſervare aliis diebus,quibus ex voventis mente votum non eſt addictum; ita, determinatis illis diebus,quibus ex voventis mente jejunio addictis jam elapſis, amplius ad votas abſtinentias, vel jejunia non tenebitur; neque proinde hujuſmodi voti obligatio ad alios vel ſubſequentes dies extenderetur. Unde, etſi peccaverit, votam abſtinentiam vel jejunium apto tempore non ſervans, ad illud tamen ſervandum, illis elapſis in ſenſu expoſito diebus, amplius non conſtringitur, niſi aliter conſtet de mente voventis; vel niſi in transgreſſionis vindictam, votæ abſtinentiæ, vel jejunii opus reaſſumere velit, ut convenientius a confeſſario imponi deberet.

XLIII. Perſonis ab initio hujus §. propoſitis, quæ voti ſimplicis obligatione ligantur; votique dubii cum quoad exiſtentiam, tum quoad extenſionem ſolutionibus aſſignatis; perſonas hic aſſigna- | Quinam ſolemni voto ligari poſſint, diſcutitur, ac reſolvitur.

gnabimus, qui solemni voto ad abstinentias, vel jejunia ligari possunt. Quia ergo voti solemnitas, ut superiori cap. §. 2. diximus, per religiosam professionem, vel æquivalentem aliam solemnitatem emergere solet; inde, ut quis solemni voto ligari dicatur, deliberandi, proponendi, ac promittendi capacitas non sufficit, sed insuper requiritur statuta ad solemnitatem habilitas. Et quia solemnitas, ut ibidem diximus, per cæremonias quasdam, ab Ecclesia institutas, impletur; inde in Ecclesiæ potestate erit, has, illasve conditiones ad solemnis voti valorem apponere. Unde Tridentina synodus ad solemnium votorum valorem, per religiosam professionem obtinendum, sic relate ad personas illorum solemnitatem sess.25. cap. 15. declarat: *In quacunque religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur; professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem, ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus*. Sicut igitur, ut ex Trident. docemur, nulla ante decimum sextum expletum annum, & antequam per integrum annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad abstinentias, vel jejunia per religiosam professionem contrahenda obligatio consurgit; ita & per oppositum, quia exceptio firmat regulam in contrarium, expleto ætatis anno decimo sexto, & post susceptum habitum anno integro, statim, & illico ad abstinentias, ac jejunia illius religionis propria, ex valida solemni professione obligatio jure divino consurgit. Ac de Religiosis apposite dicitur illud ps. 75. v. 12. *vovete & reddite domino deo vestro*; licet enim ex libera voluntate religio-

nem

nem ingrediantur, professi tamen ex consequenti necessitate reddere tenentur.

XLIV. Quoad voti autem solemnis extensionem relate ad religiosam professionem, quia non omnia, quæ sunt in regula, obligationem jure divino inducunt; inde fit quod non omnium sive abstinentiarum, sive jejuniorum, quæ in regula continentur, obligatio oritur jure divino servandorum. Ad quod discutiendum ex Angelico 22. q. 186. art. 9. ad 1. sic ratiocinari placet: *Ille, qui profitetur regulam, non vovet servare omnia, quæ sunt in regula; sed vovet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis*, scilicet in paupertate, castitate, & obedientia: sic autem pergit ibidem s. Doctor: *Et in quibusdam religionibus cautius aliqui profitentur non quidem regulam, sed vivere secundum regulam, idest, tendere ad hoc, ut aliquis mores suos informet secundum regulam, sicut secundum quoddam exemplar, & hoc tollitur per contemptum*. Cum ergo sic professus, non ad servandam regulam, sed ad eam non contemnendam jure divino obligetur; inde fit, quod sic professus, licet illius religionis abstinentias, ac jejunia contemnens, contra regulam, & contra professionis vota ageret, tamen neque contra regulam, neque contra votum ageret, ea, dempto contemptu, non servans; videtur tamen ad id obligari posse, ne scilicet ad regulæ contemptum res perveniat. Et pergit s. Doctor. *In quibusdam autem religionibus adhuc cautius profitentur obedientiam secundum regulam; ita quod professioni non contrariatur nisi id, quod est contra præceptum regulæ: transgressio vero, vel omissio aliorum obligat solum ad peccatum veniale*. Unde hujusmodi religionem profitentes, ejusque abstinentias, ac jejunia servantes, quæ ex speciali præcepto in regula continentur, juri divino satis-

Solemnis voti extensio quoad religiosam professionem secundum se consideratam, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

fa-

faciunt; siquæ autem aliæ abstinentiæ, ac jejunia a superioribus imponerentur, ex obedientiæ voto ad ea servanda sub gravi non obligarentur; non quatenus obedientiæ votum non obliget, sed quatenus illæ abstinentiæ, vel jejunia in obedientia sub ratione voti non continerentur. Et post pauca subdit Angelicus: *In aliqua tamen religione, scilicet Ordinis F.F.Prædicatorum, transgressio talis, vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam: quia per hunc modum ad talia observanda obligantur*. Unde licet hujusmodi religionem profitentes, ad taxatam pœnam ex abstinentiarum, vel jejuniorum transgressione, sive omissione, juxta constitutionum morem sustinendam, ex vi religiosæ professionis jure divino teneantur; ad hujusmodi tamen illius regulæ abstinentias, ac jejunia secundum se servanda jure divino non ligantur. Nec casu diximus: *secundum se*; cum enim per religiosam professionem ad perfectionem tendere obligentur; inde est, quod si per continuatam eorum transgressionem, sive omissionem quasi per quamdam negligentiam, & contemptum ad perfectionem tendere impedirentur, ad ea servanda juxta perfectionis periculum sub gravi, vel levi culpa tenerentur. Unde & idem s. Doctor de hujusmodi religiosis loquens, ibidem subjungit: *Qui tamen possent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, seu contemptu*.

Solemnium votorum extensio, ex vi religiosæ professionis ad religiosos applicata, discutitur, ac resolvitur.

XLV. Votorum autem extensio quoad religiosorum s. Francisci professionem, præsertim quoad FF. Minores, quos Cordigeros vocant, a Nicolao III. relato cap. *Exiit, qui seminat* de Verborum signif. in 6. sub finem §. *In primis* sic explicatur: *Unde nos ad Fratrum ejusdem Ordinis conscientias plenarie serenandas: declaramus, quod ex pro-*

fes-

fessione ejusdem regulæ fratres ipsi ad ea tantum Evangelica observanda consilia sunt addicti, quæ in ipsa regula præceptorie, vel inhibitorie seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur. Et immediate sequitur: *Ad nonnulla vero alia per Evangelium data consilia eo magis secundum exigentiam sui status tenentur plusquam cæteri Christiani, quo per statum perfectionis, quem per professionem hujusmodi assumpserunt, se obtulerunt domino holocaustum medullatum per contemptum omnium mundanorum*. Et pergit ibidem: *Ad omnia autem, quæ in ipsa regula continentur tam præcepta, quam consilia, quam cætera, ex voto professionis hujusmodi non aliter tenentur, quam eo modo, quo in regula ipsa traduntur, ut scilicet teneantur ad eorum observantiam, quæ in eadem regula ipsis sub verbis obligatoriis indicuntur*. Unde quantum ad Nicolai III. constitutionem spectat, minores Fratres ad eas tantum abstinentias, ac jejunia per religiosam professionem jure divino tenentur, quæ sive præcepta, sive secundum se consilia, *ipsis* tamen in sua regula *sub verbis obligatoriis indicuntur*. Et subsequitur: *cæterorum vero abstinentiam; quæ sub verbis monitoriis, exhortatoriis, & instructoriis, seu quibuscunque aliis continentur: eatenus magis condecet de bono, & æquo eos prosequi, quos imitatores Sancti Patris effecti, Christi semitas elegerunt*. Ad illas ergo abstinentias, ac jejunia, quæ ipsis in eadem regula sub verbis obligatoriis non indicuntur, licet arctæ perfectioni, a s. Patre Francisco intentæ, maxime condecens sit solemnium votorum obligationem extendere, secundum se tamen ad ea, jure divino servanda ex vi suæ religiosæ professionis non teneri dicendi sunt. Unde Nicolai III. constitutionem: *Exiit* &c. declarans Clemens V. de verb. signif. Cap. *Exivi de Paradiso* in concilio viennensi §. *cum*

igi-

igitur, ſic habet: *Cum votum determinatum cujuslibet habeat cadere ſub certo, vovens regulam, non poteſt dici teneri ex vi voti hujuſmodi ad ea conſilia evangelica, quæ in regula non ponuntur.* Et paucis interjectis, ſic ſubjungit: *declaramus, & dicimus, quod dicti Fratres non ſolum ad illa tria vota & abſolute accepta ex profeſſione ſuæ regulæ obligantur, ſed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ ſunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ regula ipſa ponit.* Explicare autem volens peculiariter, quæ ſub præcepto ſervare teneantur Minores FF. in §. *Item quia* ſic pergit: *declaramus, quod illud, quod ponitur in regula, &c.* Et quoad noſtrum inſtitutum ſic proſequitur: *Item quod jejunare a feſto omnium Sanctorum uſque ad Natale domini, & in feriis ſextis teneantur, &c.* multiſque aliis interpoſitis, ſic paragraphum concludit: *Hæc, inquam, omnia ſunt a Fratribus tamquam obligatoria obſervanda: Item ordo communiter ſentit, tenet, & tenuit ab antiquo, quod ubicumque ponitur in regula hoc vocabulum: Teneantur: obtinet vim præcepti: & obſervari debet a Fratribus ſicut tale.* Unde ad eas tantum abſtinentias, ac jejunia, ex religioſa profeſſione in Minoribus FF. jure divino ſervanda obligatio conſurgit, quæ ſub verbis obligatoriis in ſua regula continentur. Et in eadem conſt. *Exivi* quoad jejuniorum extenſionem ex religioſa profeſſione in minoribus fratribus jure divino obligatoriam, ſic habet: *Item quod jejunare a feſto omnium Sanctorum* &c. quia ſcilicet ſub verbis obligatoriis indicuntur. Et ſubdit: *deinde cum duobus temporibus adnotatis in regula, ſcilicet a feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem domini, & maxime Quadrageſimæ, in quibus jejunare tenentur, inſeratur in eadem regula: aliis autem temporibus non teneantur, niſi ſexta feria, jejunare: & ex hoc voluerunt ali-*

aliqui dicere, quod dicti ordinis Fratres non teneantur, nisi ex condecentia, ad alia jejunia, quam ad ista: declaramus, debere intelligi eos non teneri ad jejunium aliis temporibus, præterquam in jejuniis, ab Ecclesia constitutis: Non est enim verisimile, quod vel institutor regulæ, vel etiam confirmator absolvere ipsos intenderit a servandis illis jejuniis, ad quæ de communi statuto Ecclesiæ obligantur cæteri christiani.

XLVI. Et quia ad solemnis voti ligamen personæ capacitas non sufficit, verum & ejusdem solemnis voti certitudo requiritur; inde solemnis voti ligaminis, quo personæ tenentur, exposita n. 43. ad 45. existentiæ, vel extensionis certitudine, quid de solemnis voti existentia quoad personas dicendum sit, inquirimus. Et quoniam in solemni voto plurimorum intervenit testimonium de ejus solemnitate quoad existentiam dubium oriri non poterit: quia vero adhuc adhibita solemnitate, de professionis validitate dubitari poterit; inde sub hac ratione emergente dubio, videtur dicendum, quod nisi validæ professionis signa constent, invalida reputari debeat; etsi cæteroquin juxta ea, quæ cap. 1. n. 22. & 23. & in hoc cap. n. 24. discussimus, adhuc in dubio validæ professionis ad ejus observantiam teneretur sic professus usque dum vel a religione legitime dimittatur, vel per legitimas potestates hujus professio invalida declaretur. Unde qui professionem emiserit, ac solemnitatis proinde testimonia adsint, si tamen validæ professionis signa non constent, seu potius invalidæ professionis prudentia adsint signa, sive indicia, abstinentias, ac jejunia ex solemni professione oriri solita, quantum scilicet ad solemnia vota spectant, jure divino servare non tenebitur, ut ex Alexandro IV. clarissime eruitur. Professionem namque infra probationis annum prohibens

Solemnis voti dubii quoad existentiam obligatio quo sensu procedere possit, discutitur, ac resolvitur.

bens Prædicatoribus, & Minoribus, de Regul. & Trans. ad Relig. in 6. cap. *Non solum* dicit, quod, etiamsi valide infra probationis annum professionem emittens, religioni fuerit adstrictus, non tamen ipsi ordini, Prædicatorum scilicet, vel Minorum, sed alii addici debet. Quod autem ad nostrum attinet institutum, est, quod etiamsi infra probationis annum sic professus, alii Ordini addici debeat, ut autem aliam ingredi religionem teneatur, sic professus, qui scilicet infra probationis annum professionem in dictis ordinibus emiserit, constare *evidenter* debet voluisse profiteri scilicet *illum vitam voluisse mutare*, sæcularem nempe in religiosam; & maxime notandum, quod apposite subjungit: *quod tamen non præsumitur, nisi clara probatione, vel competentibus indiciis ostendatur*: Si scilicet de patrimonio, ac de bonis suis disposuerit, ac spoliaverit, si beneficia, officia sæcularia &c. renuntiaverit &c. secus *ad sæculum redeat, sicut de sua voluntate processerit, præsumatis*. Prudenti igitur dubio de mente voventis emergente, nulla quoad religiosam professionem exorta præsumitur obligatio. Neque ergo ad illius religionis abstinentias, vel jejunia hujusmodi constringitur conscientia. Et licet professio, quæ in majori quatuordecim annorum fuerit olim valida, ut hic ab Alexandro IV. exprimitur, a Trid. sess. 25. in decreto de Regularibus cap. 15. fuerit abrogata, & ad decimum sextum completum annum redacta, dicente: *Professio autem antea facta*, scilicet infra annum suscepti habitus, & nondum expleto profitentis anno ætatis suæ decimo sexto, *sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus*; adhuc tamen ea, anno 16. elapso, & post probationis an-

annum emissa, poterit non obligare. Et ab Alexandro IV. regula præscribitur ad discernendam solemnium votorum obligationem, eamque non oriri declarat, ubi indicia sese obligandi non constent *evidenter*. Neque a Tridentino Alexandri declarationem, ac validæ professionis discernendæ regulam quoad hoc reformatam, sive abrogatam novimus. Ex quibus discretio apparet simplicis inter ac solemnis voti dubium; ad illud enim (vide n. 24.) in positivo dubio subsistit obligatio ad istud autem sub ratione saltem solemnis voti non subsistere dignoscitur, nec declaratur obligatio.

Solemnis voti dubii quoad extensionem obligatio proponitur, discutitur, ac resolvitur.

XLVII. Quoad dubiam autem voti solemnis extensionem eadem fere, quæ de simplicis voti dubii extensione supra n. 26. & 27. ac n. 39. ad 42. discussa sunt, dicenda videntur, cum hac tamen diversitate, quod ibi voti natura, voventisque mens ponderata sufficeret; hic insuper regulæ præscriptio, & observantia attendenda erit. Et quia non de voto, aliaque ad jus divinum pertinente ratione secundum omnem suam latitudinem, sed relate ad abstinentias, ac jejunia agere in animo est; inde relictis omnibus, a nostro instituto alienis, dicimus, religiosos, lacticiniorum, vel carnium abstinentiæ per singulos dies ex vi religiosæ professionis addictos, juxta discussa Fagnani principia etiam pro die dominicæ Nativitatis, nisi aliter in regula præscribatur, ad votam abstinentiam, vel jejunium similiter obligari; si per singulos hebdomadas in aliqua feria jejunii observantia ex instituto existat. Cum enim neque lacticiniorum, neque carnium comestio per singulos dies proibeatur; neque in illa feria jejunium ab Ecclesia per singulas hebdomadas præscribatur; inde fit, quod sic vovens, seu profitens, quatenus ad illos dies sese ob-

obstrinxerit, sive per abstinentiam, sive per jejunium, in quibus hujusmodi obligatio non existit, etiam pro die Nativitatis, in qua nec lacticiniorum, vel carnium abstinentia, neque jejunium præcipitur ad votum lacticiniorum, vel carnium abstinentiam; sive ad jejunium ex vi religiosæ professionis teneri dicendus est. Unde prælaudatus Fagnanus de observat. jejuniorum quoad jejunium ex voto sive ex religiosa professione susceptum n. 27. sic habet. *Ex his apparet, forte aliud dicendum esse in his, qui ex voto seu ex regula tenentur jejunare in omnibus sextis feriis, ut Fratres Minores. Hi enim voto sunt adstricti ad id, ad quod de jure non tenentur, cum jejunium in sexta feria non sit in præcepto... & consequenter sunt adstricti etiam ad jejunium in die Natalis domini, cum quoad jejunium non sit differentia inter illam diem, et alias sextas ferias*: nisi scilicet aliud ex voventis mente, sive ex instituto, aut regulæ observantia constare dignoscatur. Quod si vota lacticiniorum, sive carnium abstinentia vel jejunium ex mente voventis, sive ex instituto, aut regulæ observantia pro die illa, vel feria sit, in qua eadem abstinentia, vel jejunium ab Ecclesia præcipitur; quatenus in die Nativitatis neque hujusmodi abstinentia, neque jejunium præcipitur; inde hujusmodi abstinentiæ, sive jejunii votum, sive religionis institutum, vel observantia ad Nativitatis diem non extenditur, nisi aliud ex mente voventis, sive ex regulari instituto, vel observantia certo dignoscatur.

Quæ de solemnis, vel publici voti dubii existentia, vel extensione oriri poterit difficul-

XLVIII. Alia autem siqua sunt, relate ad solemnia vota, ex religiosa professione orta, existentiæ, vel extensionis, aut materiæ dubia, ad abstinentias, ac jejunia pertinentia, eodem ferme modo, ac de voto simplici in similibus a n. 24. ad 42. dictum est, solvenda videntur. Et quia, ut superiori cap.

§. 2.

§. 2. n. 21. ad 23. diximus, præter religiosam professionem etiam solemnia, seu publica vota dari possunt; idcirco ne aliquid desit, quod ad nostrum institutum spectare videatur, quoad lacticiniorum, vel carnium abstinentiæ, sive jejuniorum certam, dubiamve votam obligationem, sive quoad eorum existentiam, sive quoad extensionem, ex hujusmodi solemnibus, seu publicis votis contrahendam, eodem ferme modo, quo de voti simplicis, aut religiosæ professionis valore, sive existentia, aut extensione quoad lacticiniorum, sive carnium abstinentiæ, vel jejuniorum obligationem contrahendam, huc usque exagitavimus, respective discurrendum erit.

tas, eodem ferme ac in superioribus modo resolvi debere declaramus.

XLIX. Quia vero personæ, quæ ad abstinentias, vel jejunia jure divino teneri dicuntur, nedum ex voto sive simplici, sive solemni, verum & per juramentum obligari possunt; idcirco explicatis an. 10. ac deinceps personis, quæ ex voto simplici, sive solemni ad abstinentias, vel jejunia ligari valeant, personas hic subjicimus, quæ ex juramenti ratione ad abstinentias, vel jejunia jure divino adstringi dicendæ sunt. Ut certe quoad juramenti obligationem omnes ligari posse constat; Unde dicitur Num. 30. v. 3. *Si quis virorum ... se constrinxerit juramento: non faciet irritum verbum suum sed omne, quod promisit, implebit.* Et de muliere sub patria potestate in puellari ætate constituta v. 4. sic habetur: *Mulier si .... se constrinxerit juramento, quæ est in domo patri sui, & in ætate adhuc puellari: Si cognoverit Pater ... juramentum quo obligaverit animam suam, et tacuerit ... v. 5. quidquid .... juravit opere complebit.* Ac de muliere, maritum habente, extra domum licet existente, v. 7. sic legitur: *Si maritum habuerit... & semel de ore ejus verbum egrediens animam*

Quæ nam personæ juramento ligari possint, non secus ac de voto ab initio diximus, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

ejus

ejus obligaverit juramento : v. 8. *Quo die audierit vir, et non contradixerit... reddet quodcunque promiserat*. Et de muliere in domo viri existente v. 11. sic habetur: *Vxor in domo viri cum se... constrinxerit... juramento* v. 12. *si audierit vir, et tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcunque promiserat*, & v. 14. *si juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam*, v. 15. *si audiens vir tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam: quidquid.... promiserat, reddet*. Et sicut de vidua, ac repudiata, sive a viro justis de causis separata, suique juris effecta, quoad votum dicitur v. 10. *Vidua, & repudiata quidquid voverint, reddent*, ut supra diximus, ita & de juramento dici debere intelligimus.

Prædicta doctrina ad nostrum institutum applicatur.

L. Unde siquis virorum ad abstinentias, vel jejunium juramento se constrinxerit, ad juratas abstinentias, vel jejunium jure divino tenebitur. Quodsi abstinentias, vel jejunium jurans sit mulier sub patria potestate, & in puellari ætate constituta, ante completum scilicet duodecimum ætatis suæ annum, & in domo patris existens, audiente patre, & statim contradicente, ad juratas abstinentias, vel jejunia non tenebitur. Et quia exceptio firmat regulam in contrarium; inde fit, quod, etsi mulier sub patria potestate constituta, in domo patris existat, si puellarem ætatem evaserit, sive consentiente, sive contradicente patre, ad abstinentias, vel jejunia, elapsa puellari ætate, jurata, obligabitur: Similiter dicendum, si in puellari ætate extra patris domum existens, abstinentias juraverit, vel jejunia: tunc enim sive contradixerit pater, sive non, ad ea servanda jure divino tenebitur. Eodemque jure similiter obligabitur, si licet in puellari ætate, & in domo patris existens juraverit, pater vero sta-

ſtatim non contradixerit, contra vero, ut ſupra innuimus, utque ſequitur v. 6. *Sin autem ſtatim ut audierit, contradixerit pater . . . juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni, eo quod contradixerit pater.* Vide ſupra, ubi in ſimilibus de puellæ, vel mulieris, virum habentis, voto diſcuſſimus,

LI. Item ſi mulier maritum habens abſentem, abſtinentias juraverit, vel jejunia, viro ſuo inſcio, ad ea jure divino ſervanda obligabitur: Quodſi audierit vir ejus, & non contradixerit, ad ea ſervanda ſimiliter obligata remanebit: idemque dicendum, ſi in domo viri exiſtens, viro ſuo minime abſente, eo tamen inſcio juraverit, ad ea enim ſervanda, jure divino tenebitur: immo ſi, ut audierit vir ejus, tacuerit, vel non ſtatim, vel nullo modo contradixerit; ad ea ſimiliter ſervanda jure divino conſtringetur, ac reddet quodcunque juraverit. Quocunque autem modo ex viri contradictione a juramenti obſervantia eximatur mulier, non eo ſenſu intelligitur, quo de puellæ juramento, ſtatim contradicente patre, ſupra innuimus; ſed tali ac tanto tempore juramenti executio ſuſpenſa remanebit, quanto tempore viri ſui contradictio duraverit: Unde ſi mulier ſui juris ſit, vel repudiata, ſeu a viro juſtis de cauſis ſeparata, quocunque alio contradicente, ad juratas abſtinentias, vel jejunia jure divino ligata dignoſci debet. Et quia Num. 30. eodem modo de voto, ac de juramento obligatio quoad perſonas procedit; immo & eodem ferme modo juxta theologica principia religionis virtute ſpectata, nedum quoad imperatos, verum & quoad elicitos actus jure divino obligatio conſurgit; inde, ne actum agamus, propter juramenti cum voto rationis paritatem quidquid in ſuperioribus de voti obligatione, ceſſatione, ſuſpenſione, reviviſcen-

Prædicta doctrina relate ad alias perſonas explicatur.

ſcentia &c. relate ad quaſcunque perſonas ex theologicis principiis diſcuſſimus, huc revocatum ad juramenti obligationem, ceſſationem, ſuſpenſionem, reviviſcentiam &c. relate ſimiliter, ac reſpective, ad quaſcunque perſonas applicatum intelligimus: eodem proinde modo juramenti obligationem conſurgere, ceſſare, reviviſcere &c. quoad perſonas reſolvi debet, quo de voti obligatione, ceſſatione, reviviſcentia &c. in ſuperioribus diſcuſſum eſt.

Juramenti dubii quoad exiſtentiam obligatione proponitur, diſcutitur, ac reſolvitur.

LII. Quoad juramentum autem dubium ferme idem ac de voto dubio n. 24. & 25. ac paſſim ſupra diſcuſſimus, dicendum videtur. Si enim dubium de juramenti exiſtentia ſit negativum, an ſcilicet revera abſtinentias juraverit, vel jejunium, non de utrove, ſed de utroque negative dubius, cum ad ſupponendum juramentum motiva deficiant, & conſequenter an lex obligans exiſtat; nulla apparet obligatio. Id autem intellige in ſenſu copulativo, ſcilicet ſi negativum dubium de utroque procedit, ſecus vero in ſenſu disjunctivo, ad unum determinato; ſi ſcilicet quis negative dubitaſſet, an abſtinentias juraverit, ſecus vero jejunium, vel vice verſa, an jejunium, vel abſtinentias; ſi enim certo dignoverit abſtinentias, vel jejunium juraſſe, non dubitans de utrove, ſed certus de uno determinando, utrum autem eorum juratum fuerit, dubitaret, non ab utroque, ſed ab uno tantum ſervando eximeretur. Et quia tunc quoad unum eſſet dubium poſitivum, & dubium poſitivum juxta dicta n. 24. obligat; inde ne transgreſſioni exponeretur, ad jejunium, vel abſtinentias teneretur ſervandas. Quod ſi non revera dubium, ſed ſuſpicio eſſet; & tunc non ſecus ac ſupra n. 24. de voto diximus, ſi ſuſpicio pro jurata abſtinentia, vel jejunio eſſet, ad juratam abſtinentiam, vel jejunium disjunctive te-

ne-

nebitur; si vero e contra; si nempe pro non emisso juramento esset suspicio, adeoque negative, non de utrove disjunctive, sed de utroque copulative procederet suspicio; & tunc ad juratam abstinentiam, vel jejunium consurgere non videtur obligatio; & a fortiori non tenebitur, si de juramenti existentia negative incertus, incertus etiam negative fuerit, an juramenti tempore sufficientem ætatem, vel rationem habuerit dignoscendi id, quod erat faciendum; & multo magis, si de juramento incertus, certus tamen esset non habuisse tunc sufficientem ætatem, vel rationem dignoscendi id, ad quod per juramentum constringeretur: tunc enim tali posita prudenti incertitudine, ad abstinentias, vel jejunia, inani apprehensione jurata non obligaretur. Quocunque autem modo dubium sit positivum, ac prudens, tunc non secus ac supra num. 24. de positivo voti dubio diximus, ad juratas abstinentias, vel jejunium tenebitur; & a fortiori si certum sit juramentum, incertum autem sit, an juraverit cum veritate; cum judicio; vel cum justitia: tunc enim etsi tempore facti juramenti incertus sit, an sufficientem habuerit ætatem, vel rationem dignoscendi id, quod faciendum erat; juramentum tamen cum veritate, & judicio, & justitia præsumitur emissum: idque a fortiori dicendum, si nedum certus sit de juramento, verum & de sufficienti ætate, ac ratione dignoscendi id, quod faciendum erat, certus quoque existeret: tunc enim habita juramenti certitudine, licet cum incertitudine, an cum veritate, judicio, & justitia juraverit, sic jurasse tenendum est. Si ergo certus sit abstinentias, vel jejunium jurasse, incertus vero de juramenti comitibus, de veritate scilicet, judicio, ac justitia; vel an in sufficienti ætate, ac ratione juraverit; & tunc ad juratas

 absti-

abstinentias, vel jejunium obligabitur; & a fortiori obligabitur, si certus de juramento, certus quoque sit de sufficienti ætate, ac ratione dignoscendi id, ad quod se constrinxerat; etsi cæteroquin de juramenti comitibus incertus existeret: quod si certus de juramento, incertus autem sit, an juratum jejunium, vel abstinentia mala per accidens evaserint, vel majoris boni impeditiva; & tunc non secus ac de votis abstinentiis, vel jejuniis quoad obligatas personas supra n. 25. discussimus, resolvendum erit.

Juramenti dubii quoad extensionem obligatio proponitur, discutitur, ac resolvitur.

LIII. Quod si dubium de juramenti extensione procedat; an scilicet juramento confirmans per sextas ferias jejunaturum, diem etiam Nativitatis in ea feria incidentem, incluserit; tunc non secus ac de dubia voti extensione, mens jurantis venanda est. Sicut igitur promissio deo facta, si quoad extensionem dubia sit, ex variis circumstantiis, supra n. 26. discussis, voventis mens dignosci debet, ita & quoad dubiam juramenti extensionem ex variis circumstantiis mens jurantis venanda est. Quia igitur juramenti obligatio, licet ut plurimum homini facta, ex promissione procedit; inde sicuti, si de voti extensione dubium oriatur quoad promissionem deo factam, quomodo voventis mens venanda sit, ex circumstantiis pendet; ita similiter, si de juramenti extensione dubium oriatur, eodem ferme modo ac de dubia voti extensione diximus, ex circumstantiis judicandum erit.

Quænam, & quando ex publico juramento consurgat obligatio proponitur, discutitur, ac resolvitur.

LIV. Ex solemni quoque, seu publico juramento obligationem oriri supra cap. 1. §. 2. n. 28. ac deinceps jam diximus. Solemni igitur juramento in suo robore permanente, personas obligari, eodem modo ac de simplici juramento diximus, innegabile est. Ad uberiorem autem hujus rei explicationem, advertendum hic est, quod

quod si solemnitas, seu publicitas quid juramento accessorium reputetur, ac sit, juramenti obligatio secundum se a solemnitate non pendet, sed tanquam ex juramento simplici obligatio consurget: si vero veluti quid principale ad juramenti valorem interveniret publicitas, vel ut conditio sine qua non; & tunc, ea deficiente solemnitate, seu publicitate, etiam juramenti obligationem omnino deficere necesse est: ut contingere poterit, si Magistratu multitudinis nomine solemniter juraturo, illi, vel major illorum pars, qui magistratum gerunt, absque juramenti comitibus, sine sufficientibus ad id testibus, quin immo, & non interveniente multitudine, nulla scilicet adhibita solemnitate, vel publicitate, multitudinis nomine juraret, tali, vel tali die in multitudine abstinendum, vel jejunandum &c. Non enim sic poterit multitudo obligari, cum nullo modo præsumitur consensisse; ne quidem ille, qui multitudinis nomine juraverit; cum enim multitudinis membrum etiam sit, sese obligasse, nisi obligata multitudine, non præsumitur: neque si consideretur juramentum, ut a privata persona factum, tamquam ex juramento simplici respectu illius obligatio oritur; cum enim ille non proprio, sed multitudinis nomine, cujus membrum sese considerabat, abstinentias juraverit, vel jejunium, vel aliud tali, vel tali die explendum; inde est, quod, non obligata multitudine, neque ipsemet, qui multitudinis nomine juraverit, ad juratas in sensu posito abstinentias, vel jejunium remanebit obligatus. Quod si mens illius, qui sic juraverit, ita in juramentum ferebatur, ut, etiam si obligata non remansisset multitudo, ipse tamen juramento ligari intendisset, tunc etiam si in multitudine obligatio non emergeret, ipse tamen sub ratione saltem simplicis juramenti, ac sub illis

 cir-

circumſtantiis, ac reſpectibus, quos reſpiciebat jurans, ad juratas abſtinentias, vel jejunium, vel aliud remanebit ligatus.

Publici Juramenti, dubii quoad exiſtentiam, vel extenſionem, obligatio proponitur, diſcutitur, ac reſolvitur.

LV. Quoad ſolemnis autem, ſeu publici juramenti dubium, videtur dicendum, quod hujuſmodi dubium relate ad exiſtentiam oriri non poterit, ſi multitudinem ligaret: cum enim hujuſmodi ſolemnitas, ſeu publicitas per multorum celebrari ſoleat teſtimonium, & in publicis actibus recondatur, ſemper in multitudine ejus memoria viget, & obligatio. Neque quoad obligationis extenſionem dubium oriri poterit; cum hujuſmodi ſimiliter juramenti obligatio a Magiſtratu, ſeu ſupremo capite, nec non & a multitudine, ſeu populorum ducibus, per omnes claſſes ſelectis, præſcripta, & conſcripta ſit, immo & quoad vices, tempus, locum, materiem, aliasque circumſtantias clariſſimis terminis determinetur. Quod ſiquis e multitudine de ſolemnis, ſeu publici juramenti exiſtentia, obligatione, vel eſtenſione dubitaret, eodem fere modo ac de dubii voti exiſtentia, obligatione, & extenſione ſupra diximus, ejus obligatio venanda erit. Quod ſi ſolemne, ſeu publicum juramentum particularem tantum perſonam, non multitudinem afficeret, ut ſiquis coram Pontifice, vel Epiſcopo, vel alia legitima, & publica poteſtate abſtinentiarum, ſive jejuniorum, vel cujuslibet diverſæ materiæ ſolemne, ſeu publicum emitteret juramentum; Et tunc uſque dum per publicam, ac legitimam poteſtatem eximeretur, ne ſcandalum generaret, quoad utrumque forum ſub hac ratione ſemper ligatus exiſteret. Quoad conſcientiæ autem forum tantum, quocunque modo oriatur dubium, ſive quoad juramenti exiſtentiam, ſive quoad ejus materiem; vel extenſionem, eodem ferme modo, ac de dubia voti ſimplicis, vel privati juramenti exiſtentia, obli-

obligatione, aut extensione respective dijudicari debet. Quod si forte quoad juramenti existentiam, valorem, obligationem, dubium, suspensionem, extensionem cum quoad elicitos, tum quoad imperatos actus, relate ad quascunque personas sive puellas, sive pueros, sive mulieres virum habentes, sive repudiatas, seu a viro ex rationabilibus causis separatas, aliquid in prædictis resolutionibus, a nobis propositis deesse videatur; nedum ex iis dignosci poterit, quæ hic, & cap. 1. §. 2. ubi de juramento egimus, discussa sunt; verum & propter rationis paritatem ea, quæ ibidem, & in hoc §. de voti simplicis, vel solemnis existentia, valore, obligatione, dubio, suspensione, extensione dicta, ac discussa sunt, etiam de simplicis, vel solemnis, seu publici juramenti existentia, valore, obligatione, dubio, suspensione, extensione quoad actus similiter elicitos, sive imperatos relate ad quascunque personas, sive puellas sive pueros, sive mulieres virum habentes, sive repudiatas, seu ex rationabilibus causis a viro separatas, huc revocata, ac per singula applicata, respective dicta, ac discussa volumus; eodemque ferme modo, sub quacunque ratione quoad juramentum oriatur dubium, respective resolvi debere declaramus.

§. III.

De Personis, quæ abstinentiarum, jejuniorumque necessitate ex humano jure ligantur.

LVI. Discusso jam in superioribus paragraphis, quænam naturali, divinove jure ad abstinentias, ac jejunia, aliudve obligentur personæ, discutiendum nunc remanet, quænam ad abstinentias, ac jejunia, ex humano jure procedentia, obligari

Omnes doli capaces ad abstinentias, ab Ecclesia præscriptas, obligari tenendum est.

gari dicendæ ſint. Et certe quoad abſtinentias, omnes doli capaces obligari, ſive pueri illi ſint, ſive puellæ, ſive natu majores, ex Innocentio III. conſtat, qui Tit. de obſervat. jejuniorum totus eſt in declaranda eorum obligatione, nullum inter pueros, vel puellas, natuve majores diſcrimen aſſignans. Sicut igitur hi etiam ad jejunia, ita & illi, pueri ſcilicet, ac puellæ doli capaces non quidem ad hæc, ob contrariam nempe Eccleſiæ conſuetudinem, & indulgentiam, ſed ad abſtinentias obligari dicendi sunt. Ratio autem eſt; quia ab Eccleſiæ poteſtate omnes per Baptiſmum ligantur, qui præceptorum ejus capaces ſunt. Abſtinentiæ autem præceptum ſervandi omnes capaces ſunt, qui ratione pollent. Abſtinentiæ igitur præceptum ſervare etiam pueri, ac puellæ tenentur, ſi doli capaces exiſtant. Quia igitur ſeptennes pueri, vel puellæ doli capaces ut plurimum reputantur, ac ſunt; inde ſeptennes pueri, ac puellæ ad abſtinentias obligari dicendi ſunt; idemque dicendum de pueris, vel puellis, qui ante ſeptennium doli capaces exiſtant. Quod ſi e contra, elapso adhuc ſeptennio, rationis usus nondum advenerit, ad Eccleſiæ abſtinentias non tenebuntur: Cum enim præcepti cuſtodia obedientiæ actus exiſtat; obedientiæ autem actus virtutis actus ſit; virtutis autem actus ab homine fieri debeat, qua homo eſt; ab homine autem, qua homo eſt, nullus fieri poſſit virtutis actus, niſi ex deliberata voluntate, ac ratione procedat; a deliberata autem voluntate nullus procedere poſſit virtutis actus, niſi usus rationis advenerit; inde fit, quod illi, quibus rationis uſus nondum advenerit, ad Eccleſiæ abſtinentias non tenebuntur. Sicut ergo talibus, ita & amentibus pro amentiæ ſtatu, & ſi poſt ſeptennium, in ea permanentibus, etiam diebus prohibitis, lacticinia, ſive carnes dari poſſunt.

LVII.

LVII. Quod si dubium sit, an ante septennium, sive in septennio, vel post, rationis usus advenerit, vel etiam pro natu majoribus, an in rationis usu existant; dicendum videtur, quod, si septennium nondum sit elapsum, & certa rationis indicia non appareant, sed tantum dubia; tunc sive ex consuetudine, sive ex Ecclesiæ indulgentia non videntur obligari parentes, vel alii, quorum curæ subjiciuntur, ut eos a cibis vetitis abstinere faciant. Huc facit illud Pauli in jure cæsareo Reg. 115. positum: *In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet*; ante septennium autem, ut plurimum, doli capacitas advenire non solet; pueri igitur, vel puellæ nondum septennes, si certa rationis indicia non appareant, cum verisimilius sit nondum advenisse, a vetitis cibis abstinere non tenentur: nec absimiliter, propter paritatem rationis obligari dicendi non sunt, si in septennio, vel post, certa appareant indicia rationis usum nondum advenisse. Quod si in septennio, vel post, dubia rationis indicia appareant, ad abstinentiæ præceptum teneri dicendi sunt: idemque tenendum videtur, si in dubio de rationis adventu, de ipso quoque completo septennio dubium accedat. Eo quod enim abstinentiæ præceptum nedum elapso septennio, verum & de eo, ac de rationis usu exorto dubio, possidet; & nisi contrarium, quoad utrumque, nondum scilicet elapsum septennium, vel eo elapso, nondum advenisse rationis usum constaret, rationis usus advenisse præsumitur; inde fit, quod de utrove, vel de utroque exorto dubio, nisi, adhibitis prudentibus diligentiis, septennium nondum completum esse, vel rationis usum completo licet septennio, nondum advenisse appareat, non absimiliter ac de voti dubii obligatione n. 24. discussimus, quantum ad abstinentiæ observantiam at-

In dubio rationis usus, an, & quando ad abstinentias, ab Ecclesia præceptas, obligatio consurgat, discutitur, ac resolvitur.

attinet, completum ſeptennium, vel rationis uſum adveniſſe reputari debet.

Prædicta ſolutio ulterius explicatur, ac roboratur.

LVIII. Eo quod igitur in ſeptennio rationis uſus advenire ut plurimum ſolet; inde, in ſeptennio conſtituti, etiam in dubio de rationis adventu, ad abſtinentiæ præceptum obligari dicendi ſunt. Sicuti eo quod tempore Eugenii Papæ I. impedimentum publicæ honeſtatis per ſponſalium valorem affinitatem inducens, ſponſæ cum ſponſi, & ſponſi cum ſponſæ conſanguineis poſſidebat; inde factum eſt, quod, etſi conſtaret de ſponſæ ſeptennio nondum completo, dubitabatur autem, an juvenis tentaſſet, quod *complere non* potuerit; hujusmodi puella repudiata, ſive etiam ante ſeptennium mortua, non poſſe juvenem illum *conſobrinam ipſius puellæ* poſtmodum ducere, ſed ab invicem ſeparari ab eodem Eugenio mandatum eſt, ut ex cap. *Juvenis* de ſpons. & Matrim. innoteſcit. Et licet a Trid. ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 3. decretum fuerit, quod ubi ſponſalia *valida fuerint, primum gradum non excedant*; & tempore præcitati Eugenii etiam ad conſobrinos hujuſmodi impedimentum extenderetur, id tamen noſtri argumenti vim non infringit, cum paritas non in ratione majoris, vel minoris extenſionis impedimenti affinitatis, ſed ſub ratione dubii ſita ſit, poſſidente præcepto.

Prædictæ ſolutionis continuatur expoſitio.

LIX. Ad noſtrum igitur inſtitutum redeuntes, ſic ratiocinari judicamus: ſicuti tempore Eugenii ſupra citati, publicæ honeſtatis impedimento, ad conſobrinos uſque poſſidente, etſi de puellæ ſeptennio nondum completo conſtaret; quia tamen, an cum puella tentaſſet juvenis, quod complere non potuerit, dubitabatur, quod ſane dubium niſi adfuerit, ut juvenis puellæ conſobrinam duceret, diſpenſaſſet Pontifex; propterea licet ante ſeptennium repudiata, vel mortua puella,

la, juvenem, qui cum puellæ consobrina postea contraxit, prædicto posito dubio, separari præcepit Eugenius; ita in casu nostro: eo quod abstinentiæ præceptum possidere dignoscitur; inde, etsi in dubio, vel certitudine de elapso, vel non elapso septennio, si tamen certum dignoscatur rationis usum non advenisse, ad abstinentias, ab Ecclesia præceptas obligatio non existat; secus vero si cum dubio de septennio certa, vel saltem dubia appareant rationis indicia; & multo magis, si cum dubiis rationis indiciis de septennio constaret: propter rationis namque cum Eugenii solutione, sub diversa licet ratione, puritatem, ad abstinentiæ præceptum obligationem consurgere tenendum est. In facti namque dubiis, ad mores pertinentibus, tutiorem partem eligendam esse ex nuper dictis, atque ex iis, quæ supra n. 24. discussimus, immo & ex præcit. cap. *Juvenis* ex eodem Eugenio satis apparet. Et licet a jurisper. Cajo ff. lib. 50. Tit. de Regulis juris Reg. 57. dicatur: *semper in dubiis benigniora præferenda sunt*; id tamen non de favoribus, sed de odiis intelligendum est. Prædicta autem Eugenii de puellæ sponsalibus solutio, licet sit odium respectu illius juvenis, est tamen favor respectu juris communis relate ad publicæ honestatis impedimentum, etiam ad consobrinas tunc se extendens, quod sane ex communi jure tunc procedens impedimentum, particularium bono præferri debuit: Quodque ad nos pertinet, facit illud in Reg. 15. in 6. positum: *odio restringi, & favores convenit ampliari*. Enim vero abstinendi quidem obligatio odium est, sed animæ, quæ corpori præferri debet, favor. Dicere autem, libertatem in dubiis circa mores, ac factum possidenti legi, vel præcepto prævalere posse, vel debere intolerabilis hallucinatio est, morum corruptelæ occa-

sio,

sio, Pastorum contemptus, sanæque doctrinæ plana ignorantia.

Ad jejunia, ab Ecclesia præcepta, doli capaces in sufficienti ætate constitutos obligari tenendum est.

LX. Quoad jejunia autem, humano jure præcepta, in rubrica de observatione jejuniorum omnes doli capaces obligari videntur, salvis semper manentibus naturalis juris principiis. Unde factum est, ut variis hinc inde exortis opinionibus, quidam asserere non sunt veriti jejuniorum legibus obligari omnes, postquam annum decimum sextum expleverint; alii vero post annum decimum octavum; alii post vigesimum; alii tandem post vigesimum quintum: at omnino certa, ac tuta, atque ad Ecclesiæ praxim redacta videtur doctoris Angelici sententia, non minus jejunandi obligationem, ante tertium completum septennium jure humano procedentem, excludens, quam, eo completo, ad Ecclesiæ jejunia teneri declarans. Sic enim in sua 22. q. 147. art. 4. ad 2. ratiocinatur. *In pueris maxime est evidens causa non jejunandi: tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit, quod indigent frequenti cibo: & non multo simul assumpto: tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti. Et ideo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est ut in pluribus usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant, plus, vel minus secundum modum suæ ætatis*. Idem sentit s. Vincentius Ferrerius serm. 1. feriæ IV. Ciner. de pœnit. dicens, ad Ecclesiæ jejunia non obligari *quousque compleverint pueri tria septennia: ratio, quia usque ad illud tempus corpus augmentatur & pueri crescunt; ideo tales indigent ad minus duabus refectionibus, una pro corporis sustentatione, alia pro corporis augmento. Ideo do vobis istud consilium, quod pueris se-*

septem vel octo annorum sufficit, quod jejunent in die veneris sancta. Dicatur de aliis secundum majorem ætatem, si undecim, vel duodecim annorum semel in hebdomada, & sic de aliis. Quibus innixus Martinus ab Azpilcueta in suo Manuali cap. 21. num.16. *Impotentia*, inquit, *eximit ab hac lege pueros usque ad 21. annum; expedit tamen eis jejunio assuescere.*

LXI. Nec moralis ratio deest, quare scilicet ab anno potius 21. ad Ecclesiæ jejunia teneri dicantur. Sicut enim in corporali militia Num. 1. v. 3. *A vigesimo anno & supra* fortes putabantur ad bella processuri; ita & in spirituali militia, quantum ad Ecclesiæ præceptum pertinet, a 20. anno completo contra spirituales nequitias per corporalia jejunia pugnare debere dicendi sunt, *Militia* namque Job. 7. v. 1. *est vita hominis super terram*. Ad militandum enim quisque adstringitur contra sensuum voluptatem; contra divitiarum cupiditatem; & contra excellentiæ libidinem; juxta illud 1. Joan. 2. v. 16. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Et quia diabolus, ac maligni spiritus has concupiscentias provocant, dicente Ap. Eph. 6. v. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem: sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*; jejunium autem carnem refrænat, ac malignos spiritus propulsat; unde, cum discipuli malignum spiritum ab homine ejicere non potuerint, qui, comminante Christo, exiit, illis interrogantibus Marc. 9. v. 27. *Quare nos non potuimus ejicere eum?* respondens Jesus v. 28. *dixit illis: hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio*; idcirco jejunium tamquam hujus militiæ arma a Christo, a Prophetis, ab Apo-

Prædicta doctrina confirmatur

ſtolis, ab Eccleſia, a Patribus declaratum, aſſumi, immo & imponi debere ab anno ſaltem uniuscujuſque vigeſimo, ac ſupra, in quo majori cum ardore paſſiones vigere ſolent, domarique neceſſitas urget, innegabile eſt: etſi cæteroquin Eccleſiæ benignitas, adductis n. 60. innixæ rationibus, niſi tertio elapſo ſeptennio, uniuſcujuſque conſcientiam non conſtringat. Quoad hoc autem, non ſecus ac de puerorum abſtinentiæ neceſſitate diximus, ſi dubium oriatur, an vigeſimum primum ætatis annum expleverint, ad Eccleſiæ jejunia teneri dicendi ſunt, ut de abſtinentiæ neceſſitate relate ad pueros quoad dubium de ſeptennio diſcuſſum eſt.

Quandoque ante annum vigeſimum primum jejunandi obligationem conſurgere poſſe comprobamus.

LXII. Licet autem ex ordinaria Eccleſiæ lege, ejuſque recepta, ac probata conſuetudine ante completum annum vigeſimum primum ad ejusdem Eccleſiæ jejunia obligatio non conſurgat, poſſunt tamen hujuſmodi adoleſcentes per accidens ab Eccleſiæ paſtoribus obligari, ut eſſet, ſi ob urgentem, publicam, & communem neceſſitatem jejunium a legitima poteſtate pro omnibus indiceretur. Unde Angelicus 22. q. 147. art. 4. ad 2. *Quandoque tamen*, inquit, *magna tribulatione imminente, in ſignum pœnitentiæ arctioris etiam pueris jejunia indicuntur*. Sicut etiam de jumentis legitur Jonæ 3. v. 7. *Homines, & jumenta, & boves, & pecora non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant*, & v. 8. *Et operiantur ſaccis homines*. Cui ſententiæ conſonat d. Antoninus in ſumma part. 2. Tit. 6. cap 2. §. 4. iiſdem ferme utens verbis. Item in lucrandis ſub jejuniorum conditione Jubilæis, aliiſque indulgentiis, etiam adoleſcentes jejunare tenentur, ſi eas lucrari voluerint, vel niſi in aliud opus ex legitima facultate commutata eis fuerint prædicta jejunia. Quæ omnia nedum de abſtinentiis, vel

je-

jejuniis, ab universali Ecclesia præceptis, vel a Summo Pontifice impositis, verum & de iisdem, uniuscujusque diœcesis propriis, aut a particularibus synodis, vel ab Episcopis præscriptis intelligi debent.

Ad abstinentias, vel jejunia, a confessario imposita, non ætatem requiri, sed doli capacitatem sufficere rationibus comprobamus.

LXIII. Ad abstinentias autem, vel jejunia, a Confessario imposita, omnes teneri, nec determinatam ætatem requiri, sed doli capacitatem, culparumque reatum incurrisse sufficere nemo sanæ mentis ignorat. Cum enim, ut cap. I. §. I. discussimus, jure naturæ teneatur quilibet sui corporis vulneribus adhibere remedia; seque ab eis, quantum poterit, præcavere; ac tranquillam, honestamque vitam agere; & si aliquem læserit, satisfacere; inde est, quod a fortiori ex eodem naturali jure, tamquam ex radice, tenetur quilibet animæ suæ vulneribus adhibere remedia, eamque, quantum poterit, a spiritualibus vulneribus præcavere, ac puram, supremoque Numini conjunctam custodire, eique, si forte offenderit, satisfacere, ut loc. cit. dignoscitur. Abstinentiæ autem, ac jejunia, a confessario imposita, ad hoc ordinantur, ut animæ scilicet vulneribus remedium afferant, ut a culpis præservent, ut animæ puritatem custodiant, ut supremi Numinis Majestati satisfactio detur. Ad abstinentias igitur, ac jejunia, a confessario imposita, ex naturali jure, tanquam ex radice omnes teneri, qui peccaverint, vel peccandi capaces sunt, nemo sanæ mentis negare poterit. Cum præsertim, ut eodem cap. I. §. 3. n. 37. 38. & 39. discussimus, non minus confessario præceptum sit sacramentalem pœnitentiam imponere, quam pœnitentibus eam implere. Quod si non in culparum remedium, earumque vindictam, sed in majoris perfectionis exercitium a directore, nullo scilicet habito ad sacramentalem satisfactionem respectu,

sa-

salutares abstinentiæ, vel jejunia imponantur, quatenus satisfactio sacramentalis non sunt, non quilibet, sed ille solus ea adimplere tenebitur, qui tamquam medium ad animæ salutem necessarium persolvenda dignoverit.

Quoad jejunia, vel abstinentias Religiosorum innuitur obligatio.

LXIV. Quoad abstinentias autem, vel jejunia, religiosis a suis respective superioribus imposita, videtur dicendum, quod, si de novitiis sermo procedat, ad religionis abstinentias, vel jejunia non teneri fatendum est, sive cæteroquin annum ætatis suæ vigesimum primum expleverint, sive non; tertio autem expleto septennio sive novitii sint, sive professi, ad servanda Ecclesiæ jejunia omnes obligari dicendi sunt. Emissa autem professione, etiam ad religionis jejunia, & abstinentias constringuntur.

An Religiosi ad abstinentias, vel jejunia peculiarium diœcesum, vel ab Episcopis imposita teneantur, discutiendum suscipitur.

LXV. Multum autem inter doctores disceptatur, an Regulares abstinentias, ac jejunia alicujus diœcesis particularia, ab Episcopo indicta, vel in peculiari synodo constituta, servare teneantur? Eo quod autem ex Trid. ad censuras, & interdicta, atque Episcopalia festa teneantur, dicente sess. 25. cap. 12. de Regular. *Censuræ, & interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur; dies autem festi, quos in diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur*; inde aliqui inferunt, quod ad abstinentias etiam, ac jejunia, ab Episcopis imposita, servanda teneantur: negant vero alii ea ducti ratione, quia scilicet abstinentiarum, & jejuniorum impositio odium reputatur; & concilium ibi non jejunia, vel abstinentias nominat, sed censuras, & interdicta, ac festa; inde, ut Episcoporum præcepta ad abstinentias, vel jejunia religiosos constrin-

ſtringant, extendi poſſe negant. Quæ poſterior ſententia nobis non diſplicet; non quidem eo ducti, quod abſtinentiæ, vel jejunia odia ſint, cum potius animæ favores exiſtant, ſed alio ſolidiori, & clariori principio; cum enim ex Reg. 30. juris in 6. *In obſcuris minimum eſt ſequendum*; & juxta illud: *Exceptio firmat regulam in contrarium*; Synodus autem Regularium erga Epiſcoporum ordinationes, ac præcepta, ſubjectionem, & obedientiam aſſignans, non abſtinentias, vel jejunia nominet, ſed dies feſtos, interdicta, ac cenſuras; inde eoquod Regulares ad ſervanda Epiſcoporum feſta, interdicta, ac cenſuras obligati declarentur, ad abſtinentias vero, ac jejunia, ab Epiſcopis impoſita obligati ibidem non exprimantur, cum Tridentini mens in hoc obſcura ſit, & feſta, & interdicta, ac cenſuras ſolum exceperit, conſequenter ab abſtinentiis, ac jejuniis ab Epiſcopo impoſitis potius eximi intelligimus; donec ſcilicet aliud a ſacra Congregatione declaratum innoteſcat.

Tenenda ſententia quoad praxim aperitur, ac reſolvitur.

LXVI. His autem poſitis, relate ad praxim media quoad hoc videtur eligenda ſententia; ſi ſcilicet regularium conſuetudo ſit præceptas ab Epiſcopis abſtinentias, & jejunia ſervandi, ad ea ſervanda obligati, dicendi ſunt; ſecus vero ſi hujuſmodi conſuetudo non ſit. Quodſi abſtinentias prædictas, ac jejunia non ſervantibus, ſcandalum oriatur in populis, ad ſervanda ex alio capite jure divino tenentur. Placet hic Benedicti XIV. doctrinam ſubjicere, de ſynodo lib. 13. cap. 4. ſic dicentis: *verum ſi in aliqua Regularium communitate antiqua invaluiſſet conſuetudo ſervandi jejunia, quæ Epiſcopus ſive in ſynodo, ſive extra ſynodum aliquoties indicit; nullus dubitat ad ea deinceps ſervanda eamdem communitatem compelli poſſe: tunc quippe jejunandi obligatio non oritur ab*

ab Episcopi jurisdictione, sed ab ipsa consuetudine, quæ vim habet inducendi legis obligationem: quemadmodum opportune monent omnes laudati doctores. Et pergit immediate: *Similiter non ab Episcopi præcepto, sed a jure naturali jejunare coguntur Regulares illis diebus, quos Episcopus jussit esse esuriales, si non jejunantes scandalum præbeant aliis, quod jam cum Suarez prænotavimus*: Et concludit: *Quocirca a culpa non excusamus eos Regulares, qui illis ipsis diebus, quibus tota diœcesis a vetitis cibis abstinet, ut Episcopi edicto morem gerant, ad suam ostentandam exemptionem, se splendide epulatos palam, & publice gloriantur*: *hæc enim vana ostentatio non potest non afferre audientibus gravem offensionem, præsertim si jejunium fuerit ab Episcopo imperatum ex publica causa, puta ad placandum deum, ut ingens aliquod malum, aut imminens mali periculum a diœcesi avertat*. Et quidem adderem: cum ex lege charitatis dei iram avertere teneantur omnes; inde, publica, seu communi perurgente necessitate, omnes, qui de communitate existunt, ad dei iram avertendam tenentur. Si ergo Episcopus, qui suarum ovium, etiam Regularium quoad extrinsecum saltem suæ diœcesis regimen, Pastor existit, cujus proinde judicium in sua Ecclesia authenticum est, ad dei iram avertendam abstinentias, vel jejunia judicat indicenda, ad ea servanda, etiamsi quoad alia exempti fuerint, vel contraria adsit consuetudo, etiam Regulares teneri dicendi sunt.

Ad Ecclesiæ abstinentias, ac jejunia, etiam ii teneri dicendi sunt, qui illis non indigere autumant.

LXVII. Et quoniam etiam inter fideles non desunt, qui superbiæ spiritu ducti, quasi non indigentes, ab abstinentiis, ac jejuniis immunes reputantur; idcirco eos diabolico, ac falsitatis spiritu illusos ostendere volentes, omnes Ecclesiasticarum abstinentiarum, jejuniorumque præce-

ptis

ptis obstrictos esse sentimus: Huc facit prop. 3. a Clem. V. in Viennensi concilio inter alias damnata, dicens: *Illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis*, putatæ scilicet impeccabilitatis, *& spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur: quia (ut asserunt) ubi spiritus domini, ibi libertas*. Et prop. 6. *Se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a se virtutes*. Cujus opinionis quanta sit falsitas ex ipsamet libertatis discretione patet; cum enim viæ libertas non ejusdem rationis sit, ac ea, quæ in patria divinam consequitur visionem; ea autem, quæ in patria divinæ essentiæ consequitur visionem, non nisi ex intuitiva ejus claritate in malum vergere nequeat; inde fit, quod eam, qua in via, a domino peregrinantes, fruimur, non per intuitivam visionem, sed per fidem ambulantes, & non per speciem, ex ordinaria dei providentia illum perfectionis gradum, beatitudinis proprium, qua ex ipsamet intuitiva divinæ essentiæ visione in bono obfirmamur, in via consequi non potuerint; ne dicere cum illusis hujus farinæ hominibus velimus viæ inter, ac patriæ libertatem nullum esse discrimen. Si igitur viæ libertas in malum vergere potest, remediis ergo opus habet, ut a malo divertens, in bonum convertatur, ac sistat. Abstinentiarum autem, jejuniorumque necessitatem supra jam diximus, eamque ex sanctorum sententiis comprobatam discussimus: eorum item ad concupiscentiam reprimendam; ad mentis elevationem obtinendam, & conservandam; ad officia erga deum, proximum, ac seipsum explenda; nec non & ad deo pro peccatis satisfaciendum necessitatem ex naturali, divino, humanoque jure ortam hic cap. 1. satis probatam demonstravimus. Viæ igitur libertas

abstinentiis, jejuniisve opus habet, ut a malo divertens, in bonum convertatur, ac sistat. Qua fronte igitur dici poterit ad talem posse in via perfectionis gradum perveniri, ut inde impeccabilitate consequuta, ab Ecclesiæ præceptis eximi quis possit? quod quasi in sua radice præ oculis habens Trid. Synodus, sess. 6. can. 20. *Siquis*, inquit, *hominem justificatum, & quamtum libet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero evangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum: anathema sit.* Siquis igitur abstinentiis, ac jejuniis ad animæ salutem consequendam se non indigere sentiat, præterquam quod ex præsumptione procedat, adhuc facta hypothesi, ab Ecclesiasticis præceptis, sive abstinentiis, vel jejuniis eximi non poterit. Unde Cajetanus 22. q. 147. art. 3. in commentario ad quæstionem: *Num non indigens jejunii remedio, ad culpæ deletionem, cohibitionemque, & mentis elevationem, ad Ecclesiæ jejunium ex præcepto teneatur?* Respondet: *Ad hoc dicitur, quod procul dubio quilibet non impeditus, sive egeat, sive non, remedio jejunii, subjacet præcepto jejunii:* Cujus rei rationem assignans, sic prosequitur: *Et ratio est, quia lex jejunii data est omnibus potentibus jejunare: quia omnes tales indigent remedio jejunii, vel pro peccato præterito delendo, vel cavendo futuro. Constat enim omnes esse peccatores, quamdiu in hac vita sumus. Et si quis non egeret tali remedio in specie, quia tamen lex data est de tali specie remedii, qua communiter homines egent, subjacet etiam ille dictæ legi.* Quam doctrinam veluti ad regulam quamdam reducens, sic pergit: *Pro universali siquidem regula est habendum quod lex, quæ communiter fit ad omnes,*

ut singulares personas pro remedio, vel quocunque alio medio exequendo, ligat omnes non impeditos: quia, licet ratio legis sit indigentia remedii, vis tamen coactiva ejus est ad non impeditos: quoniam hoc expedit & ad communem legis finem, qui est facere homines virtuosos; & ad communem hominum subjectionem sub lege, & est de natura vis coactivæ legis, scilicet obligare, si impedimentum non obstat; sicuti competit naturalibus agentibus agere efficaciter in passum non impeditum. Ratio autem quare, si respectu alicujus particularis deficiat legis finis, adhuc illum particularem obligare non desinat, ab eodem Cajetano ibidem assignatur, ad 2. sic dicente: *Necessitas jejunii ad finem in quolibet singulari non ponitur causa legis, nisi ex cummuni conditione, & non ex partiali dispositione cujusque. Excusantia autem ex particularibus impedimentis impotentiæ istius, vel illius conditionis personarum, vel ipsarum personarum sumuntur habita ratione finis;* quo in communi perseverante, etiamsi respectu particularium deficeret, etiam respectu particularium obligans perseverat.

LXVIII. Et certe quomodo ad impeccabilitatis statum pervenire possumus, in quo ad præceptas ab Ecclesia abstinentias, vel jejunia non teneamur, cum Christus Jesus Apostolos jejunaturos dixerit post ejus abscessum, etsi eunte ad Patrem Christo Jesu, post acceptum spiritum sanctum perfectiores extituri forent? dicentibus enim Joannis discipulis Matt. 9. v. 14. *Quare nos, & Pharisæi jejunamus frequenter; discipuli autem tui non jejunant?* Respondit Jesus v. 15. *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* Et tunc Joannes Baptista præ omnibus sanctitate fulgeret, de quo ipsamet Ve-

Assignata solutio roboratur.

ritas ait Matt. 11. v. 11. *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista*; arctam tamen ducebat vitam, abstinentiis, jejuniisque addictam, de quo dicitur Matt. 3. v. 4. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustæ, & mel silvestre*. Quam sit autem perniciosum Ecclesiæ non obedire mandatis, a longe agnoscens s. Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium: *Neque enim*, inquit, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti dei non obtemperatur*; cujus judicium contemnens Bertoldus de Borbach germanus anno 1356. inter alia temere docuit: *hominem in hac vita eum perfectionis gradum consequi posse, ut illi nec jejunio, nec oratione sit opus, & nihil deinceps sit ei peccatum*. Et quia proprio judicio fisus, ab Ecclesiæ veritatibus recedens, obcœcato intellectu, non aliam nisi seipsum veritatis regulam agnosceret, eo dementiæ devenit, ut dicere ausus fuerit: *Laicum idiotam a deo illuminatum adeo posse prædicando, & docendo proficere, ut magis ei quam Evangelio, & sanctis doctoribus sit credendum*.

Prædictæ doctrinæ, confutatis oppositis, continuatur expositio.

LXIX. Proprio exinde ejusdem furfuris homines illusi judicio, sacram scripturam interpretantes, a vero aberrare non desinunt; Unde & in suum sensum contorquere nituntur sequentia Apostoli verba 1. ad Tim. 1. v. 9. *Lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis*, & v. 10 *fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & siquid aliud sanæ doctrinæ adversatur*. Et v. 11. *Quæ est secundum Evangelium gloriæ beati dei, quod creditum est mihi*. Hæc autem Apostoli verba, licet blandientes hæretici sibi fa-

favere glorientur, in sano tamen sensu intellecta contra ipsos retorquentur. Sana autem expositio hæc est: Cum enim juxta Apostolum loc. cit. v. 5. *Finis ... præcepti*, seu legis, sit *charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*; Et justus operetur ex motivo charitatis erga deum, ac proximum, quod importat operari ex charitate *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*; inde, quia justus etiam in servandis præceptis ita operatur, non aliter ac si pœna non esset, non sicut peccatores, quorum operationes non ex corde puro, neque ex conscientia bona, neque ex fine deo placendi per charitatem procedunt, non charitatis nempe amore, sed timoris causa legem seu præcepta servare conantur, juxta illud: *oderunt peccare boni virtutis amore: oderunt peccare mali formidine pœnæ*; idcirco dicitur justo non esse imposita lex, sed injustis, &c. non quatenus justus legi subjectus non sit, sed quatenus non per coactionem, & quasi invitus, sed plena, ac sincera voluntate, & ex conscientia legi, seu præcepto sese subjicit, cui expositioni consonans Angelicus in tertium dist. 40 q. unic. art. 4. q. 3. ad 2. sic habet: *Ad secundum dicendum, quod virtuosus ea, quæ ad virtutem pertinent, delectabiliter exequitur, ut dicitur in 1. Eth. & ideo virtus perfecta levius, quantumcumque difficilia, exequetur, quam carens virtute, facilia; cui hoc ipsum triste est, quod a delectationibus illicitis abstineat*. Eamdemque sententiam confirmare volens S. doctor Apostoli innixus eloquiis, sic ex ejusdem doctrinis ratiocinari prosequitur, in Epist. ad Galatas cap. 5. Lect. 7. super illud. v. 23. *Adversus hujusmodi non est lex*, in edit. Lugdun. 1689. dicens: *Hic consequenter ex utrisque concludit, quod qui spiritum sequuntur, non sunt sub lege: sed utitur tali probatione:*

ille

ille est sub lege, qui est obnoxius legi (id est, qui facit contraria legi), sed illi, qui aguntur spiritu, non faciunt opera contraria legi: Ergo non sunt sub lege, ... Quia aut faciunt opera spiritus, & adversus hujusmodi non est lex; idest contra opera spiritus, sed spiritus docet ea: nam sic ut lex exterius docet opera virtutum, ita & spiritus interius movet ad illa. Unde Rom. 7. v. 22. dicitur: *condelector enim legi dei secundum interiorem hominem*. Et pergit Angelicus ad Gal. 5. *Aut faciunt opera carnis; & hæc in his, qui spiritu dei aguntur, non sunt contraria legi*, unde dicit Apost. v. 24. *Qui autem sunt Christi*, scilicet, ut explicat Angelicus in eadem Epist. *qui spiritum dei habent*, pergit Apostolus: *carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis* contra vero, ut dicitur Rom. 8. v. 9. *Siquis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Et pergit Angelicus: *Illi ergo spiritu dei aguntur, qui sunt Christi: isti, inquam, carnem suam crucifixerunt*; opera nempe carnis impediendo, dei gratia adjuti; sicque a cogente lege per spiritum subtrahuntur; unde dicitur Rom. 8. v. 14. *Quicunque enim spiritu dei aguntur, ii sunt filii dei*. Prætereo, quod in prædictis, ac similibus quoad justos legis exemptio quandoque de lege cæremoniali procedit juxta illud ad Gal. 5. v. 18. *Quodsi spiritu ducimini, non estis sub lege*; sub jugo scilicet legis veteris, seu sub lege cæremoniali, quæ amplius non obligat; secus vero sub lege cum præceptorum; cum ipse dux noster Matt. 5. v. 17. dixerit: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere*. Unde relate ad moralia præcepta etiam justi sub lege dicendi sunt. Quia vero justus juxta Apostolum spiritu dei agitur & non coactive, sed ex charitatis motivo a malo se abstinet; ideo prohibitiva le-

lege non ligari dicitur: contra vero quia peccator non ex charitatis ratione, sed ex quadam coactiva legis vi operatur, & consequenter si pœna deest, a malo non abstinet, idcirco justus non esse sub lege dicitur, secus vero peccator. Quia item præceptiva lex non de tollendis impedimentis, sed de mediis ad consequendam salutem necessariis agit; ideo justi quatenus ad salutem consequendam impedimenta non ponunt, lege prohibitiva ligari non dicuntur, secus vero peccatores. Et quatenus etiam impedimenta non ponentibus, media ad salutem necessaria sunt, de quibus lex præceptiva agit; inde lege præceptiva omnes ligari, prohibitiva vero soli peccatores adstringi dicendi sunt.

Prædicta doctrina ulterius explicatur confutatis, que contrariis absolvitur.

LXX. Justi igitur etiam quoad moralia dici aliquo modo possunt non esse sub lege scilicet, ut explicat Angelicus ad Gal. 5. Lect. 5. *Quantum ad coactionem: Et sic justi non sunt sub lege: quia motus & instinctus spiritus sancti, qui est in eis, est proprius eorum instinctus: nam charitas inclinat ad illud idem, quod lex præcipit. Quia ergo justi habent legem interiorem, sponte faciunt, quod lex mandat ab ipsa non coacti: qui vero voluntatem male faciendi habent, comprimuntur tamen pudore, vel timore legis, isti coguntur. Et sic justi sunt sub lege obligante tantum, non cogente, sub qua*, coactivæ nempe legis ratione, *sunt solum injusti*. Non igitur, quasi lege non teneantur justi, intelligendum est illud Apost. 2. Cor. 3. v. 17. *Ubi autem spiritus domini, ibi libertas*: illudque 1. Tim. 1. v. 9. *Lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis, &c.* cujus rei discretione utens Angelicus, sic ulterius prædictas expositiones, scripturæ, ac rationi consonas commonstrat 12. q. 96. art. 5. c. *Lex*, inquit, *de sui ratione duo habet, primo quidem*

quod

quod est regula humanorum actuum; secundo quod habet vim coactivam. Dupliciter ergo aliquis homo potest esse legi subjectus; uno modo sicut regulatum regulæ: & hoc modo omnes illi, qui subduntur potestati, subduntur legi, quam fert potestas: quod autem aliquis potestati non subdatur, potest contingere dupliciter: uno modo quia est simpliciter absolutus ab ejus subjectione: uti sunt illi unius regni respectu alterius regni relate ad peculiares potestates. *Alio modo secundum quod regitur superiori lege*; ut qui regitur legibus Episcopi, non ligatur ordinationibus Parochi. *Alio vero modo dicitur aliquis subjectus legi sicut coactum cogenti: Et hoc modo homines virtuosi, & justi non subduntur legi; sed soli mali. Quod enim est coactum, & violentum, est contrarium voluntati, voluntas autem bonorum consonat legi, a qua malorum voluntas discordat: Et ideo secundum hoc boni non sunt sub lege, sed solum mali.* Qua ratione igitur dicere audent hujusmodi illusores cuilibet liberum esse Ecclesiæ præceptis non obedire? vel justos ad impeccabilitatis gradum pervenire, & sic legum observantia non indigere, cum ex hac ipsa elatione a justitia deficerent? Unde Aerius, teste divo Augustino hæresi 53., hæreticus reputatus est, quia asserebat *nec statuta solemniter celebranda esse jejunia, sed cum quisque voluerit, jejunandum, ne videatur esse sub lege*.

An infideles ad Ecclesiæ abstinentias, ac jejunia teneantur, discutitur, ac resolvitur.

LXXI. Quoad infideles autem, an præceptis ab Ecclesia abstinentiis, vel jejuniis teneri dicantur, certa ab incertis distinguere oportet; *cum enim* juxta Angelicum 22. q. 10. art. 5. c. *peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere dupliciter, quia aut renititur fidei, nondum susceptæ: & talis infidelitas est paganorum; sive gentilium: aut renititur fidei christianæ susceptæ; & hoc vel in figura, & sic est infidelitas Judæorum;*

rum ; vel in ipsa manifestatione veritatis ; & sic est infidelitas hæreticorum. Qua posita Angelici expositione, sic ratiocinari placet: quia abstinentiarum, jejuniorumque obligatio a potestate præcipiente procedit; potestas autem præcipiendi non exercetur, nisi in subditos; inde est, quod, nisi in subditis, hujusmodi abstinentiarum, jejuniorumque obligatio non consurgit. Ecclesiastica autem potestas non exercetur, nisi in ovili Christi; in Christi autem ovile nemo intrare potest nisi per baptismum, sive in re, sive in voto susceptum. Quicunque igitur baptizati non sunt, ad hoc ovile non pertinentes, nec obligari possunt a potestate, Christi ovile regente, dicente Apost. 1. cor. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Licet enim Christus qua *deus homo* est, omnium caput, & pastor per creationem sit, omnesque creaturæ ad eum pertineant, ovesque ejus omnes homines, sub diversa licet ratione ac sui fideles, etiam extra Ecclesiam existentes, dici possint, secundum quoad etiam intelligit, & asserit Fagnanus de const. cap. *canonum statuta* n. 65. dicens: *omnes autem tam fideles, quam infideles, oves sunt Christi per creationem, licet non sint oves de ovili Ecclesiæ*, ac proinde omnibus mandare possit, ac præcipere; quia tamen ipse non in omnes suas oves Petro jurisdictionem contulit, sed in illas, quæ per baptismum Christi Ecclesiam ingrediuntur; inde fit, quod, sicut nec oves Petri sunt, qui per baptismum nondum ejus ovile, quod est Ecclesia, ingressi sunt; ita nec ejus legibus tenentur, nisi per baptismum universæ legis debitores constituantur. Nondum ergo in Ecclesiam per baptismum ingressi, ad præceptas ejus abstinentias, ac jejunia non teneri dicendi sunt. Contra vero qui per baptismum aliquando intra Ecclesiam extiterunt, ut Apostatæ;

vel

vel susceptо adhuc baptismate, Ecclesiæ obstiterunt, ut hæretici: hi certe cum per baptismum Ecclesiæ potestati subjiciantur, ejus legibus teneri dicendi sunt, de quibus loquens Angelicus 22. q. 10 art. 8. c. *Alii vero*, inquit, *sunt infideles, qui quandoque fidem susceperunt, & eam profitentur, sicut hæretici, & quicunque Apostatæ: & tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt, & teneant, quod semel susceperunt*. Quia ergo Ecclesiæ potestas in eos extenditur; inde ad abstinentias, ac jejunia, ab Ecclesiastica potestate præcepta, quantum ad contractam per susceptum baptismum obligationem attinet, servanda tenentur. Non immerito autem ex Ecclesiæ benignitate præsumi poterit, ne peccata scilicet peccatis addant, eos, nisi ex comtemptu a culpa eximi non servantes; non secus ac etiam inter catholicos Ecclesiasticæ leges, dempta fraude, vel contemptu, per contrariam consuetudinem abrogantur.

CAPUT TERTIUM.

De Potestate instituendi abstinentias, ac jejunia.

Hujus capitis ratio, & scopus aperiuntur.

I. Explicata necessitate ac; personis, quæ naturali, divino, humanove jure ligari possunt, discussis; in hoc tertio capite abstinentias, ac jejunia instituendi potestatem aggredimur explicandam. Et quia benevolo lectori satisfacere, quantum ad scopum attinet, prætendimus, ne forte putet mancam futuram esse potestatis rationem, si de abstinentiis, ac jejuniis humani juris tantum, secus vero de naturalis, divinique juris præceptis agere instituamus; idcirco, antequam de humana potestate agamus, quo sensu hujusmodi potestas a naturali, divinove jure procedens, intelligi pos-

possit, ac debeat, aperire judicavimus. Et quia omnis, quæ de aliqua re procedit quæstio, ab ejus definitione initium sumere fas est; idcirco explicata prius juxta suam naturam potestate, quid in naturali, divino, humanoque jure importet, ea, qua par est, efficacia, & claritate discutiendum suscipimus.

II. Potestas autem, in suo generali conceptu considerata, activum quoddam jus est imperandi, sive præcipiendi, permittendi, vel prohibendi: quia vero imperandi, sive præcipiendi, permittendi, vel prohibendi actus nedum voluntatis deliberationem in imperante, sive præcipiente, permittente, ac prohibente, & quoad utramque contradictionis partem libertatem præsupponunt, verum & jus ad transgressores puniendos requirunt; inde est, quod activum illud jus imperandi, sive præcipiendi, permittendi, ac prohibendi dari non potest, ubi deliberatio, ac libertas, vel puniendi jus deficiant. Cum autem agere non naturæ, sed singularium personarum, seu suppositorum sit, sicut & deliberatio, ac libertas, puniendique jus; inde fit, quod potestas ista, jus nempe imperandi, sive præcipiendi, permittendi, ac prohibendi non quidem in natura, sed in persona tantum adinveniri poterit. Si igitur hujusmodi actus imperandi, sive præcipiendi, permittendi, ac prohibendi in natura esse non possunt: consequenter neque activum illud jus, seu potestatem quoad illorum actuum exercitium, qui personæ tantum, non naturæ esse possunt, in natura dari possibile est. Et quia abstinentias, ac jejunia instituendi potestas circa hujusmodi actus deliberationem importat; transgressionesque puniendi jus quoddam; atque ad utramque contradictionis partem libertatem præsupponit, quæ non in natura, sed in persona dari debent: consequenter

Iis, quæ ad potestatem constituendam requiruntur, expensis, abstinentias, ac jejunia instituendi potestatem in naturali jure dari non posse concludimus: Qua vero ratione naturalis juris præcepta dari possint, ac dentur, explicamus.

ter necessario dicendum, quod abstinentias ac jejunia instituendi potestas in natura dari non possit. Si ergo naturale jus non in particulari persona, scilicet non in particulari supposito residet, sed in ipsamet natura; inde ridiculum esset asserere abstinentias, sive jejunia instituendi potestatem in naturali jure dari posse. Cum item juris naturæ principia, ut cap. 1. §. 1. discussimus, nedum in speculativa ad cognoscendum, verum & in practica ratione ad agendum consistant; speculativa autem ratio non proprie ad voluntatem, sed ad intellectum, practica vero ratio a potiori ad voluntatem, quam ad intellectum pertineat; unde deliberare, ac præcipere, permittere, ac prohibere, quatenus ad practicam rationem attinent, non ad intellectum, sed ad voluntatem spectent, quæ sane quatenus non naturæ sed suppositorum, seu personarum propria, in natura deficere dignoscuntur; inde neque ex hoc capite abstinentias, sive jejunia instituendi potestas ad naturæ jus pertinere poterit, sed in persona seu personis residere, & consistere dignosci debet. Hinc apparet, quod licet dicatur, hoc, illudve juris naturæ præceptum esse; per id tamen non præceptum intelligitur, a natura, quasi a potestate deliberante proveniens, sed potius ab æterna, & immutabili supremi Numinis deliberante voluntate, sic & sic uniuscujusque naturam ex suæmet supremæ rationis dictamine constituentis, ut ejus oppositum eam læderet, vel sub aliqua ratione suæ sapientiæ opus destrueret, vel ab ejus officiis erga deum conditorem, vel conservos suos, vel circa proprium individuum a recto tramite deflectere faciet, in quantum scilicet juxta Angelicum 12. q. 93. art. 1. c. *Ratio divinæ sapientiæ moventis omnia ad debitum finem obtinet rationem legis. Et secundum hoc lex æter-*

na

na nihil aliud est, quam ratio divinæ Sapientiæ, secundum, quod est directiva omnium actuum, & motionum. Unde secundum quod homo æternæ legis, seu hujus directionis impressionem circa hoc, vel illud in sua practica ratione indelebilem retineat, ac sine intermissione cognoscat, hoc, illudve juris naturæ præceptum asseritur. Et quia ad corporis, animæque bonum etiam sub physica ratione consideratum, sive obtinendum, sive conservandum æternæ legis impressio inter cætera etiam abstinentias, ac jejunia tamquam necessarium medium intellectui quandoque proponit, voluntatemque ad ea exercenda inclinat; inde juxta rationes cap. 1. §. 1. expositas abstinentiarum, jejuniorumque necessitatem a naturali jure oriri, ab eodemque jure ea præcipi posse asserimus.

Abstinentias, ac jejunia instituendi potestatem in deo admitti debere confitemur; eorumque cum deo oriundæ obligationis rationes ex infinita ejus dignitate, atque ex creaturarum fidelitate ac reverentia, quibus tenentur, procedere demonstramus.

III. Ad divinam autem quod attinet potestatem, animus non est, ac ne quidem oportet peculiarem paragraphum instruere. Cum enim primam causam aliorum omnium conditricem omnes admittere debeamus; ad primam autem conditricem causam in omnes suos effectus supremum jus pertineat, juxta illud Is. 42. v. 5. *Hæc dicit dominus deus, creans cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam. v. 6. Ego dominus &c.* inde est, quod ad primam causam pertineat supremum, & universale jus mandandi, ac præcipiendi, permittendi, ac prohibendi; nec non & transgressores puniendi. Abstinentias igitur, sive jejunia suis creaturis præcipiendi potestas, transgressoresque puniendi tamquam necessaria in deo admitti debet. Et licet ex ordinaria providentia neque abstinentias, neque jejunia mandare, seu præcipere deus soleat; quia tamen ex infinita sua dignitate quæcun-

cunque creaturarum obſequia illi debita reputantur, eaque acceptare intelligitur; & creatura poteſt in illius obſequium hoc, illudve promittere faciendum; vel in alicujus rei confirmationem infallibile ejus teſtimonium invocare; inde ex alicujus rei deliberata promiſſione, ſub ratione ſcilicet voti deo facta, vel ex ejusdem nominis invocatione in alicujus rei confirmationem aſſumpta fuerit ejus Auctoritas, ratione fidelitatis, ac reverentiæ reſpective tantæ dignitati debitæ, & faciendi id, quod ei promittitur, & verificandi id, quod in nomine ejus juratur, ex divino iure obligatio conſurgit.

Hujus Capitis diviſio proponitur.

IV. His igitur, quantum ad poteſtatis rationem in genere, vel relate ad naturale, divinumque jus pertinet, prælibatis, probata capit. 1. & 2. §. §. tertiis abſtinentiarum, jejuniorumque ex humano jure orta neceſſitate, nec non & aſſignatis perſonis, quæ eorumdem obligatione humano jure ligari poſſunt; quia vero non deſunt, qui carnis deliciis addicti, ut illorum evertant neceſſitatem, ea inſtituendi poteſtatem nullam in Eccleſia eſſe contendunt; idcirco hoc tertio capite, tribus §. §. diſtincto, abſtinentias, ac jejunia inſtituendi poteſtatem §. 1. discutiemus; §. 2. quæ ex jejunii natura ab inimicis crucis Chriſti coacervantur, expendere, & confutare conabimur; §. tandem 3. mundorum, ac prohibitorum aſſignatis rationibus, iis item, quæ dicta, & comprobata ſunt, confirmatis, contra inimicos crucis Chriſti caput iſtud abſolvemus.

§. II.

§. I.

Abstinentias, ac jejunia instituendi potestas discussa, adstruitur, explicatur, & comprobatur.

V. Enim vero cum Ecclesiastica potestas quamdam constituat in spiritualibus aristocratiam; inde est, quod juxta Angelicum 22. q. 147. art. 3. c. *sicut ad sæculares Principes pertinet præcepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his, quæ pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus; ita etiam ad Prælatos Ecclesiasticos pertinet ea statutis præcipere, quæ ad utilitatem communem fidelium pertinent in spiritualibus bonis*; eique consentiunt doctores quos inter Didacus Covarruvias lib. 4. cap. 20. num. 3. sic habet: *Quemadmodum ad sæculares Principes, civilemque Rempublicam pertinet præcepta tradere de his, quæ in rebus temporalibus communi utilitati conveniunt, ea, quæ generalia sunt juris naturalis, juxta rationem politicam in specie definiendo; ita & apud Ecclesiam, & Ecclesiasticos Principes jus est, & potestas præcipiendi ea peculiaribus statutis, quæ juxta communem rationem utilia sunt, & quandoque necessaria quoad bona spiritualia, supernaturalemque felicitatem consequendam. Nam & hoc esse munus prudentis legislatoris nemo profecto negabit, qui politicam disciplinam vel mediocriter intellexerit.* Idemque sentiens Cardinalis a Turrecremata de Consecr. dist. 5. v. *Jejunia* in edit. veneta an. 1578. sic procedit: *Sicut ad sæculares Principes pertinet condere præcepta de his, quæ pertinent ad communem utilitatem de rebus temporalibus, ita ad Prælatos Ecclesiasticos pertinet præcipere illa, quæ pertinent ad communem utilitatem fidelium in spiri-*

Spiritualem in Ecclesia potestatem admittendam esse comprobamus.

ritualibus, sed jejunium est hujusmodi ergo &c.

Abstinentias, sive Jejunia instituendi potestatem in Ecclesiæ Pastoralibus admittendam esse declaramus.

VI. Hanc autem potestatem, condendi nempe leges, quoties ad spirituale regimen expedire judicaverint, ad Patres. seu ad Ecclesiæ Episcopos pertinere, nec ab homine quidem datam, sed divino jure eis concessam esse, apertissime ab Apostolo docemur, Act. 20. v. 28. dicente: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam dei, quam acquisivit sanguine suo*. Ad spiritualem autem fidelium directionem non sufficit communi bono leges decernere, nisi etiam eæ ferantur, quæ ad animæ salutem consequendam ordinantur. Unde a Christo Jesu Matt. 18. v. 18. absolute dicitur: *Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Potestas igitur suos subditos ligandi, vel solvendi ex divino jure ipsis derivata dignoscitur; non quidem solummodo a peccatis, verum & per leges, ac præcepta eos ligando, vel solvendo. Per abstinentiarum igitur, jejuniorumque leges, ac præcepta eos ligare posse omnino fatendum est. Idemque sentiens Lambertinus, plures in sua diœcesana synodo adducens Rotæ decisiones, suam, nostramque sententiam lib. 13. cap. 4. sic explicat: *Etenim cum Episcopi positi sint a spiritu sancto regere Ecclesiam dei Act. 20. iisque collata sit potestas solvendi, & ligandi Matt. 18. sive hæc sit immediate a Christo domino, sive a summo Pontifice, nemo, salva fide, potest jurisdictionem illis abjudicare; suas oves legibus obstringendi, quibus obtemperare coguntur: quod ex iis liquet, quæ lib. 1. cap. 4. & lib. 5. cap. 4. diximus*: & subjungit: *Quo circa apud omnes juristas principii loco est synodales constitutiones facere jus particulare, ab omnibus observandum, qui in constituentis territorio degunt.*

VII.

VII. Et licet dubium sit inter doctores, affirmantibus multis, negantibus aliis, utrum Episcopi statuta, extra synodum facta, & per simplex edictum promulgata, ejusdem Episcopi morte cessent; at, si, inito capituli consilio, promulgata sunt, etiam Episcopo mortuo, vim legis retinere sentit Lambertinus in sua synodo lib. 13. cap. 5. dicens: *At melius alii, Episcopi statutis etiam extra synodum, audito tamen consilio Capituli, factis, & promulgatis, eamdem attribuunt perpetuitatem, quam omnes concedunt Synodalibus constitutionibus*; non secus ac de legatorum statutis dicitur, quibus a suis egressis jurisdictionibus, vel mortuis vim legis attribuunt, ut ex Gregorio IX. de officio legati cap. finali clarissime eruitur: *Nemini*, inquit, *dubium esse volumus, quin legatorum sedis Apostolicæ statuta, edita in provincia sibi commissa durent tamquam perpetua, licet eamdem postmodum sint egressi*. Licet igitur in synodo Episcopi jurisdictio, & potestas majori cum congruentia exerceatur, quia tamen a synodo non confertur, neque ab ea pendet; inde posse Episcopos etiam extra synodum leges ferre, eoque saltem vivente, ad eas teneri servandas suæ diœcesis oves, nemini rationabile dubium esse poterit. Quo sensu autem, & quomodo Episcopi divino licet jure in suis respective diœcesibus jurisdictionem exerceant, possint tamen a Romano Pontifice suspendi, deponi, puniri, transferri; eorumdemque, ex divino licet jure collata jurisdictio ampliari, vel restringi non est hujus loci; pro nunc autem sufficiat dicere, quod, licet nedum in Romano Pontifice, verum & in Episcopis ex divino jure ponatur jurisdictio, Petro tamen, cujus legitimus successor est Romanus Pontifex, non quomodocunque, sed tamquam supremo, ac principali dispensatori super

An abstinentias, ac jejunia instituendi potestas in Episcopos etiam extra synodum admittenda sit, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

familiam dei ab homine-deo Christo Jesu supra cæteros ad commune totius Ecclesiæ regimen collata intelligi debet jurisdictio: Inde est, quod etiam in Episcopos, etsi divino quoque jure in suis respective diœcesibus dispensatores existant, ad bonum etiam particularium Ecclesiarum regimen animadvertere, eorumdemque dispensationem, a deo datam, judicare potest. Quod ergo ad præsens attinet, cum abstinentia, & jejunium præsertim si ex valde rationabili motivo, licet extra synodum, instituta, in animæ bonum ordinata, sint potius favor, quam odium, nedum eo vivente verum & post Episcopi mortem multo congruentius inferri poterit suas oves obligare, earumdemque conscientiam, secundum se constringere voluisse; præsertim si etiam post ejus mortem hujusmodi obligationem in suo robore permansuram declararet Episcopus.

Abstinentias, ac jejunia instituendi potestas a morum probitate, vel improbitate non pendet.

VIII. Neque valet effugium si forte inter tot potestatem habentes aliqui laxioris vitæ existant; non enim jurisdictio probitati, vel improbitati, sed personæ data est. Quis enim diceret non obligari populum ad Principis legem servandam, si princeps improbus sit? Anne quisque de populo de Principis probitate, vel improbitate judicare debet? Quod si in favorem sæcularis potestatis placet Alexandri VI. damnata propositio 28. dicens: *Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem, a Principe promulgatam*, cujus certe damnatio etsi in favorem democratici regiminis non sit, in favorem tamen monarchici regiminis existere nemo sanæ mentis ambigere poterit, cur equidem in Ecclesiasticæ quoque potestatis favorem placere non debeat? Cum igitur in qualibet diœcesi Episcopalis jurisdictio, ad spirituale suarum ovium regimen ordinata, neque a populo oriatur, neque cum po-

populo communicet, ſed penes ipſum illius diœceſis ſpirituale caput, qualis eſt Episcopus, reſideat, & quaſi monarchica dici poſſit; inde fit, quod non minus in Epiſcopo quoad ſpirituale regimen, quam in laico monarchico principatu quoad temporale, ſuos reſpective ſubditos obligandi poteſtas, quin & eos ad obſervantiam coercendi admitti debet. Unde Chriſtus Jeſus perditorum hominum hallucinationem præveniens, qui a legitima obedientia forent receſſuri, Matt. 23. v. 2. ſic effatus eſt: *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Pharisæi. v. 3. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Qua ratione igitur Lutherus lib. de Capt. babylonica non minus temere, quam audacter dicit: *dico itaque, Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ conſtituendæ ſuper chriſtianum hominem, niſi fiat ejuſdem conſenſu: quidquid aliter fit, tyranico ſpiritu fit. Ideo orationes, jejunia, donationes, & quæcunque tandem Papa in univerſis ſuis decretis tam multis, quam iniquis ſtatuit, & exigit, nullo jure exigit, & ſtatuit, peccatque in libertatem Eccleſiæ toties, quoties aliquid horum attentaverit:* Et ſubjungit: *chriſtianis nihil ullo jure poſſe imponi legem, ſive ab hominibus, ſive ab Angelis, niſi quantum volunt; liberi enim ſumus ab omnibus:* pro cujus confutatione vide infra n. 10. & 11. & n. 30. ad 34. nec non ſuperiori cap. n. 69. & 70. Poſſe igitur Episcopos in ſuis reſpective diœceſibus inter alia etiam abſtinentiarum jejuniorumque leges ferre, publicoque edicto ſuas oves ad eas obligare, omnino tenendum eſt.

§. II.

Quæ ab inimicis crucis Christi coacervantur, expenduntur, & confutantur.

Quæ ab Ecclesiæ inimicis adinventa sunt opposita, confutanda proponuntur.

IX. Quia inimici crucis Christi, carni, ejusque voluptatibus indulgentes, abstinentias, ac jejunia instituendi potestatem evertere volentes, plura congerunt; atque in Catholicos effutientes, quasi hæc potestas contra illud Christi domini Matt. 11. v. 30. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*, sit, asserere non verentur; vel contra illud 1. Joan. 5. v. 3. *Mandata ejus gravia non sunt*; vel contra evangelicæ legis libertatem ad suum sensum contorquentes illud Ap. Gal. 4. v. 31. *Itaque fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit*; vel quasi ab ipsomet Christo, & Apostolo damnata fuerit ciborum abstinentia juxta illud Matt. 15. v. 11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*; vel juxta Ap. 1. Cor. 10. v. 25. *Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*; quin immo & quasi ab ipsamet Ecclesia, Manichæos, aliosque hæreticos, falsasque doctrinas damnante, abstinentiæ, ac jejunia damnata sint; idcirco nos pretiosum a vili separare, certaque ab incertis secernere volentes, ea, qua par est, discretione omnia aperire, ac demonstrare conabimur.

Evangelicæ legis suavitatem abstinentias, sive jejunia instituendi potestati, eaque ser-

X. Et certe divino juri hujusmodi potestas non opponitur; contra ac senserit Eustathius Monachus, deinde in Armenia Episcopus Sebastianensis, qui tempore Constantini Magni Imperatoris, & Sylvestri Papæ circa annum 320. temere docuit jejunia Ecclesiastica esse prorsus contemnenda

da, male intelligens illud Christi domini: *Jugum... meum suave est, & onus meum leve*; Eoque devenit, ut ea non posse ab Ecclesia præcipi dicere ausus fuerit. Idemque deinceps eisdem, vel respective diversis innixi præjudiciis docuerunt Aerius, ab Eustathio Sebasteno presbyter creatus; eodemque quarto cadente sæculo Jovinianus in monasterio mediolanensi monachus, aliique ejusdem furfuris homines; ac novissimis temporibus Lutherus, & Calvinus, multique alii prædictorum sectatores; quorum omnium seu præcedentes, seu subsequentes reprobavit, confutavitque errores sana doctoris Angelici doctrina. Quo sensu enim lex nova suave, ac leve jugum a Christo dicatur, ab eodem in 3. dist. 4. q. 1. art. 4. q. 3. sic exponitur. *Ad tertiam quæstionem dicendum, quod difficile, & onerosum mensuratur secundum virtutem sustinentis: aliquid enim onerosum est debili, quod forti est leve: Et ideo de onere legis, & Evangelii possumus loqui dupliciter; aut quantum ad gravitatem præceptorum secundum se; aut per comparationem ad virtutem observantium: Si primo modo sic, quantum ad numerum, præcepta veteris legis erant magis onerosa, quia lex vetus arctabat ad cæremonialia multa, & judicialia; lex autem nova ad moralia tantum, quæ etiam lex naturæ imperat; & in uno verbo abbreviato dilectionis dei, & proximi concluduntur: sed quantum ad explicationem istorum præceptorum, sic præcepta novæ legis quodammodo sunt difficiliora: quia magis explicatur virtus præceptorum moralium in nova lege, quam in veteri; & superaddit lex nova consilia, quamvis ad ea non cogat; & quædam etiam prohibet, quæ lex vetus permittebat, infirmitati deferens, sicut libellum repudii, & hujusmodi. Si autem secundo modo, sic absolute lex vetus onerosior erat, tum quia au-*

vandi obligationi non officere discutiendum assumitur.

xi-

xilium gratiæ non conferebat ad mandata implenda; *ſicut nova facit*, copioſa ſcilicet gratiæ auxilia per aptiora media, ſicut per novæ legis ſacramenta, in veteri lege non conferebantur, & pergit: *Tum quia vetus lex per modum timoris cogebat ad hoc, ad quod nova lex ex amore inducit, qui omnia levia facit*. Unde licet *jejunium* juxta eumdem 22. q. 147. art. 3. ad 1. *ſecundum ſe conſideratum non* nominet *aliquid eligibile*, *ſed pœnale quoddam*, intellige, prout aſſumitur in natura lapſa, & ſub hac ratione grave eſſet onus, *redditur autem eligibile*, *ſecundum quod eſt utile ad finem aliquem*; *& ideo abſolute*, præciſive ſcilicet a naturali illud faciendi dictamine, vel præciſive ab aſſumpta ex divino, vel ab impoſita ex humano jure obligatione, *conſideratum*, *non eſt de neceſſitate præcepti*; *ſed eſt de neceſſitate præcepti unicuique*, *tali remedio indigenti*. Sicut ſacramentum pœnitentiæ non eſt ſecundum ſe abſolute neceſſarium, ſed fides viva ſufficit cum baptiſmate ſive in re, ſive in voto, vel per martyrium ſuſcepto, juxta illud Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit*, *& baptizatus fuerit*, *ſalvus erit*, ex ſuppoſitione autem amiſſæ gratiæ per mortale peccatum poſt baptiſmum eſt neceſſarium neceſſitate medii, unde dicitur Luc. 13. v. 3. *Niſi pœnitentiam habueritis*, *omnes ſimiliter peribitis*. Et licet poſſit quis peccati mortalis, poſt baptiſmum commiſſi, inſcius eſſe: quia tamen conſcius eſſe non poteſt, ſe nunquam commiſiſſe læthale peccatum; ideo tenetur quilibet ſive inſcius, ſive conſcius læthalis peccati ex præcepto, ab Eccleſia declarato, confiteri. Quia ergo unuſquiſque per originale peccatum, & multo magis ſi actualia addiderit, rebelles experitur paſſiones, ad quas edomandas validiſſimum remedium invenitur jejunium, idcirco ad edomandam carnem, adverſus

ſpi-

ſpiritum concupiſcentem, *conveniens fuit*, pergit ibidem Angelicus, *ut Eccleſia aliqua jejunia ſtatueret, ab omnibus communiter obſervanda, non quaſi præcepto ſubjiciens id, quod ſimpliciter ad ſupererogationem pertinet, ſed quaſi in ſpeciali determinans id, quod eſt neceſſarium in communi*. Unde ſecundum quod jejunium utile ad finem, conſervandi nempe evangelici ſpiritus, conſideratur, mediumque exiſtit, evangelicæ legis ſuavitati, quæ amore potius, quam timore nos ducit, juxta Angelicum non adverſatur.

Abſtinentias, vel jejunia, inſtituendi poteſtatem evangelicæ libertati non opponi declaramus, & comprobamus.

§ XI. Neque abſtinentias, vel jejunia inſtituendi poteſtas Evangelicæ opponitur libertati. Cum enim ea ad reprimendas carnis concupiſcentias, adverſus ſpiritum repugnantes, jxta ea, quæ cap. 1. & 2. diſcuſſimus, neceſſaria judicentur; inde fit, quod abſtinentiæ, ac jejunia, quatenus a peccati ſervitute nos liberant, evangelicæ libertati favent potius, quam repugnant. Unde Angelicus loc cit. ad tertium, *Nec ſunt*, inquit, *contra libertatem populi fidelis; ſed magis ſunt utilia ad impediendum ſervitutem peccati, quæ repugnat libertati ſpirituali*; de qua dicitur ad Gal. 5. v. 13. *Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſervite invicem*. Nec abſtinentiæ, ac jejunia, quatenus præcepta, evangelicæ libertati contraria ſunt; cum nec obedientia erga ſæcurales Principes etiam præcepta, evangelicæ libertati opponatur, dicente Apoſtolo Hebr. 13. v. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*. Et Apoſtolorum Princeps 1. cap 2. v. 13. ſic habet: *ſubjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter deum: ſive Regi, quaſi præcellenti*. v. 14. *ſive ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*. Et v. 15. rationem aſſignans, ſic proſequitur;

tur: *Quia sic est voluntas dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*. Atque ad ostendendum, quod hæc subjectio Evangelicam non tollit libertatem, apposite contra modernos hæreticos, quasi futurorum præscius, subjicit dicens v. 16. *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi dei*. Evangelica ergo libertas per rationabilia Ecclesiæ mandata non tollitur, sed potius a peccati servitute libertatis, conservatur, & augetur. Temere igitur contra sentit Aerius, dicente Augustino de hæres. cap. 53. *Aerius in arianam hæresim lapsus, propria dogmata affinxit nonnulla ..... non esse solemniter celebranda statuta Ecclesiæ jejunia, sed cum quisque voluerit, jejunandum, ne videamur esse sub lege*.

Ciborum delectum non esse a Christo, neque ab Apostolo damnatum, probandum assumimus.

XII. Neque ciborum abstinentia, vel jejunia ex eo damnanda sunt, quod Christus dominus, mittens discipulos suos binos in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus, eis præceperit Luc. 10. v. 8. *In quamcunque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis*. Non enim per hæc verba ciborum abstinentias, vel jejunia damnavit Jesus, sed suos instruens discipulos, populisque prædicaturos prædicens, ob eorum paupertatem, quæ apposita ipsis fuerint, manducaturos permisit: quin immo nec lautos cibos exquisituros, nec viliores refutaturos præcepit. Neque per illa verba Matt. 15. v. 11. *Non quod intrat in os &c.* ut initio hujus §. retulimus, ciborum abstinentia vel jejunia a Christo domino improbata intelliguntur, neque intemperantia probata intelligi debet; sed ciborum abstinentiam cum errore conjunctam reprobavit Jesus, cibosque secundum suam naturam malos non esse declaravit; quod explicans sacer interpres Apostolus 1. Cor. 8. v. 8. *Esca autem*, inquit, *nos non commendat deo. Neque enim, si man-*

manducaverimus abundabimus; neque, si non manducaverimus deficiemus; & subjungit v. 9. *Videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis &c.* & v. 13. concludit: *Qua propter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Unde siquando Apostolus ciborum delectum prohibere videatur, non quasi prohibitum esse, & consequenter abstinentias reprobare intendit, sed quibus diebus carnibus vesci quisque voluerit, sine Gentilium, ac Judæorum offendiculo fieri debere intelligebat, ac declarabat. Unde loc. cit. cap. 10. v. 25. sic habet: *Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*; & v. 27. *S iquis vocat vos infidelium, & vultis ire: Omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Cujus mens clarius v. 28. innotescit; dicit enim, *Siquis autem dixerit: hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam*, v. 29. *conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius*; subjungens: *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?* Unde sicut quoscumque cibos posse manducare docebat, ita si cum scandalo contingeret, ab hujusmodi cibis abstinere debere declarabat; secus vero quasi ciborum delectum, sive abstinentiam præcipi non posse intelligebat.

Prædicta doctrina ulterius ex Apostolo comprobatur.

XIII. Si ergo Apostolus asserere videatur hæresim esse ciborum delectum; id certe asseruisse dicendus est, quasi hæresis Manichæorum, Marcionitarum aliorumque ejusdem farinæ hominum præscius, multa secundum se licita, tamquam a dæmone procedentia, prohibentium ut matrimonium, & cibos aliquos; ad quorum confutandum errorem licitum prædocet matrimonium, licitosque secundum se quoscunque cibos. Unde

1. Tim.

1. Tim. 4. v. 1. sic declarat: *Spiritu autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*... v. 3. *prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem*. Rationemque assignans, sic prosequitur v. 4. *Quia omnis creatura dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Ab Apostolo igitur ciborum abstinentia secundum se non damnatur, sed cum errore, aut scandalo conjuncta reprobatur. Si quis scilicet a cibis abstineret, quasi a malo principio productos reputans; & secundum se animam coinquinare judicaret; vel eos comedens, aliorum scandalum non curaret. Neque per illa verba ad Coloss. 2. v. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorum*: v. 17. *quæ sunt umbra futurorum*, ciborum abstinentiam, vel jejunia damnasse dicendus erit: per hæc enim ac similia ciborum abstinentiam damnare non intellexit, sed solum eo quod per Christi mortem, cujus effectum per baptismum perceperant Colossenses, veteris legis immundorum observantiæ mortuæ quoque essent, non amplius eisdem ligari declarabat. Quoniam igitur omnis creatura dei bona est, & solum per legales observantias veluti immundi aliqui cibi prohibebantur; inde fit, quod juxta Apostoli doctrinam legalibus observantiis per Christi mortem cessantibus, neque amplius obligantibus, qui per legalem observantiam immundi prius erant cibi, non amplius immundos reputari debere, Colossenses docebat. Et quia juxta eumdem ad Hebr. 7. v. 12. *Translato enim sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat*; inde, cum per Christi mortem

quasi

quasi levitico excellentius, Melchisedech sacerdotium successerit, clarum esse demonstrat Apostolus, Colossenses instruens, neque alia legalia post Christi mortem ad sui observantiam baptizatos obligare, neque proinde ad mundorum, immundorumque legem, sive ad aliquorum ciborum abstinentiam, prout in veteri lege, vel ad legalia festa, aliasque veteris legis observantias Colossenses teneri demonstrare contendit.

XIV. Quibus expositionibus consonans Augustinus, lib. contra Adimantum cap. 14. *Hos enim*, inquit, scilicet Manichæos, *proprie designat*, Apostolus, *qui non propterea temperant a cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrænent, aut infirmitati alterius parcant*; ut aliorum scilicet scandalum impediant; *sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem deum esse negant. Nos autem teneamus Apostolicam disciplinam, dicentem, quod omnia munda sunt mundis, servata moderatione evangelica, ut non graventur corda nostra cruditate, & vinolentia, & curis sæcularibus*. Idemque sentiens Hieronymus, Apostolum explicans lib. 2. adversus Jovinianum cap. 2. sic ratiocinatur: *Reprobat quidem Apostolus eos, qui prohibebant nuptias, & jubebant cibis abstinere, quos deus creavit ad utendum cum gratiarum actione: sed Marcionem designat, & Tatianum, & cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera creatoris. Nos autem & creaturam omnem laudamus dei, & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, jejunia præferimus saturitati*. Quasi diceret; etsi omnes cibos comedere possimus, non proinde tamen eorum abstinentiam, ex motivo virtutis susceptam damnare intendimus, & multo minus, quasi abstinentiæ, ac jejunia ad virtutis exercitium præcipi non posse sentiamus.

Prædicta doctrina ex Patribus roboratur.

XV.

Ex Montanistarum, aliorumque damnatis jejuniis, ab Ecclesia damnata esse jejunia frustra ab adversariis concludi demonstramus.

XV. Neque ex eo, quod Montanum, jejunia plus æquo suadentem, Ecclesia damnaverit; inde & jejunia Ecclesiam damnasse concludi debet. Ecclesia namque Montanum, in Mysia Phrygiæ natum, non damnavit, quia jejunia indicebat; sed quia nulla pollens auctoritate, quin immo moribus infamis circa dimidium sæculi 2. duabus meretricibus Priscilla, & Maximilla utens, inter alios errores spiritum Paracletum in se residere jactitans, suis meretricibus communicare, easque tanquam prophetissas blaterare non desinens, suæ sectæ jejunia, tres nempe Quadragesimas ad salutem necessarias esse affirmabat; & quia in vera Ecclesia tres illæ Quadragesimæ ad salutem necessariæ non indicuntur; inde Ecclesiam, quæ vera est, a spiritu sancto relictam, atque in suum cœtum, seu sectam, cujus ipse Montanus caput existeret, & in quo spiritum sanctum residere affirmabat, translatam esse propagabat. Unde Natalis in sua historia sæculi 2. in dissert. 4. art. 1. probat. 3. *Error itaque*, inquit, *Montani in eo positus non erat, quod indiceret jejunia, sed quod ea, privata auctoritate, indiceret, veluti lege Paracleti præcepta, a quo se afflatum ostentabat*: jejunia autem Ecclesiæ nihil habent cum Montanistarum jejuniis commune; *Nam*, ut pergit ibidem Natalis, *Ecclesiæ auctoritatem nemo privatam dixerit; nemo falsum asseruerit, quod Patres ajunt, & quod Christus ipse pollicitus est, ipsi adfuturum spiritum Sanctum, sive fides exponenda sit, sive disciplina sancienda*, juxta illud Joan. 14. v. 26. *Paraclitus autem spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*. Spiritus igitur Paraclitus in Apostolos, & Christi discipulos missus, eos docuit; quodque eos docuit, in Ecclesia traditum sancti Patres

in

in posteros transmiserunt. Quod igitur est contra id, quod sancti Patres communi consensu nobis tradiderunt, valde suspectum in fide est. Nunquam autem sancti Patres tanquam traditum asseruerunt tres quadragesimas ad salutem necessarias existere. Merito igitur tamquam a spiritu privato procedens, futilis reputatur Montani opinio, asserentis, tres quadragesimas ad salutem consequendam necessarias existere, sibi a spiritu Sancto revelatum esse. Cumque vera Ecclesia ex Ap. Eph. 2. v. 20. *super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum superædificata*, non aliud docuerit, quam quod spiritus Sanctus eos docuit, ac docturos misit; inde est, quod, cum spiritus Sanctus sit veritatis spiritus, neque suum cœtum in necessariis errare, vel ignorare permittat, juxta illud veritatis oraculum Joan. 16. v. 13. *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; consequenter privatus spiritus dignoscitur omne illud, quod contra universalem traditionem, & Ecclesiæ sensum necessarium asseritur. Et istæc ratio est, quare Montanus, ejusque inter cæteros errores jejuniorum disciplina ab Ecclesia damnabantur; non quidem quatenus nova jejunia inducebat, sed quatenus ea, tanquam a spiritu Sancto revelatione sibi facta, contra Ecclesiæ sensum ad salutem necessaria asserebat. Unde Hieronymus Ep. 54. ad Marcellam, catholicæ Ecclesiæ, quoad jejunia, disciplinam, Montanistarum moribus opponens, sic eloquitur: *Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus: illi*, scilicet Montanistæ, *tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint salvatores; non quod & per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre*. Non igitur jejunia umquam damnavit Ecclesia.

Ciborum delectum ab Ecclesia damnatum non esse combrobamus.

XVI. Neque ciborum abstinentiæ ab Ecclesia fuisse damnatæ intelligi poterunt. Unde Gregorius II. in suo capitulari, quo instructos in Bavariam legavit Marianum Episcopum, & Georgium presbyterum cap. 7. apud Bened. XIV. in const. *Ex quo primum* die 1. Martii an. 1756. edita, §. 62. relatus, sic eloquitur: *Nihil in perceptione ciborum judicetur immundum, nisi quod fuerit idolis immolatum: quia juxta quod magisterio Apostolico docemur, omnis creatura dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*. Et Nicolaus in responsis ad consulta Bulgarorum n. 43. de animalibus mundis, & immundis sic habet: *Quæ animalia, sive volatilia liceat manducare, quantum existimo, dominus evidenter ostendit, cum post diluvium animalia cuncta Noe tribuit, & filiis ejus edenda.... Itaque omne animal, cujus cibus minime corpori nocivus esse probatur, & societas hoc in cibum admittit humana, comedi non prohibetur*. Et in concilio Florentino an. 1440. sub Gregorio IV. in decreto quoad Jacobitas edito, sic legitur: *Sacrosancta Romana Ecclesia.... firmiter credit, profitetur, & prædicat, omnem creaturam dei bonam, nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: quia juxta verbum domini, non quod intrat in os coinquinat hominem; illamque Mosaicæ legis ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia asserit pertinere, quæ, surgente Evangelico, transierunt*. Et pergit idem concilium: *Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quam societas admittit humana: nec inter animalia discernendum per quemcunque sive virum, sive mulierem, & quocunque genere mortis intereant, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari, & Ecclesiastica disciplina possint, & debeant multa*

non

non negata dimitti; quia juxta Apost. 1 Cor. 6. v. 12. *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Idemque præsentiens Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. n. 27. illuminandorum sic habet: *Jejunamus enim vino, & carnibus abstinentes, non ea quasi piacula abhorrentes, sed expectatione mercedis, ut dum sensibilia ultro contemnimus, spiritali, intelligibilique mensa perfruamur; utque nunc seminantes in lacrymis, in exultatione metamus in sæculo venturo.* Et septimus Ecclesiæ doctor Leo Magnus de jejunio Quadrag. serm. 4. cap. 4. Catholicorum abstinentiam Manichæorum abstinentiæ opponens, sic habet: *Utilis quidem est abstinentia, que parco assueta victui, deliciarum cohibet appetitum sed væ illorum dogmati,* scilicet Manichæorum, *apud quos etiam jejunando peccatur: damnant enim creaturarum naturam in creatoris injuriam, & contaminari asserunt iis, quorum non deum, sed diabolum conditorem esse definiunt. Vos autem catholicæ matris sancta generatio, quos in schola veritatis spiritus sanctus erudivit, libertatem vestram congrua ratione moderamini, scientes, quia bonum est etiam a licitis abstinere, & cum castigatius vivendum est, ita discernere cibos, ut eorum submoveatur usus, non natura damnetur.*

Abstinentiæ, ac jejunia non fuisse a deo reprobata dignoscuntur.

XVII. Neque a deo reprobari jejunia dicenda sunt, eo quod per Isaiam placita sibi non esse quandoque declaraverit. Enim vero sacrificium in præcepto quidem erat, deoque gratissimum juxta illud Num. 28. v. 2. Moysi a domino dictum: *Præcipe filiis Israel, & dices ad eos: oblationem meam, & panes, & incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua.* Et v. 3. offerri sibi præcipit deus: *agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum.* v. 4. *Unum offertis mane, & alterum ad vesperam.* Et v.

11.

11. *In Kalendis autem offeretis holocaustum domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos &c.* quia tamen, si ex pravo fine malisque artibus offerebatur illud oderat deus; inde a deo reprobari quandoque dicebatur Is. 1. v. 13. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi &c.* Sicut ergo eo quod Judæi multum de extrinsecis observantiis blandiebantur, conscientiæ autem munditiem, proximique dilectionem parum curabant; inde, licet sacrificium deo gratissimum declaretur, idque, simul & festorum observantia præciperetur; quia tamen finis præcepti dei, ac proximi dilectio est, jure merito ea deficiente, nec præceptorum, nec festorum, neque sacrificiorum observantiam sibi placere declaravit: ita non absimiliter de jejuniis dici debet. Unde postquam regius Psaltes dei misericordiam imploraverit, & cordis munditiem impetraverit, ps. 50. v. 21. *Tunc*, inquit, *acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.* Propter quod Is. 1. v. 16. dicitur: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perverse*, v. 17. *discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam*. v. 18. *Et venite, & arguite me, dicit dominus*. Quod explicans Hieronymus, nobiscum & cum catholica Ecclesia sentiens lib. 2 adversus Jovinianum sic habet: *ut monstraretur jejunium sanctificari cæteris operibus, & sanctificatum jejunium curationi proficere peccatorum*. Et concludit: *Non igitur jejunium reprobavit*, deus, Zach. nempe cap. 7. *sed quale vellet, ostendit: neque enim ventris esuries accepta est, quam lites, & rapinæ, & libidines destruunt*.

XVIII.

XVIII. Neque ex eo damnanda ciborum abstinentias præcipiendi potestas, easque servandi obligatio, quasi cæremonialium jam mortuorum instauratrix existat. Ad quod plenius quam par esset, respondendum videtur. Et sane veteris legis cæremonias, & observantias in se consideratas non amplius obligare constat; unde in hymno: *Pange lingua*, qui in solemnitate corporis Christi in universali Ecclesia canitur, dicitur: *Et antiquum documentum novo cedat ritui*; & in Missæ sequentia sic legitur: *Vetustatem novitas; umbram fugat veritas; noctem lux eliminat*. Unde Urbanus VIII. fidei professionem sic emittendam Orientalibus præcepit: *Item: Legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ legis cæremonias: sacra, sacrificia, & Sacramenta, D. N. Jesu Christo adveniente, cessasse, & post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse: ejusdem etiam legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ surgente Evangelio, transierunt*, profiteor &c. His autem non obstantibus, ob speciale, & rationabile motivum quid eorum permitti posse innegabile est. Unde licuisse Ecclesiæ, post Christi Resurrectionem in Apostolico collegio repræsentatæ, suffocatorum, & sanguinis abstinentiam præcipere ex Act. 15. v. 20. patet per illa verba: *Ut abstineant se a .... suffocatis, & sanguine*. Quod explicans Urbanus VIII. supra relatus in eadem fidei professione, orientalibus præcepta, subjungit: *Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato illi tempori congruisse, ut inter Judæos, & Gentiles dissentionis materia tolleretur, cujus Apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus*. Quod refricans Benedictus XIV. in const. *Ex quo primum* die 1. Martii 1756. pro ritibus orientalibus edita,

Quo sensu ciborum delectus sine superstitionis periculo, etiamsi in veteri lege, quæ mortua est, extiterit, in nova lege admitti possit, ac debeat, altiori ratiocinio discutiendum suscipitur.

 post-

postquam ostenderit, ciborum delectum juxta veteris legis ritum observandum superstitiosum esse, ac plura in §. 61. adducens argumenta, dixerit: *Quamvis enim Beatissimi Apostoli* Act. 15. *fidelibus interdixerint, ne sanguine, & suffocato vescerentur juxta sententiam Jacobi, in concilio Jerosolymitano propositam in hæc verba: Propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine; Hoc tamen*, subjungit idem Pontifex, *constat, ideo tunc sancitum fuisse, ut omnis dissidii occasio inter judæos, & gentiles ad Christum conversos tolleretur, qua causa jamdudum sublata, ejus quoque effectus sublatus dici debet*. Sicut igitur veteris legis præceptum, ab Apostolis in nova lege confirmatum ejus causa cessante, ab Ecclesia sublatum est; ita & nunc rationabili insurgente caussa, ab Ecclesia permitti, vel præcipi posse negandum non videtur.

Proposita doctrina continuatur.

XIX. Unde quoad primos christianos postquam Natalis in sua historia sæc. 1. dissert. 10. sublatum dixerit præceptum abstinendi a sanguine, & suffocato, objectionesque solverit, quibus plura assignantur monumenta, indicantia, morem abstinendi a sanguine, & suffocato per plura sæcula viguisse, hujus commendabilis usus pro Ecclesiæ primordiis rationem assignans, in responsione circa finem sic habet: *Cum sanguinis, & suffocati esus Judæis esset horrori, illisque inter Gentes dispersis impedimento esse posset, ne christianam ad fidem converterentur, adhuc operæ pretium erat, ut christiani ex gentilibus conversi ab hujusmodi cibis abstinerent. At cessante ratione istius legis, ipsa desiit alligare*. Et quia plura Ecclesiastica monumenta in sequentibus sæculis inveniuntur, in-

inter alia etiam sanguinem, & suffocatum prohibentia, ut apud ipsum relata videri poterunt, sic more solito erudite, ac discrete ibidem respondet: *Ad sequentium sæculorum decreta, & exempla respondeo, Ecclesiam Romanam, Græcam, Gallicanam, Germanam sanciviße, laudatis canonibus abstinentiam a sanguine, & suffocato, non quod eam legem*, veteris nempe legis abstinentias, & observantias, *adhuc vigere existimarent; sed quia conveniens videbatur eam renovare ob reverentiam Apostolorum. Sicut enim abrogatis veteris legis ritibus, ipsos christiani, e judæis conversi aliquandiu observarunt, ob honorem legis, quæ a deo lata erat, ut honorifice deduceretur ad sepulchrum; ita plurimæ, ac nobilissimæ Ecclesiæ legem abstinentiæ a sanguine, & suffocato diu observarunt, quamvis ea non amplius tenerentur; eamque constituerunt disciplinam, qua christianis & reverentiam erga Apostolos, & temperantiam singularem commendarent. Mos itaque abstinendi a sanguine, & suffocato in illis Ecclesiis tanta religione servatus est, quia consuetudinem illam a Majoribus acceperunt, quamvis esum sanguinis, & suffocati absolute illicitum esse non censerent, nec damnarent Ecclesias, in quibus contraria vigebat consuetudo*. Quin & sanguinis, & suffocatorum horrore, in suis deinde provinciis invalescente, eamdem observantiam non quasi veteris legis ritum, sed sub alia ratione in morem inductam servari docuit. Idque non minori efficacia ex Humberti Cardinalis, & Silvæ candidæ Episcopi, sub dimidium sæc.XI.florentis, ratiocinatione constat; qui ad confutandos Græcorum errores, legatus a Leone IX. Constantinopolim missus, in dialogo contra Græcorum calumnias Romanum Constantinopolitano sic respondentem, inducit: *Nos ergo*, scilicet Romani, seu occidentales catholici,

 quam-

quamvis a domino, & ab Apostolis licentiam habeamus manducare omnia, quæ nec nostræ, nec fraternæ saluti officiunt, consuetudine tandem provinciarum, & præceptis Majorum nostrorum hactenus detenti, devitamus comedere nonnulla, non quia mala, aut immunda sunt, sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo usu in naturam jam verso horrent .... Et pergit: *Nonne nonnullæ rationes quibusdam utuntur, quæ aliæ penitus abominantur? Cur hoc? nisi quia una quæque gens in suo sensu abundans, quædam sibi assumpsit, quædam rejecit? Unde nos quoque absque culpis in antidotis plurima percipimus, quæ ex serpentibus, & ex aliis, quæ execramur, animalibus assumpta esse non dubitamus. Quod ergo infirmo qualiscunque medicina, hoc ferme pereunti qualiscunque esca: Et sicut abominandus infirmus non est, artificialiter refectus ex sanguine, & cadavere aliquorum reptilium; sic nec fame tabescens, si sanguine, & suffocato sustentat miserabiles artus; potens etiam ad litteram cum B. Job dicere: Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt: Omnis enim creatura dei bona, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.*

Etiam ex cæremonialibus, superstitione dempta, posse aliquid in Ecclesia vigere, comprobatur.

XX. Et licet promulgato Evangelio, cæremonialia veteris legis præcepta cessaverint, ac propterea Ecclesiæ potestas ad ea, quæ Christum venturum præfigurarent, innovanda, non extendatur, ut circumcisionis, & sacrificiorum veteris legis, aliorumque innovatio; non proinde tamen eidem Ecclesiæ adempta intelligitur potestas, gravibus concurrentibus causis, ex cæremonialibus aliquid innovandi, quod scilicet sit *ex genere eorum*, ut loquitur prælaudatus Benedictus XIV. loc. cit. §. 63. in fine, *quæ ad externam disciplinam, & corporis munditiem pertinebant; in quorum*

rum classem profecto referenda veniunt, quæ de cibis mundis, & immundis præscripta fuerant. Id autem assumptum non minus ex occidentalis, quam ex orientalis Ecclesiæ disciplina, et quidem ex priorum sæculorum monumentis comprobatur. Idemque sentiens præcitatus Humbertus, ingenue fatetur, nullam esse Orientalem inter, & Occidentalem Ecclesiam circa abstinentiam a sanguine, & suffocato dissentionem, cum non secus apud Græcas quam apud Latinas nationes hujusmodi abstinentia impune servetur; sic enim eloquitur: *Antiquam consuetudinem, seu traditionem Majorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur; adeo ut sanguine, vel quocunque morticinio aut aquis, seu quacunque negligentia humana præfocato apud nos aliquando vescentibus, absque extremo periculo vitæ hujus pœnitentia gravis imponatur.* Tempore igitur Leonis IX. a præfocatis abstinendi, observantia viguisse dignoscitur; pluribus tamen ab hinc sæculis videtur ab Ecclesia latina hujusmodi consuetudo penitus exulasse; nisi forte, ac solummodo ex naturali quodam horrore, & abominatione, vel ex antiqua particularium provinciarum consuetudine, non ad finem servandi veterem legem, sed tanquam præceptum Apostolicum in aliquibus provinciis custoditum dignoscatur. Unde juxta Emin. Humberti verba supra relata, ex Ecclesiæ Grecæ usu, hujusmodi ex rationabilibus caussis retinere consuetudinem damnabile non videtur. Eam autem, superstitione dempta, Ecclesiam Græcam servare consuetudinem, ex Trullana synodo, quæ quatenus quintæ, & sextæ synodi, relate ad Ecclesiasticam disciplinam supplementum, non anno 692. ut Baronio videtur, sed anno 688. celebrata, ut videre est apud Natalem sæc. 7. differt. 3. *Quini-sexta* dicitur,

tur, can. 67. patet, sic dicente: *Siquis ergo deinceps animalium sanguinem quovis modo comedere aggrediatur, si sit quidem clericus, deponatur, sin autem laicus, segregetur*. Et Christianus Lupus in notis ad eumdem canonem asserit. *Græci etiam dudum postea in observantia istius Apostolicæ legis manserunt constantes*; a sanguine scilicet, & suffocato abstinentes.

Qua ratione ex cæremonialibus aliquid servari in nova lege possit ulterius discutitur.

XXI. His autem prætermissis, ut bene advertit Lorinus in cap. 15. Act. Apost. v. 20. *Si abstinent hodie Græci a sanguine, putantes, hac se lege teneri, superstitiosi sunt; quia neminem nunc ligat, & ejus observatio sapit cæremonias veteris legis: si, vel quod naturaliter ab hujusmodi cibo abhorreant, vel honesta alia de causa, reprehendi non debent*. Nec immerito, ut notat Goarius in Euchologio Græcorum in variantibus lectionibus, de iis, qui prohibita, & immunda comederent sic loquens: *Non Mosaicæ, sed Ecclesiasticæ legis studio ab immundis degustandis sibi cavent orientales .... proindeque a Judaico ritu observando, dum Ecclesiæ observant traditiones, longe alienos se præstant, quidquid in adversum garriat, & falso imputet Catumsyritus*. Utque quoad præsens de Orientalibus advertit Benedictus XIV. in præcit. const. *Ex quo primum* §. *66. soli .... Armeni, quod quidem sciamus, in acceptanda unione cum Ecclesia Romana, hujusmodi Græcorum consuetudinem* abstinendi scilicet a sanguine, & suffocato, *se relinquere professi sunt. Licet enim Vartanes schismaticus iis persuasisset, ut a quibusdam cibis abstinerent, quos lex mosaica immundos pronuntiavit, excepta solum carne suilla, quam eis a S. Gregorio Illuminatore Primo eorum nationis Patriarcha concessam fuisse asserebat; eosdemque docuisset, confringere vasa oleo, vinoque plena, si forte musca, vel aliud animalculum hujus-*

jusmodi in ea cecidisset; nihilominus in collationibus habitis ad conciliandam a deo optatam unionem Ecclesiæ Armenæ cum Romana statutum fuit, ut sequitur: Patres Armeni cum Sisensis, tum Adanensis concilii cum Romana Ecclesia suam conciliantes, approbarunt Epistolam dogmaticam Gregorii Armeni Patriarchæ ad Regem Haytonem, ubi hebraica illa ciborum discretio his verbis refellebatur: cibos autem immundos, præcipue qui ad pauperum manus obiter veniunt, omnes, ut inquit Paulus, in nomine dei purificatos haberi jubemus, quos & orationibus benedici docuit dominus Nierses, nimirum Ghelajensis, qui similiter Armeniæ doctor, & Patriarcha fuerat. Quæ omnia, pergit Benedictus, *videri possunt apud Galanum tom. 2. de conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana.* Idemque Benedictus expendere volens, num aliqui ritus veteris legis possint in nova lege servari, pluribus erudite prolatis, in §.74. præfatæ const. mentem suam sic explicat: *Verum quum alii sapienter animadverterint, posse utique in nova lege servari aliquem ex cæremonialibus ritibus antiquæ legis, dummodo id non fiat tanquam in vim ipsius legis antiquæ, quæ evacuata est; sed morem gerendo, aut legitimæ consuetudini, aut novo præcepto ab eo edito, cui legislativa simul, & coercitiva potestas competere dignoscantur &c.*

Quo sensu ciborum delectus licite ab Ecclesia præcipi possit, resolvitur, ac statuitur.

XXII. Delectus ergo ciborum catholicos judaizare non facit; non enim quia mali reputantur cibi, neque ex alia superstitione; sed ob virtutis exercitium a quibusdam abstinere præcipimur. Unde Bernardus serm. 66. in Cantica: *Hinc quoque hæreticos se præbentes non sunt, quia abstinent, sed quia hæretice abstinent*; vel cum Judæis scilicet eorum ritum suscitantes, vel cum Manichæis, eorumque sectatoribus malos esse cibos secundum eorum naturam sentientes. Et subdit: *Nam & ego*

ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Num redarguimus Paulum, quod castigat corpus suum, & in servitutem redigit? Abstineo a vino, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum, modico utor juxta consilium Pauli. Abstineo a carnibus, ne, dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Cui consonans Emus Vincentius Gotti de vera Ecclesia Christi contra Jacobum Piceninum art. 6. §. 1. n. 1. sic habet: *Ecclesia igitur, si certis temporibus præcipit a carnibus abstinere, non ideo quod sentiat carnes non licere, vel coinquinare, sed quod necesse sit pro peccatis satisfacere, & carnis vitia coercere.* Sub qua quidem ratione nullus judaismus, nullusque Manichæismus introducitur. Et pergit: *Nullum damnat*, Ecclesia, *cibum, nec putat, Christum ullum cibi genus prohibuisse, sed ad castigandam carnem, & vivificandum spiritum, præcipit christifidelibus certis temporibus abstinere. Cur autem obtemperare non debeo, si medico id præcipienti, ad sanitatem corporis obedire non dubito?* Et n. 2. sic concludit. *Abstinendo ergo a carnibus, aliisque cibis, judaicos ritus non prætendimus innovare, nec cibum a cibo distinguere, quasi hic mundus sit, alter immundus juxta synagogæ leges.* Quæ enim legitima illatio est? Hebræus abstinet: Manichæus abstinet: Montanista abstinet; Ecclesia abstinet: Ergo Ecclesia cum superstitiosis sentit Hebræis, & Manichæis, &c. cum cæteroquin nec Hebræorum abstinentiarum ratio cum Manichæorum, vel Montanistarum; nec Manichæorum abstinentiarum ratio cum Hebræorum, vel Montanistarum; nec denique Montanistarum abstinentiarum, ac jejuniorum ratio cum Hebræorum, vel Manichæorum abstinentiis convenire dignoscantur; quin immo & nullus eorum cum

Ec-

Ecclesiæ jejuniis, abstinentiisque conveniat, ut intelligentibus patet. Quare potius veræ Ecclesiæ adversarii judaizare non verentur, novæ Ecclesiæ ministris, non secus ac in veteri, uxorem permittentes? quod si objicere velint etiam in vera Ecclesia, scilicet orientali, ministris conjugium permitti: id certe verum est, at non quidem in potestatis contemptum, ut apud hæreticos, in Romanæ Ecclesiæ odium agentes, fieri solet, sed ex rationabilibus caussis, multisque cum restrictionibus ab Ecclesia permitti consuevit.

Ciborum delectus sive abstinentiæ, ac jejunia, sub aliis rationibus roborata licita concluduntur.

XXIII. Cæterum, ut ad hominem cum hæreticis loquar; quomodo intelligi poterit non prohibitus aliquis cibus, cum etiam apud omnes nationes siquis eorum ægrotans, medico prohibente, & certum vitæ periculum prædicente, vinum bibens, aut panem, sive carnem comedens, utique inter ipsos Hæreticos coinquinaretur peccans, non quidem panis, vini, sive carnis natura, sed pertinaci voluntate contra naturæ leges agendo? Quod ergo ad corporis periculum evitandum licet, ad passiones edomandas, propter animæ periculum Ecclesiæ obedire non licebit? Si igitur ciborum abstinentia, nullo habito respectu ad corporalem, sive spiritualem abstinentis salutem, in Catholica Ecclesia damnata sit, id certe de abstinentia, sive jejuniis, cum superstitione, vel erroris periculo conjunctis, intelligi debet; secus vero omni penitus absente periculo. Quin imo si ipsamet abstinentia erroris, superstitionis, vel salutis periculum dignoscatur inducere, ad eam servandam minime ab Ecclesia obligari comprobatur; ut ab Eusebio lib. 5. cap. 3. de Alcibiade narratur, qui solo pane, & aqua vesci solebat; quia tamen cum aliis martyribus in carcere detentus, eam servaturus consuetudinem, scandalum aliis generaret, quasi a cibis abhorre-

ret

ret, comedere jussus est; *Paruit itaque*, inquit Eusebius, *Alcibiades, & cunctis promiscue cibis uti cœpit, gratias agens deo*. Simile quid a S. Spiridione factum, ex Sozomeno apud Natalem dissert. 4. sæc. 2. innotescit. Ideo enim hospiti, ad illum divertenti, carnes suillas, sale conditas, licet in Quadragesima, proposuit, & comedere coegit, quia alios cibos non habens, licitum judicavit carnium abstinentiam dimittere: quod autem ipsemet Spiridion simul cum hospite carnes comederit, ex eo processisse dignoscitur: cum enim hospes ille, propositis carnibus, horruisset, ac, necessitate licet urgente, anxius hæsitasset, & comedere noluisset, ipse Spiridion, charitatis lege motus, animæ simul, & corpori consulere volens, ne scilicet cum errore, aut scrupulo comederet, vel, si non comederet, fame periret, satius judicavit carnes secum ipso hospite comedere, quam illum gravi corporis, animæque periculo exponere. Quod certe factum carnium esum in Quadragesima liberum esse non probat, ut hæretici jactitare solent. Abstinentiæ igitur, ac jejunia, prout ab Ecclesia præcipiuntur, neque contra Evangelicam legem sunt; neque Evangelicam libertatem tollunt; neque ex errore, vel aliqua superstitione sancita; neque ab eadem Ecclesia damnata dignoscuntur.

§. III.

Quæ in præcedentibus dicta sunt, ac discussa, confirmantur.

Ciborum delectum minime damnari debere pe-

XXIV. Ad obturanda ora leonum, contra Ecclesiam rugientium, quasi nullius roboris existant cibos prohibendi, præcedentibus paragraphis, assignatæ rationes, in hoc 3. §. mundorum, immun-

mundorumque veteris legis ciborum ratione, debitaque Ecclesiæ obediendi reaſſumpta obligatione, contra ejuſdem Ecclesiæ inimicos concludimus. Nec ſuperflua, quæ hic adducuntur, reputari debent; eo enim tendunt, ut Ecclesiæ inimici, eidem inſultantes, quaſi cum Manichæis cibos natura malos ſentiat, vel judaizet, ulterius confutati, blaterare deſinant. Enim vero quæ, quantaque ſit in damnando ciborum delectu ab Ecclesiæ inimicis præſumpta temeritas, nullibi melius innoteſcere poterit quam e ſacris litteris mundorum, immundorumque rationes aſſignare; ut inde pateat, catholicam Ecclesiam non Manichæorum errore, vel alia ſuperſtitione ductam, ſed rationabilibus fundamentis, non minus, quam olim Hebræorum Synagogam, innixam, aliquorum abſtinentiam pro temporum varietate præſcripſiſſe.

culiaribus rationibus probandum reaſſumimus.

XXV. Et certe mundorum, immundorumque ciborum præceptis ſacras paginas refertas eſſe ambigere quis poterit? omiſſis autem immundis cibis, mundos tantum primo loco ſubjicimus, utriuſque deinde generis, mundorum ſcilicet, immundorumque ſub litterali, ſpiritualique ſenſu rationes aſſignabimus; ut inde innoteſcat aliquos cibos permitti, alios vero prohiberi ſine ſuperſtitione contingere. Quæ autem munda reputabantur, in Deut. deſcribuntur, ubi quoad beſtias terræ cap. 14. v. 4. dicitur: *Hoc eſt animal, quod comedere debetis, bovem, & ovem, & capram*; item v. 5. *cervum, & capram*, capram nempe sylveſtrem; *Bubalum*, bovem nempe sylveſtrem; *Tragelaphum*, animal ſcilicet quoad barbam, ac faciem hirco, quoad reliqua vero, ſicut & quoad magnitudinem cervo ſimile; *Pygargum*, aliud ſcilicet capræ sylveſtris genus cum albis natium pilis; *Orygem*, oryx animal eſt, capræ, ſive

Permiſſi in veteri lege beſtiarum terræ, piſcium, ac volatilium cibi deſcribuntur.

ſive cervo non longe diſſimile, unicorne tamen, & pilo contra aliorum animalium naturam ad caput verſo; *Camelopardalum*, animal eſt ſua forma camelo, colorum autem varietate pardo, ſeu pantheræ ſimile. Et v. 6. *omne animal*, *quod in duas partes findit ungulam*, *& ruminat*, *comedetis*. Quoad ea vero, quæ moventur in aquis, vel per aerem volitantur, v. 9. dicitur: *Hæc comedetis ex omnibus, quæ morantur in aquis*: *quæ habent pinnulas*, *& ſquammas*, *comedite*: utque dicitur Lev. 11. v. 9. *tam in mari quam in fluminibus*, *& ſtagnis*. Et Deut. 14. v. 11. *omnes aves mundas comedite*. Et v. 20. *omne*, *quod mundum eſt*, *comedite*. Et Lev. 11. v. 21. *Quidquid autem ambulat quidem ſuper quatuor pedes*, *ſed habet longiora retro crura*, *per quæ ſalit ſuper terram*, v. 22. *comedere debetis*, *ut eſt bruchus in genere ſuo*, vermis ſcilicet e locuſtarum genere ſine alis, qui arborum frondes erodit; *Et attachus*, *atque ophiomachus*, lacertæ, ſeu ſerpentis genus; *ac locuſta ſingula juxta genus ſuum*. Et quoad aquas v. 36 dicitur: *Fontes vero*, *& ciſternæ*, *& omnis aquarum congregatio munda erit.* Quoad *volatilia autem*, ut notat Angelicus 12. q. 102: art. 6. ad 1. in fine figuralis expoſitionis, *& quadrupedia illa ſola conceduntur eis*, *quæ poſteriora crura habent longiora*, *ut ſalire poſſint*.

Mundorum ſeu permiſſorum ciborum litteralis ratio deſignatur.

XXVI. Mundis autem aſſignatis cibis, eorum litteralem rationem ex eodem ſic explicabimus: *ſunt autem*, inquit ibidem. *conceſſa ad eſum animalia ruminantia*, *& findentia ungulam*, *quia habent humores bene digeſtos*, *& ſunt mediæ complexionis*: *quia nec ſunt nimis humida*, *quod ſignificant ungulæ*, *neque ſunt nimis terreſtria*, *cum non habeant ungulam continuam*, *ſed fiſſam*. *In piſcibus etiam conceſſi ſunt eis piſces ſicciores*, *quod ſignificatur per hoc*, *quod habent ſquammas*, *& pin-*

pinnulas, per hoc enim efficitur temperata complexio humida piscium. In avibus etiam sunt eis concessæ magis temperatæ, sicut gallinæ, perdices, & aliæ hujusmodi. Aliamque litteræ rationem assignans, addit: *Ad tollendam nimiam diligentiam circa cibaria.* Unde concludit: *Et ideo conceduntur illa animalia, quæ de facili, & in promptu haberi possunt.* Quia nimirum ex ciborum comestione humorum qualitates generantur; inde nedum ea permissa sunt, quæ ad gulam, & aviditatem moderandam inducerent, verum & talium animalium carnes permissæ sunt, temperatos habentium humores, ut inordinati humores per eorum comestionem impedirentur, passionesque, quantum ad naturales motiones fieri poterit, domarentur. *Animalia vero*, pergit S. doctor, *quæ Judæis sunt concessa ad esum, non comedebant Gentiles, sed ea tamquam deos colebant, vel propter aliam causam ab eis abstinebant.*

Immundorum, seu non permissorum ciborum litteralis ratio designatur.

XXVII. Immundorum autem rationes sub litterali sensu assignans Angelicus in sua 12. q. 102. art. 6. ad 1. sic prosequitur: *Possunt tamen aliqui cibi per accidens inquinare animam, in quantum scilicet contra obedientiam, vel votum, vel ex nimia concupiscentia comeduntur, vel in quantum præbent fomentum luxuriæ, propter quod aliqui a vino, & carnibus abstinent.* Et pergit: *secundum autem corporalem immunditiam, quæ est corruptionis cujusdam, aliquæ animalium carnes immunditiam habent; vel quia ex rebus immundis nutriuntur, sicut porcus, aut immunde conversantur, sicut quædam animalia, sub terra habitantia, sicut talpæ, & mures, & alia hujusmodi, unde etiam quemdam fætorem contrahunt; vel quia eorum carnes propter superfluam humiditatem, vel siccitatem corruptos humores in corporibus humanis generant: Et ideo prohibitæ sunt eis carnes animalium habentium so-*

leas,

leas, id est; ungulam continuam non fissam propter eorum terrestreitatem; & similiter sunt eis prohibitæ carnes animalium habentium multas fissuras in pedibus, quia sunt nimis cholerica, & adusta, sicut carnes leonis, & hujusmodi; Et eadem ratione prohibitæ sunt eis aves quædam rapaces, quæ sunt nimiæ siccitatis, & quædam aves aquaticæ propter excessum humiditatis; similiter etiam quidam pisces non habentes pinnulas, & squammas, ut anguillæ, & hujusmodi propter excessum humiditatis. Et inferius sensui litterali insistens, subjungit: *Generaliter tamen prohibitus est eis esus omnis sanguinis, & adipis cujuslibet animalis. Sanguinis quidem tam ad vitandam crudelitatem, ut detestarentur humanum sanguinem effundere.... tum etiam ad vitandum idololatriæ ritum: quia eorum consuetudo erat, ut circa sanguinem congregatum adunarentur ad comedendum in honorem idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse: Et ideo dominus mandavit, quod sanguis effunderetur, & quod pulvere operiretur*. Et quoad animalium suffocatorum prohibitionem sic pergit immediate: *Et propter hoc etiam prohibitum est eis comedere animalia suffocata, vel strangulata, quia in tali morte animalia multum affliguntur: & dominus voluit eos a crudelitate prohibere etiam circa animalia bruta, ut per hoc magis recederent a crudelitate hominis, habentes exercitium pietatis etiam circa bestias*. Quoad adipis item prohibitionem sic habet loc. cit. *Adipis*, inquit, *etiam esus prohibitus est eis: tum quia idololatræ comedebant illum in honorem deorum suorum: tum etiam quia cremabatur in honorem dei: tum etiam quia sanguis, & adeps non generant bonum nutrimentum*. Prohibitorum vero fructuum rationes assignans loc.cit. ad 5. sic. procedit: *Gentiles fructus primitivos, quos fortun*

æstimabant, diis suis offerebant, vel etiam comburebant eos, ad quædam magica facienda: & ideo præceptum est eis, ut fructus trium priorum annorum immundos reputarent.... poma autem quarti anni, tamquam primitiæ mundorum fructuum deo offerebantur; quinto autem anno, & deinceps comedebantur. Unde Lev. 19. v. 23. sic legitur: *Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum*: præputia dicuntur, quæ primis tribus annis germinabant, quæ immunda tali tempore orta declarantur, ut sequitur: *poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis*. v. 24. *Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis domino*. v. 25. *Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt*.

Mundorum seu permissorum ciborum spiritualis ratio designatur.

XXVIII. Et quia deus sub litteræ cortice spiritum intendebat; inde quæ sub litterali sensu præcipiebantur, etiam sub spirituali sensu intelligenda sunt; Quæque proinde tamquam munda permitteret, quæque tamquam immunda prohiberet, etiam spiritualiter permisisse ac prohibuisse respective dicendus est. A mundis igitur incipere volentes, spirituales eorum rationes ex Angelico assignabimus, qui 12. q. 102. art. 6. in figurali exposit. ad primum quoad bestias terræ sic habet. *Fissio ungulæ significat.... discretionem boni, & mali; ruminatio autem significat meditationem scripturarum, & sanum intellectum earum. Cuicunque autem horum alterum deest, spiritualiter immundus est*. Quoad pisce[illegible] vero [illegible] rosequitur: *similiter etiam in* [illegible] *ill*[illegible] *abent squammas, & pinnula*[illegible] *di sunt: quia per pinnulas si*[illegible] *nis, vel contemplati*[illegible] *nifica*[illegible] *ce-ra vi*[illegible] *m* [illegible]

ditiam spiritualem; in sensu scilicet omnibus respective proportionato.

Immundorum, seu non permissorum ciborum spirituales rationes designantur.

XXIX. Immundorum autem rationes ex eodem Angelico sic assignabimus: quia igitur cuicunque... *horum alterum deest*, vel discretio scilicet boni, ac mali, per ungulæ fissionem significata; vel scripturarum meditatio, earumque sanus intellectus, per ruminationem indicatus, *spiritualiter immundus est*, spiritualiter scilicet imperfectus; inde ex bestiis terræ, quæ findunt, & non ruminant, vel quæ ruminant, & non findunt, spirituali spectata ratione, immunda declarata sunt. Quoad immundas vero aves ex eodem Angelico sic prosequimur: *In avibus autem specialia quædam genera prohibentur*. Singulorum autem ferme volatilium generum sub spirituali sensu prohibitorum, rationes assignare volens Angelicus, in figurali expositione sic habet. *In aquila enim, quæ alte volat, prohibetur superbia. In grypho autem, qui equis & hominibus infestus est, crudelitas potentum prohibetur. In halyæto autem, qui pascitur minutis avibus, significantur illi, qui sunt pauperibus molesti. In milvo autem, qui maxime insidiis utitur, designantur fraudulenti. In vulture autem qui sequitur exercitium, expectans comedere cadavera mortuorum, significantur illi, qui mortes, & seditiones hominum affectant, ut inde lucrentur. Per animalia corvini generis significantur illi, qui sunt voluptatibus denigrati, vel qui sunt expertes bonæ affectionis, quia corvus semel emissus ab arca, non est reversus. Per struthionem, qui, cum sit avis, volare non potest, sed semper est circa terram, significantur deo militantes, & se negotiis sæcularibus implicantes. Nycticorax, quæ nocte acuti est visus, in die autem non videt, significat eos, qui in temporalibus sunt astuti, in spiritualibus hebetes. Larus au-*

autem, qui & volat in aere, & natat in aqua, significat eos, qui & circumcisionem, & baptismum venerantur; vel significat eos, qui per contemplationem volare volunt, & tamen vivunt in aquis voluptatum. Accipiter vero, qui deservit hominibus ad prædam, significat eos, qui ministrant potentibus ad deprædandum pauperes. Per bubonem, qui in nocte victum quærit, de die autem latet, significantur luxuriosi, qui occultari quærunt in nocturnis operibus, quæ agunt. Mergalus autem, cujus natura est, ut sub undis diutius immoretur, significat gulosos, qui in aquis deliciarum se immergunt. Ibis vero avis est in Africa, habens longum rostrum, quæ serpentibus pascitur, & forte est idem quod ciconia, & significat invidos, qui de malis aliorum, quasi de serpentibus reficiuntur. Cycnus autem est coloris candidi, & longum collum habet, per quod ex profunditate terræ, vel aquæ cibum trahit, & potest significare homines, qui per exteriorem justitiæ candorem lucra terrena quærunt. Onocrotalus autem avis est in partibus orientis longo rostro, quæ in faucibus habent quosdam folliculos, in quibus primo cibum reponit, & post horam in ventrem mittit, & significat avaros, qui immoderata solicitudine necessaria vitæ congregant. Porphyrio autem præter modum aliarum avium habet unum pedem latum ad natandum, alium fixum ad ambulandum, quia & in aqua natat, ut anates, & in terra ambulat, ut perdices, & solo morsu bibit, omnem cibum aqua tingens; & significat eos, qui nihil ad alterius arbitrium facere volunt, sed solum quod fuerit tinctum aqua propriæ voluntatis. Per herodionem, qui vulgariter falco dicitur, significantur illi, quorum pedes sunt veloces ad effundendum sanguinem. Charadrius autem, quæ est avis garrula, significat *loquaces. Upupa autem, quæ ni-*

 di-

dificat in stercoribus, & fætenti pascitur fimo, & gemitum in cantu simulat, significat tristitiam sæculi, quæ in hominibus immundis mortem operatur. Per vespertilionem autem, quæ circa terram volitat, significantur illi, qui sæculari scientia præditi, sola terrena sapiunt. Alia vero, quæ terræ magis adhærent prohibentur: quia illi qui abutuntur doctrina quatuor Evangelistarum, ut per eam in altum non subleventur, immundi reputantur. In sanguine vero, & adipe, & nervo intelligitur prohiberi crudelitas, & voluptas, & fortitudo ad peccandum.

Ciborum delectum jure præcipi posse contra adversarios concludimus.

XXX. Vah! igitur quisquis es, qui in abstinentiis, ac jejuniis suis fidelibus imponendis, Ecclesiam errare blaterare non desinis; cum multæ sint ad ea imponenda rationes, quæ etsi sub veteris legis observantia mortuæ, vel mortificatæ, vel etiam mortiferæ dicendæ sint; sub aliis tamen rationibus, ab omni errore, ac superstitione alienis, vigere posse, ac præcipi (vide supra n. 18. ad 23.) negari non poterit. Quam difforme autem sit pedem linguæ munus; manus oculorum, aut aurium; aures manuum, vel oculorum; oculos autem manuum, sive aurium gerere? vel militem ducis imperium assumere; vel qui minoris ducis habet imperium, supremi ducis sibi abrogare principatum? Nos autem omnes mysticum Christi corpus sumus, qui est caput nostrum juxta illud Apost. 1. Cor. 12. v. 27. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*. Et v. 28. *Quosdam quidem posuit deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum*. Et v. 29. *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes prophetæ? Numquid omnes doctores? Numquid*

quid v. 30. *omnes virtutes? Numquid omnes gratias habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur?* Enim vero si quoad politicas leges verum est, peccare populum, nulla interveniente rationabili caussa, legem a Principe promulgatam non recipere, ut §. 1. observavimus, quanto magis de Ecclesiastica potestate dici debet, quæ monarchica cum sit, vel aliqua aristocratia mixta, a laicali potestate, vel populo minime pendet? Quod si verum sit teneri omnes non tantum in foro fori, verum & in foro poli præcipienti potestati obedire dicente Apostolo Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a deo: quæ autem sunt, a deo ordinatæ sunt.* v. 2. *Itaque qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; si, inquam, non obedientes damnationem acquirimus; in coscientia ergo & non pro foro tantum externo obedire tenemur, juxta ejusdem Apostoli sensum v. 5. declaratum: *Ideo necessitate subditi æstote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Si autem etiam hujus sæculi Principibus quoad politicas leges præstanda subditorum obedientia conscientiam ex Apostolo constringit, quanto magis Ecclesiæ Rectoribus, qui sunt Episcopi, quorum Caput est Romanus Pontifex, suorum respective subditorum quoad spirituales leges præstanda obedientia, conscientias constringere dicenda sit?

XXXI. Ne credas igitur benevole lector speciosis hisce reformatoribus, debitam legitimis Pastoribus obedientiam nedum negantibus, verum & ab aliis negari prætendentibus; contra quos illud Apost. ad Galat. 1. v. 6. retorquentes imponimus: *Miror, quod sic tam cito transferemini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evan-*

Contra positam doctrinam sentientes Ecclesiæ, ac Patrum sententiis adversari dignoscuntur.

Evangelium v. 7. *Quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi*; ad suas scilicet tuendas opiniones evertere. Merito igitur exprobratione, ac reprehensione digni a Sapientioribus reputantur novorum dogmatum inventores. Unde si Hieronymus de sui temporis pseudoreformatoribus dicebat epist. ad Pam. & ocean. *Quisquis assertor es novorum dogmatum, obsecro, ut parcas humanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nesciverimus? usque in hodiernum diem sine vestra ista doctrina mundus christianus fuit*: Si item contra eos, qui superstitiosa, nec sine tirrannide ab Ecclesia imposita, catholicorum jejunia, divi Augustini tempore asserebant, eo innixi, quod nullum in sacra scriptura jejunium præceptum invenitur, facit illud ejusdem S. doctoris, lib. 1. contra Cresconium cap. 33. sic eos confutantis: *Proinde quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen scripturarum etiam in hac re a nobis teneatur veritas, cum hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas; ut, quoniam sacra scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sacra scriptura demonstrat*; Quanto magis nostris hisce temporibus contra præcedentes, recentioresque hæreticos eadem retorquere possumus; cum non per quadringentos, sed per mille, & quadringentos, ac longe plures annos abstinentiarum, jejuniorumque usum in Ecclesia, quæ columna, & firmamentum veritatis est, nedum quoad uniuscujusque electionem, verum & quoad præcepta invaluisse sole clarius dignosci possit? Audiant,

quæ-

quæso, & Tertullianum lib. de carne Christi cap. 2. qui contra negantes, quod traditum est, sic ratiocinationem instituit. *Tu, qui hæc negas, ex qua, oro te, auctoritate negas? si propheta es, prænuntia aliquid: si Apostolus, prædica publice: si Apostolicus, cum Apostolis senti: si tantummodo christianus es, crede, quod traditum est: si nihil horum es, merito dixerim, morere, nam & mortuus es... & eo magis mortuus es, quo magis non es christianus, qui, cum fuisses, excidisti, rescindendo, quod retro credidisti... Porro quod traditum erat, id erat verum, & ab eis traditum, quorum fuit tradere*. Et describens, quorum fuerit tradere, Apostolorum scilicet, qui missi a Christo ad prædicandum, instructi fuerunt, quidque prædicaverint, lib. de præscript. cap. 21. sic describit. *Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva (quod ajunt) voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt; constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, Apostolorum, & Christi, & dei*. Non ergo, ut Ecclesiæ abstinentiis, ac jejuniis constringi dicamus, in scripturis eorum præcepta expresse reperiri necesse erit. Quædam enim Apostoli non per Epistolas, sed viva voce tradiderunt juxta illud 1. Cor. 11. v. 34. *Cætera autem, cum venero, disponam*. Et 2. Joan. 12. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum: Spero enim me futuram apud vos,*

& os

& os ad os loqui. Et Epist. 3. v. 14. ad Gajum scribens, dicit: *Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur*. Cum ergo per traditionem plura agerentur, nihil interest, si jejuniorum præcepta nascentis Ecclesiæ initio, e scripturis non probentur, si per traditionem, ac fidelium praxim quiqui fideles erant, abstinentiis, ac jejuniis vacasse compertum sit.

Suscepta adversariorum confutatio sub alia ratione continuata prosequitur

XXXII. Et certe quæ Ambrosius lib. 10. Epist. 82. ad vercellensem Ecclesiam de Aerii, & Joviniani sequacibus asserebat, de modernis Ecclesiæ reformatoribus, seu potius desertoribus apposite dici fas erit: *Quæ*, inquit, *istos Epicureos nova schola misit non philosophorum, ut ipsi ajunt, sed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant, castimoniam nullius esse dicant utilitatis? fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis. Neque enim pudet dicere, quod dicit Evangelista Joannes, sed hic positi primo jejunabant, intra monasterium continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibriosæ disputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt; deinde volentes redire, non sunt recepti. Pleraque enim audierant, quæ deberent cavere; monueram; nihil profeceram. Effervescentes itaque disseminare talia cœperunt, quibus incentores essent vitiorum omnium. Miserabiles perdiderunt utique, quod jejunaverunt; perdiderunt quod se aliquo continuerunt tempore, &c.* Qua ergo petulantia impius Lutherus contra Pontificem, reliquosque Ecclesiæ Principes effutire non cessat, audacter asserens, nullam esse in Ecclesia potestatem suis fidelibus vel ad spiritualem salutem, ordinatam, aliquid præcipiendi, ut in calce §. 1. supra retulimus? Enim vero contra illos pseudoreformatores Calvinum, & Lutherum, aliosque ejusdem turfuris ab Ecclesia desertores facit illud Christi domini

mini Joan. 8. v. 44. *Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus*. Sicut enim diabolus suæ creationis initio in gratia existens, at non persistens, ardens invidia pellere nixus, quos cælo deus advocare ordinasset primos parentes, decepit per illa verba Gen. 3. v. 1. *Cur præcepit vobis deus &c.* boni, malive scientiam falso promittens v. 5. *Et eritis sicut dii, scientes bonum & malum*; ita & miseri, & miserabiles, & pauperes, & cœci, & nudi virtutibus omnibus homines perditi in vera Ecclesia cum extiterint, ejusdem muneribus sa-ginati, proprio ducti spiritu, a veritate recedentes, & carni indulgere volentes, alios deceperunt, nec decipere destiterunt; & quasi scientiam boni, & mali in discernendo divino spiritu apud ipsos residere præsumentes, contra Ecclesiam quod est Christi corpus, obnitentes, Christum ipsum, qui est Ecclesiæ caput, ferire non verentur; Cum tamen dominus Jesus, qui prima veritas est, dicat mendacium loqui qui *ex propriis loquitur*, qui scilicet sententiam suam, nullis innixus firmioribus fundamentis a semetipso profert. Et sane si Jesus per verbi unionem omnis veritatis principium est, dicens de seipso Joan. 14. v. 6. *Ego sum via, & veritas, & vita*; ostendere autem volens, suam, ac divini spiritus doctrinam veram esse. Joan. 8. v. 26. de seipso dicit. *Ego quæ audivi ab eo*, Patre, *hæc loquor in mundo*, de divino autem spiritu Joan. 16. v. 13. dicit. *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur*, non aliud scilicet, quam quod, a Patre, & Filio cum proce-

cedat, in suamet ipsissima natura cognoscet; unde dicitur v. 15. *de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Si, inquam, Christus verum dicere asserit, quia quæ a Patre audivit, in sua scilicet, communique cum Patre, ac spiritu divina natura, per duplicem nempe utriusque, divinæ scilicet; humanæque naturæ intellectum sibi propria cognovit, loquitur; si item spiritus vera loquitur, quia, quæ de Filio accipiet, quæ scilicet in sua, communique cum filio natura cognoscit, loquitur; inde est, quod Christus, & spiritus vera loquuntur, quia ea loquuntur, quæ in communi cum Patris ipsissima natura cognoscentes, a Patre non dissentiunt.

Incœptum superiori numero argumentum continuatur, & ad confutandos adversarios convertitur.

XXXIII. Si ergo Pater, tanquam omnium origo, veritatis principium dicitur, & est; quod idem valet, ac si dicatur: *Sicuti verum esse necesse est, quod a Patre procedit; ita verum non esse necesse est, quod a Patre non procedat*. Quomodo ergo Lutherus, Calvinus, Melancton, aliique ejusdem farinæ pseudoreformatores veritatem assecutos esse jactitare possunt, quos luce clarius innotescit, ea docere, quæ doctrinis a Patre per Prophetas revelatis, iis quoque documentis, quæ a Christo domino edocti, atque a divino spiritu confirmati Apostoli, ac Patres tradiderunt, probaveruntque, opponuntur? Quod si, non nisi a Patre procedens, verum esse, quodque a Patre non procedit, falsum esse necesse sit; qua ratione igitur vera esse possunt, quæ legitimis potestatibus, a Patre procedentibus, a Christo scilicet per potestatem, a Patre datam, institutis, atque a divino spiritu edoctis, quarum interest populos evangelicis documentis instituere, non secus ac Christus quæ a Patre audivit, facere, suamque Ecclesiam docere cœpit, opposita inveniuntur? Et certe hujusmodi farinæ homines consortes cum Chri-

Christo regnare non possunt, qui proprio illusi judicio, a sanis doctrinis, & Ecclesiæ traditionibus recedentes, ventri, ac voluptatibus indulgere student, contra quos facit illud Ambrosii lib. de Elia, & jejunio cap. 4. & 5. relati can. *Sexto die* dist. 35. ad ligni scientiæ boni,& mali abstinentiam alludentis: *Indictum jejunium: abstinentiæ lex a domino deo; prævaricatio legis a diabolo; culpa per cibum, latebra post cibum: cognitio infirmitatis in cibo, virtus firmitatis in jejunio .... Serpens gulæ persuadet, dominus jejunare decernit. Itaque gula de Paradiso regnantem expulit; abstinentia ad paradisum revocavit errantem*. Contra eosdem quoque non minori efficacia, quam Ambrosius, invehitur Augustinus contra Faustum cap. 3. dicens: *Qui in Evangelio quod vultis, creditis, quod non vultis, non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis: quia, cum suus cujusque animus auctor est, quid in quaque scriptura probet, vel improbet, non se jam auctoritati scripturarum ad fidem, sed sibi scripturas subjicit ipse ad voluntatem*. Nec immerito: Sicuti enim extra veram Ecclesiam verus spiritus esse non potest; ita e contra spiritus dei, qui ab initio in vera Ecclesia adfuit, eam dirigens, ac docens, cujus cæteroquin specialis directio per Majorum, & Apostolicarum Ecclesiarum traditiones in rebus fidei, ac morum sibi minime contrarias dignoscitur, nunquam in rebus fidei, ac morum in errorem abire permittet. Unde dicitur Isaiæ 59. v. 21. *dicit dominus: spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit dominus, amodo, & usque in sempiternum*. Et Jerem. 6. v. 16. *Hæc dicit dominus: state super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & invenietis re-*

refrigerium animabus vestris. Et 2. Thess. 2. v. 14. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.*

Quo sensu scripturarum, ac traditionum veritas fidelibus probanda proponitur, hic discutitur, ac resolvitur.

XXXIV. Et licet, postquam in Epist. 1. cap. 5. Thessalonicensibus dixerit v. 19. *spiritum nolite extinguere*; & v. 20. *Prophetias nolite spernere*, dicat v. 21. *omnia autem probate: quod bonum est, tenete*; id tamen, non eo sensu intelligitur, quo pseudoreformatores blandiuntur, quasi scilicet pro cujusque arbitrio, seu judicio liberum cuique sit, hæc, vel illa, quæ præsertim circa fidem, ac mores, ac principalia disciplinæ capita in Ecclesia circumferuntur, probare, ac reprobare, vel rejicere: sic enim fides, uniuscujusque judicio innixa, infallibilis non esset, nec supernaturalis, & consequenter nec fundata super fundamentum Apostolorum, ac prophetarum; sed Apostoli sensus est, quod ea, quæ in Ecclesia circumferri viderint, probare, seu potius inquirere debeant, an per veros ministros in Ecclesia dicantur, & ex iis sint, quæ cum doctrina, ab Ecclesia probata, pugnare, vel concordare dignoscantur: si enim pugnare dignoscantur, rejici; si concordare, recipere, ac tenere, intelligitur præcipere. Cum enim doctrinæ infallibilitas, quæ fidem præsertim, ac mores spectat, per majus aliud, quam per Ecclesiæ probationem constare non possit; inde circa ea, quæ ad fidem, aut mores, quæque ad spiritualem salutem consequendam ordinatur datam esse Catholicæ Ecclesiæ infallibilitatem manifeste docet Apostolus per illa verba 1. Tim. 3. v. 15. dicens. *Ecclesia dei vivi columna, & firmamentum veritatis.* Idemque exponens dilectus Jesu discipulus. 1. cap. 4. v. 1. dicit: *Carissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex deo sint: quoniam multi pseu-*

pseudoprophetæ exierunt in mundum. Unde illis, qui proprio judicio firmantur, quadrat illud Prov. 14. v. 12. *Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus ducunt ad mortem*; qui scilicet sibimet ipsis nimis prudentes, sublimioribus, ac legitimis potestatibus, proprio fisi judicio, acquiescere nolunt, suum errorem sine pœnitentia aliquando recognoscent. Timeant igitur, quicunque sint, legitimarum Ecclesiæ potestatum judicium quoad præsens institutum contemnentes; timeant, inquam, divinam exprobrationem, quam contra judæos filiorum Jonadab adducens obedientiæ exemplum, deus per Jeremiam protulit cap. 35. v. 14. dicens: *Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis, ut non biberent vinum: & non biberunt usque in diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: Ego autem locutus sum ad vos de mane consurgens, et loquens, & non obedistis mihi.* v. 15. *Misiq. ad vos omnes servos meos prophetas, consurgens diluculo, mittensque, & dicens: convertimini unusquisque a via sua pessima, & bona facite studia vestra .... & non inclinastis aurem vestram, neque audistis me.* A proprio igitur uniuscujusque judicio recedentes, catholicæ Ecclesiæ judicio acquiescite, ne propria decepti opinione, tenebris obcœcatum retinentes intellectum, voluptatibus indulgere appetentes, æternum damnationis barathrum incurratis. *Timete ergo deum*, ut cum dilecto discipulo loquar in sua Apoc. 14. v. 7. *Timete*, inquam, *deum*, per voluntatis nempe conversionem, *& date illi honorem*, verbis nempe scripturarum acquiescentes, *quia venit hora judicii ejus.*

CA-

CAPUT QUARTUM

De Modo jejunandi.

Hujus capitis intelligentia aperitur.

I. In hoc cap. jejuniorum conditiones ad examen revocantes, discutiendas aggredimur, solidisque innixi principiis resolvere conabimur; & quia juxta morem in universali Ecclesia nostro hoc tempore satis probatum nedum comestio, verum & serotina toleratur refectio; idcirco nos benevolo lectori quoad omnia satisfacere volentes, nedum ea, quæ ad ciborum delectum, unicam comestionem, & horam, verum & quæ ad serotinam pertinent collationem, agere, discutere, ac resolvere studuimus. Et quia ex triplici jure naturali, divino, humanoque ortam jejuniorum necessitatem, in superioribus capitibus 1. & 2. exagitatam proposuimus; idcirco hoc quarto capite tribus paragraphis distincto, primo jejuniorum conditiones ex naturali; 2. ex divino; 3. tandem ex humano jure procedentes, discutere, ac resolvere quoad præsens judicavimus.

§. I.

De Jejunandi modo ex naturali jure proveniente.

Jejunandi modus, ex naturali jure proveniens, ille declaratur, qui ab ipsamet natura proponitur.

II. Jejuniorum necessitatem ex naturali jure oriri cap. 1. §. 1. jam vidimus; quin & personas, quæ ex naturali jure ad jejunia obligantur, cap. 2. §. 1. satis probavimus: jejunandi autem modum, quæ ex naturali jure necessitatem imponat huc discutiendum rejecimus. Et quia jejunia, ex naturali jure orta, a lege aliqua determinata non sunt, (vide cap. 3 n. 2.) sed pro sua cujusque necessitate ad ea teneri quemlibet superioribus capitibus 1. & 2.

§. §.

§. §. 1. discussimus; inde ad inquirendum jejunandi modum, ex naturali jure ortum, id unum discuti oportet, quinam scilicet jejunandi modus pro uniuscujusque necessitate naturali juri satisfaciat? ita ut jejunandi modus, ex jure naturæ ortus, non aliunde, nisi ex ipsamet naturali uniuscujusque jejunandi necessitate metiri debeat. Diximus autem nedum ad naturale practicæ rationis principium ea prosequi pertinere, quæ ad corporalis vitæ conservationem necessaria sunt, ea vero fugere, vitare, auferre, impedire, quæ ejusdem corporalis vitæ bonum lædere, vel auferre possunt; verum & ea, quæ ad animæ spiritualis vitæ conservationem, sub ratione similiter prosecutionis, ac fugæ, spectare videntur. Unde, quia effrænis concupiscentia supernaturalis vitæ consecutionem impedit, necessario sequitur, quod ad naturale practicæ rationis principium, tamquam ad radicem quandam, ea prosequi, aut fugere, vel auferre, seu impedire pertinet, quæ ad reprimendam concupiscentiam respective conducant. Et quia similiter unusquisque ex eodem naturali jure, ut supra innuimus, erga deum, ac proximum tenetur officiis, quem si forte læserit, vel in aliquo defecerit, ad satisfaciendum obligabitur; inde ad idem naturale practicæ rationis principium, tamquam ad radicem quamdam, ea quoque prosequi, aut fugere, vitare, auferre, impedire respective ex naturali dictamine pertinet, quæ ad deum cognoscendum, mentemque elevandam, debitumque erga ipsum, ac proximum officium persolvendum necessaria judicantur. Si igitur jejunium, præter corporalis vitæ respectum, ad reprimendam concupiscentiam, ad mentem elevandam, ad debitum erga deum, ac proximum, officium persolvendum, ex naturali jure, tamquam ex radice

dice præceptum, necessarium dignoscatur, eo modo exerceri debet, qui, ad corporis, animæque bona acquirenda, conservanda, vel prosequenda; nec non ad concupiscentiam reprimendam, ad mentem elevandam, ad debitum erga deum, ac proximum, officium persolvendum, necessarius judicetur.

Proposita doctrina ulterius explicatur, & concluditur

III. Si igitur absque ciborum delectu per unicam in die comestionem corporis sanitas conservari, vel obtineri dignoscatur; sine ciborum delectu, semel comedendo, jejunandi modo, ex naturali jure debito satisfit: contra vero si per ciborum delectum, aridorum scilicet comestionem, secus vero carnium; vel carnium, secus vero aridorum ciborum; etiam plusquam semel comedendo, corporis sanitas conservetur, vel obtineretur, servato in sensu exposito, ciborum delectu, prout necessarius judicetur, etiam plus quam semel comedendo, jejunii modo, ex naturali jure debito satisfieret: Quod si naturæ necessitas ad id obtinendum non ciborum delectum exigeret, neque comestionem, sed parvam quamdam refectionem; tunc jejunii modus, ex naturali jure debitus, per parvam refectionem obtinebitur. Non absimiliter: si ad reprimendam concupiscentiam, vel ad mentem elevandam, sive ad debitum erga deum, ac proximum, officium persolvendum, ciborum tantum delectus, secus vero unica comestio; sive unica comestio, secus vero ciborum delectus; sive non ciborum delectus, neque unica comestio, sed comedendi modus apto tempore sic & sic exercendus ex naturali jure tanquam ex radice necessarius dictaretur; tunc servato tantum ciborum delectu, secus vero unica comestione; sive unica servata comestione, secus vero ciborum delectu; sive ciborum non servato delectu, neque unica comestione, sed comedendi

tan-

tantum modo apto tempore sic & sic exercendo, jejunandi modus respective ex naturali jure deditus servaretur. Uno verbo, quia, ut in superioribus capitibus 1. & 2. §. 1 discussimus, unusquisque ex naturali practicæ rationis principio, tamquam ex radice ad talem jejunii formam obligabitur, qualis ad prædicta consequenda, eorumque contraria avertenda necessaria dignoscatur; inde evidentissime sequitur jejunii modum, ex naturali practicæ rationis principio, tanquam ex radice, ortum, illum dici, servarique oportere, qui tamquam medium ad finem obtinendum, ad corporis nempe, animæque salutem consequendam, ad mentem elevandam, ad debitum erga deum, ac proximum, officium persolvendum, nec non & ad his contraria fugienda, vitanda, auferenda, impedienda, nulla licet alia lege præscriptus, necessarius judicetur.

§. II.

De Jejunandi modo ex divino jure proveniente.

IV. Jejuniorum necessitatem, ex divino jure procedentem, sicut & personas, quæ eodem divino jure teneri dicuntur, supra cap. 1. & 2. §. 2. exagitavimus, ac discussimus; jejunandi autem modum, ex eodem divino jure provenientem, hic explicandum suscipimus. Et quia jejuniorum ex divino jure orta necessitas ex voto vel juramento procedit; quæ certe non alio modo voventium, sive jurantium conscientiam constringunt, quam eo, quo ex eorum mente procedunt; inde ad inquirendum jejunandi modum, ex divino jure provenientem, voventium, sive jurantium mentem discutere opus erit. Si igitur voventis, sive jurantis mens fuerit per unicam come-

Jejunandi modus ex divino jure proveniens, ille designatur, ad quem ex divino jure obligatio consurgit.

me-

mestionem, ciborumque delectum jejunium persolvere; hujus jejunii modus, sive ob fidelitatem ratione voti, sive ob reverentiam ratione juramenti, ex divino jure respective debitus, unica servata comestione ac ciborum delectu obtinebitur. Quod si voventis, sive jurantis mens fuerit, ab his, illisve cibis abstinere, non autem unicam servare comestionem; sive unicam servare comestionem, secus vero ciborum delectum; & tunc jejunandi modus ex divino jure, ex voto scilicet, vel juramento debitus, ab his, illisve cibis abstinendo, non autem unicam servando comestionem; vel non servando ciborum delectum, unica tamen servata comestione, juxta voventis, sive jurantis mentem respective obtinebitur. Quod si voventis, sive jurantis mens neque ad ciborum delectum, neque ad unicam comestionem, sed ad hanc, illamve comestionis horam servandam, obligaretur; tunc jejunandi modus, sive ex fidelitate, sive ex reverentia, ratione scilicet voti, vel juramenti respective debitus, tanquam ex divino jure proveniens, non ciborum delectum, vel unicam servare comestionem, sed tantum non antequam hac, illave peracta hora juxta voventis, sive jurantis mentem comedere exigeret. Quodque de simplicibus, seu privatis votis ac juramentis respective dicimus, etiam de solemnibus, seu publicis, eorum servata ratione, si casus contingeret, omnino dici debet. Unde quia votum ex religiosa professione emissum, juxta illius communitatis morem ad observantiam obligare discussimus; propter quod & quandoque in monasterio, vel refectorio, secus vero extra, eorum observantia constringit; inde fit, quod hujusmodi jejunandi, sive abstinendi modus ille ex divino jure proveniens, dicendus erit, qui ex emissa professione, servato communitatis more; unius-

uniuscujusque conscientiam constringit. Idemque dicendum de solemni, seu publico juramento, vel voto non ex religiosa professione, sed ex ejus coram Pontifice, vel alia publica, ac legitima potestate solemni, seu publica emissione proveniente, si ad jejunium forte constringeret; hujusmodi namque jejunandi modus ille dicendus similiter erit, qui solemniter, seu publice jurantis, sive voventis menti, servata semper solemnitatis, sive publicitatis ratione, conformaretur.

§. III.

De Jejunandi modo, ex humano jure procedente.

V. Jejuniorum modum, ac praxim, ex humano jure provenientium discussuri, omnem jejunandi modum, ex humano jure provenientem discutere oportet. Quia igitur jejunandi modus ex humano jure constringens, nedum ciborum delectum, & unicam comestionem, verum & horæ rationem attendit; quin immo ex tolerata consuetudine serotinam admittit refectionem; inde hujusmodi jejuniorum modum discernere, idem erit ac eorumdem modum, a legitima potestate præscriptum, vel consuetudine inductum inquirere. Et certe, quod ad ciborum attinet delectum; jejunium, ex humanis legibus procedens, per carnium abstinentiam servari oportere, ratione, & auctoritate satis clarum est.

Jejunandi modus, ex humano jure proveniens carnium abstinentiam exigit.

VI. Quod si forte ex aliqua rationabili caussa carnium abstinentia servari non possit, unicæ tamen comestionis obligationem remanere nedum sanioribus theologis, verum & aliquibus etiam moralistis, ac probabilistis aliquando innotuit, quos inter Lezana in summa Verb. *Jejunium* sic habet: *Licet probabile sit dispensatum ad edendas*

Etiam permisso carnium esu, unicæ comestionis obligationem remanere comprobamus.

Carnes, non teneri ad jejunium .... probabilius tamen est, id solum esse verum, quando aliquis est dispensatus ad edendas carnes ob infirmitatem, vel debilitatem: tunc enim consequenter est dispensatus a jejunio, quia est eadem ratio dispensationis; secus vero quando est dispensatus ad esum carnium ob damnum, quod recipit manducando pisces: tunc enim obligatur ad jejunium: tum quia, cum privilegium sit contra jus commune, stricte explicandum est; tum quia, cum præceptum Ecclesiæ in toto servari non potest, saltem in parte servari debet. Et apud Castropalaum 4. part. tract. 29. disp. unica puncto 8. §. 1. n. 10. Sententia refertur Rodriquez in Cruciata §. 6. dicentis: *Si solum ob nocumentum cibi quadragesimalis tibi concedatur usus carnium, nequaquam potes bis comedere; sed formam jejunii de unica comestione servare debes.* Quodque considerabilius est, & omnino tenendum, etiam Ecclesiæ Pastores id ipsum tenuerunt, præceperuntque; e quorum albo Petrus Barberigus Venetiarum Patriarcha in synodo an. 1714. celebrata, sic habet: *dispensati autem omnes sciant, quod licet a delectu ciborum sint dispensati, se tamen adhuc jejuniorum observationi esse obstrictos, atque lethali peccato esse obnoxios, si escis illicitis utentes, non jejunaverint*, si scilicet unicam comestionem non servaverint. Utrum autem quoad monastica jejunia, a carne quoquo modo dispensatus, etiam a jejunio, ab unica scilicet comestione dispensatus intelligatur? alia certe inspectio est, & maxima ex parte a praxi pendet, juxta uniuscujusque Religionis, ac familiæ constitutionum, bullarum, privilegiorum, ac consuetudinum interpretationes, per sua generalia capitula comprobatas.

Carnium esus non quarumli-

VII. Carnes autem ob infirmitatem comesturum, non nisi salubres comedere debere monet Lam-

Lambertinus, in sua Inst. XV. n. 17. dicens: *denique eas solum carnes permittant Medici, quæ sanitati conferant.* Quodque considerabilius est. Egregius Pontifex Clemens XI. in edicto an. 1703. tam dispensatos, quam medicos sic monet: *Ad illud cum Medici, tum hi, qui dispensationes petunt, animum intendant, ut carnes salubres sint: Quoniam hæ solum in Quadragesima permittuntur his, qui ob justam causam cibis quadragesimalibus vesci nequeunt.*

bet, sed earum, quæ salubres sunt, ac saluti congruunt, permissus intelligi debet.

VIII. Et quoad epularum mistionem, Benedictus XIV. de suis Encyclicis: *Non Ambigimus*, Et: *In suprema* nonnullis in Hispaniis exortis difficultatibus, ab Archiepiscopo Compostellæ oblatis, ad septem capita redactis, in Epist. *Si Fraternitas tua* die 8. Julii 1744. edita, ad eumdem Episcopum delata, quoad epularum mistionem in quæsito 4. *quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?* Respondet: *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est, carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces: adeoque utrumque simul adhiberi non posse.* Ratio autem quare potius carnes, quam pisces prohibentur, ab Angelico in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. q. 2. ad 3. assignatur, sic ratiocinante: *Ad tertium dicendum, quod pisces frigidiores sunt naturaliter, quam carnes, nec alimentum ita conveniens corpori præstant, sicut aliæ carnes: unde non fuit tanta necessitas prohibendi pisces, sicut carnes.*

Carnium esu quocunque modo permisso, piscium esus omnino interdictus in eadem comestione intelligitur.

IX. Græci autem fere omnes, Armeni, Cophti, & alii orientales in diebus jejuniorum ut plurimum ab oleo, & piscibus abstinent, sanguinem habentibus; eos tamen in Annuntiationis & Palmarum festis comedere licitum reputant. Dum autem a piscibus, sanguinem habentibus, abstinent, alios comedere possunt, & uti, scilicet

Orientales in suis jejuniis etiam a quibusdam piscibus abstinere dignoscuntur.

juxta Goarium, *squillis*, *ostreis*, *cancris*, *polypodibus*, *sepiis*, *&* *aliis hujusmodi exanguibus*, *quasi a piscium perfectorum natura alienis*, *&* *cruditate*, *seu vilitate stomachum affligentibus*, *sicut & piscium ovis exsiccatis*, *& sale ad solem conditis*.

Aliquibus, orientalis Ecclesiæ ritu obstrictis, in suis jejuniis ciborum delectus cum Latinis communis permittitur.

X. Græci etiam in Corsica a piscibus, sanguinem habentibus, oleo, & vino abstinere cum consueverint, porrectis tandem ad Benedictum XIV. precibus, ipse in const. *Etsi Pastoralis* die 26. Maji 1742. edita §. 9. n. 12. indulsit, dicens: *Verum quia pro parte dilectorum filiorum græci ritus, in Corsica habitantium*, *nobis nuper humillime preces porrectæ fuerunt* .... *Nos paternæ pontificiæ charitatis*, *quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere*, *non immemores*, *tam dictis Græcis in Corsica habitantibus*, *quam omnibus*, *& singulis Albanensibus*, *& Græcis*, *qui in Italia*, *& insulis adjacentibus commorantur*, *tenore præsentium*, *ut ad instar Latinorum*, *in quorum diœcesibus degunt*, *in memoratis quadragesima*, *quartis*, *& sextis feriis*, *& reliquis anni jejuniis*, *vino*, *oleo*, *piscibus cujuscunque generis possint uti concedimus*, *& indulgemus*. Et ibidem n. 12. refertur dispensatio Clementis XII. Abbati, & Monachis Monasterii S. Basilii magni dimidii Jussi diœcesis panormitanæ facta, ut scilicet *piscibus*, *sanguinem habentibus*, *libere & licite nonnullis anni quadragesimis vesci possint*, *non obstantibus ritus Græci ordinationibus*, *hac nostra constitutione confirmamus*, *& roboramus*.

Quare piscium, secus vero avium esus ab Ecclesia permittitur, declaratur.

XI. Ex eo autem, quod aves, & volatilia, non secus ac pisces, ex aquis producta sint super terram, dicente scriptura Gen. 1. v. 20. *dixit etiam deus*: *producant aquæ reptile animæ viventis*, *& volatile super terram sub firmamento cœli*: & ecce prodeuntes ex aquis pisces, & volatilia super terram

ram juxta illud v. 21. *Creavitque deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum*, quibus prodeuntibus benedixit deus v. 22. dicens: *crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram*; Ex hoc, inquam, inferri non poterit, Ecclesiam, sicuti piscium esum in diebus jejuniorum permiserit, ita & avium permittere debuisse. Cum enim in jejunio corporis afflictio exigatur, & animalium carnes, in aquis morantium, propter aquarum frigiditatem multum in sua substantia decrescunt, quod contra evenit in animalibus, extra aquas quiescentibus; inde animalium carnes, in aquis quiescentium, quos pisces vocamus, minus a corporis afflictione recedentes, quam sint illorum carnes, in terra quiescentium, ab Ecclesia in jejunio permittuntur, secus vero illorum carnes, quæ in terra, vel in aere vivere solent.

XII. Ad discernendum autem, quænam sint animalia, quæ piscium naturam induant, & in diebus esurialibus, etiam in Quadragesima, a non dispensatis comedi possint, non minima difficultas est, variis varia sentientibus. Unde Socrates apud Lambertinum in synodo lib. 11. cap. 5. sic habet: *Alii omnino ab omni animantium genere abstinent: alii inter animantia pisces solos comedunt: alii cum piscibus volucres etiam manducant, easque ex aqua, ut est apud Moysen, nasci asserunt.* Subjungit autem ibidem Lambertinus: *sed illud in controversiam sæpe vocatur, an hæc, aut illa animantium species ad piscium naturam pertineat, nec ne? aut inter animalia terrestria, aut volatilia, vel potius aquatilia adnumerari debeant, & consequenter an liceat diebus jejunii eorum carnibus vesci?* Et quia nonnulli auctores putant standum

Animalium, quæ piscium naturam habent, quæque permitti possunt, discretio assignatur.

esse

esse locorum consuetudini; inde, ubi legitima consuetudo sit aliquorum animalium carnes etiam in diebus vetitis absque scrupulo, ac tuta conscientia comedendi, licite comedi posse sustinent. Unde Panormitanus de observat. jejuniorum hoc tangens, sic ratiocinatur: *Ex quo non habemus in hoc jus specificum, recurrendum ad consuetudinem loci. Serva ergo in hoc consuetudinem.* Et Lambertinus subjungit. *Ex quo deducunt, licitum esse diebus esurialibus comedere ranas, quæ in aqua vivunt, testudines quoque licet terrestres, minime vero quædam volucrum aquatilium genera.* Cujusmodi dici possunt anates, vel similia, *quia nimirum illis consuetudo favet, his autem contraria dignoscitur.*

Assignata quoad animalium naturam, eorumque usum discretio, ad examen revocata, altiori, ac profundiori discussione proponitur, ac resolvitur.

XIII. Sed quoniam, si res bene perpendatur, etiam quoad talium animalium genera, quæ cum carnium maceratione non bene cohærent, & quorum proinde comestio potius corruptela dici debeat, consuetudo favere poterit; idcirco altius, ex ipsamet nempe jejunii, taliumque animalium natura petenda discretio est, juxta prælaudatum Lambertinum in sua synodo lib. 11. cap. 5. dicentem: *Sed hoc merito admonendum censemus, ut videatur, an hæc, vel illa consuetudo vera, & ligitima dici debeat; & an apud pios, probosque viros recepta sit, ne forte abusus, & corruptelæ pro judicandi, & agendi norma accipiantur.* Principium autem ad id discernendum ex Angelici doctrina firmari poterit. Et quidem ex jejunii natura sumpta ratione 22. q. 147. art. 8. sic eloquitur: *Jejunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis, quæ quidem sunt delectabilium secundum tactum, quæ consistunt in cibis, & venereis; & ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui & in comedendo, maximam habent delectationem, & iterum*

rum maxime hominem ad venerem provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra quiescentium, & respirantium, & quæ ab eis procedunt, sicut lacticinia ex gressilibus, & ova ex avibus. Et rationem assignans, sic prosequitur: *Quia enim hujusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum: & sic ex eorum comestione plus superfluit, ut vertatur in materiam seminis, cujus multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ. Et ideo ab his cibis, præcipue jejunantibus, Ecclesia statuit esse abstinendum.* Ex quo clarissimo, & universali principio, quantum ad jejunii naturam juxta Ecclesiæ mentem declaratam, & ab Angelico propositam, spectat, non quidem ex consuetudine, qua tali, verum & potius ex ipsamet jejunii, carniumque natura satis infertur, eas animalium carnes in jejunio licitas esse, quæ carnis macerationi congruunt, secus vero quæ non congruunt. Si ergo aliquorum animalium carnes, etiam in terra quiescentium, ac respirantium, ad humani corporis nutrimentum parum conferunt, neque ex eorum esu superfluus humor, ad seminis multiplicationem deserviens, generari dignoscatur, horum animalium carnes comedendi usus nedum ex consuetudine, quæ Ecclesiasticæ legis interpres est, verum & ex intrinseca jejunii, prædictorumque animalium carnium natura, spectatoque Ecclesiæ precepto, licitus reputari poterit, ac debet: similiter dicendum de aliis, plus minusve ad corporis nutrimentum animalium carnibus conferentibus.

XIV. Inde doctores inferunt, quos inter Milante in exposit. prop. 23. Alex. VII. Exercit. 23. quoad præsens subdit. *Adeoque ex opposito momento hodie ex communi judicio, & usu uti li-*

Prædictæ discretio doctorum placitis roboratur.

licitæ in diebus esurialibus reputantur carnes testudinum, viperarum, coclearum, seu limacum, lutrarum, aliorumque animalium, quæ sub terra, vel in imo aquarum respirant, ut ranæ &c. E contra vero subdit: *Nullatenus aves, esto in scopulis nidificantes, & in aquis multoties degentes, uti sunt fuligæ, anates &c. fidelium usus in cibis esurialibus excipit, utpote quæ nimis nutriunt, vere nascuntur in terris, & in aquas se immergunt, ut pisces prædentur.* Addit tamen: *Verum hac in re attendenda plurimum est consuetudo locorum: Alibi fortasse aves quædam, ut fuligæ, macrousæ &c. permittuntur vel ob piscium defectum, vel ob inveteratam consuetudinem, ab Ecclesia toleratam. Hinc terrestres testudines hodie in usu sunt apud nos Italos præcipue PP. Carthusienses, lutres quoque alicubi, & in regno nostro* (scilicet Neapoli) *fortasse frequentius, quæ alibi citra dubitationis aleam cum horrore rejiciuntur, & quæ a nobis eliminantur fuligæ, alicubi in Galliis sine scrupulo admittuntur. Igitur juxta varias consuetudines, variamque receptam disciplinam aliqua alibi possunt permitti, quæ alio in loco non possunt tolerari*. Et Daniel Concina, doctoris Angelici innixus principiis, de Ecclesiæ præceptis lib. 2. dissert. 2. cap 3. num. 2. sic habet: *Aves licet aliquæ nutriantur in aquis, Carnium nomine veniunt. Hinc corvi marini, fuligæ, & similes, quamvis piscium saporem habeant, diebus jejuniorum comedi minime possunt. Idem dic de Camaleone*: Contra: *Locustæ, ranæ, limaces, testudines, & conchæ diebus jejunii licite comedi possunt: quia in communi existimatione pro piscibus habentur*.

In dubio, an aliqua animalia, piscium, vel

XV. In dubio autem, an hæ, illæve animalium carnes jejunii tempore comedi possint; & an eas comedendi consuetudo retinenda, vel corru-

ruptela existimanda sit; earum natura cum jejunii natura conferri debet. Unde si certum est hujusmodi consuetudinem de illis animalibus esse, quorum comestio, considerata eorum substantia, cum jejunio certo pugnare dignoscatur, juxta Angelici principia, supra a nobis adducta, corruptela dici potius debet, & omnino rescindenda: Quod si de illis sit, quæ considerata eorum natura, juxta ejusdem S. doctoris principia cum jejunio certo non pugnare dignoscantur, hujusmodi consuetudo retinenda videtur. Si vero sive certa, sive incerta sit hujusmodi animalium carnes comedendi consuetudo, dubium tamen est an hujusmodi animalium substantia cum jejunio pugnet; tunc medici æque pii, ac periti perquirendi inquirendique sunt, ut, de hujusmodi animalium natura, ac substantia, ex intima physica probe introspecta, judicium ferant, partiumque studiis omnino depositis, declarent, an hujusmodi animalium carnes cum jejunio pugnent, vel non; expositaque a theologis juxta Ecclesiæ mentem jejunii natura, sano medicorum, seu physicorum, ac theologorum judicio acquiescendum: Quod si æque pii, ac periti in hujusmodi animalium introspicienda natura, non conveniant, cum jejunio eorum carnes non pugnare affirmantibus multis, negantibus aliis, tunc sedis Apostolicæ judicium requirendum, ut definiat, declaretque, an jejunii tempore hujusmodi animalium carnes permitti possint, vel non; ut sentit Lambertinus de synodo loc. cit. dicens: *Si autem nec hisce regulis insistendo, quæstionem definire fas erit, nil tutius episcopo suaderi poterit, quam ut abstineat a decretis super ea in synodo edendis; sed potius ad Apostolicæ sedis judicium rem deferat, ut sæpe alias Sanctissimi Ecclesiarum Antistites omni tempore fecisse dignoscuntur.* Quia vero

carnium naturam habeant, quid agendum sit, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

vero in dubiis, etiam ad leges juris communis, vel Pontificias Sanctiones pertinentibus, Episcopis competit sententiam ferre; inde possunt interim, usque dum scilicet Apostolicæ sedis judicium audiant, Theologis, peritisque conquisitis, eorum audito judicio, sententiam ferre. Et sicuti licite possunt episcopi eo, quo dictum est, modo in dubiis sententiam ferre; ita & eorum respective subditi licite possunt suorum Episcoporum judicio acquiescere, usquedum scilicet aliud ab Apostolica sede resolutum, ab iisdem Episcopis declaretur. Firmum igitur, fixumque sit carnium abstinentiam in jejuniis ex Ecclesiæ instituto exigi.

Ovorum, & lacticiniorum abstinentia, vel permissio in jejuniorum diebus ex doctorum placitis proponitur.

XVI. Quoad lacticiniorum autem usum, ea in diebus jejuniorum non absolute prohiberi, sed locorum consuetudinem attendi debere multi autumant, secus vero de antipascalibus jejuniis loqui solent. Unde Angelicus 22. q. 147. art. 8. ad 3. *Ova*, inquit, *& lacticinia jejunantibus interdicuntur, in quantum sunt ex animalibus exorta, carnes habentibus. Unde principalius interdicuntur carnes, quam ova, vel lacticinia*. Et pergit ibidem: *Similiter etiam inter alia jejunia solemnius est Quadragesimale jejunium: tum quia observatur ad imitationem Christi, tum etiam quia per ipsum disponimur ad Redemptionis nostræ mysteria devote celebranda. Et ideo in quolibet jejunio interdicitur esus carnium; in jejunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova, & lacticinia*. Et subjungit immediate: *Circa quorum*, ovorum scilicet, & lacticiniorum, *abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos; quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur*. Cui præcinens Hieronymus Epist. 28. ad Licinium sub fin. de jejuniis loquens ait: *Unaquæque provincia*

abun-

abundet in suo sensu, *& praecepta majorum leges Apostolicas arbitretur*. Idemque sentiens s. Antoninus in summa part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 3. ex Petro de Palude sic habet; *sed pro majori declaratione horum Petrus de Palude in 4. dist. 15. sic dicit: Comestio lacticiniorum in Quadragesima interdicta est, ut dist. 4. can. denique, non autem in aliis jejuniis, nisi consuetudo hoc habeat, quam ubique servandam in jejuniis dicunt Aug. Ambr. & Hieronym. dist. 12. can. Illa, & dist. 76. can. Utinam*. Et pergit Paludanus apud eumdem Antoninum. *Unde cui injunctum est jejunare simpliciter, non habet, nisi a carnibus abstinere, ita quod jejunare etiam cum lacticiniis potest*. Quibuscum sentiant recentiores, quos inter Azorius de 2. Ecclesiæ præcepto cap. 10. dicens: *Juxta communem sententiam in aliis jejuniorum diebus præterquam jejunii quadragenarii jure communi permittitur usus ovorum, lactis, casei, nisi contrarium consuetudo gentis, vel populi servet*. Et Didacus Covarruvias variarum resolutionum lib. 4. cap. 20. n. 15. quoad præsens sic habet. *De lacte vero, butyro, caseo, & ovis controvertitur, hæc etenim probibita esse in quadragesima fatentur omnes, & plane deducitur ex Gratiano* in can. *denique* dist. 4. *Par autem est*, &c. ex d. Gregorio, *apud*, *quem*, fatetur idem Covarruvias, *id nondum potui reperire*. Id autem, quod ex Covarruvia, aliisque certum habetur, est quod *omnes alii asseverant, jure pontificio in jejunio quadragesimæ probiberi ova, lac, caseum, & his similia*, *quod expressim probat canon sextæ synodi a nemine hac in quæstione citatus*: *In aliis autem jejuniis non esse hæc vetita, sed tantum esum carnium*. Unde subjungit: *Nisi aliud fuerit consuetudine obtentum, in aliis jejuniis, præter Quadragesimam licebit ovis, caseo, & lacte vesci. Qua ratione ob-*

observanda erit cujusque provinciæ consuetudo; Quibus consonans Milante in calce exercitationis 28. in exposit. prop. 32. ab Alexandro VII. damnatæ sic habet: *Sed si obiter hic quæras, an in aliis jejuniis extraquadragesimalibus liceat in diœcesi Neapolitana vesci ovis, & lacticiniis? Respondeo negative; quia, etsi alibi hæc consuetudo utpote res meræ disciplinæ non vigeat, & ideo excuset, in hac diœcesi vero expresse interdictus est horumce usus ex variis synodalibus constitutionibus*: scilicet ex Concilio provinciali, sub Mario Carafa an. 1576. celebrato cap. 11. Tit. de jejunio a Gregorio XIII. confirmato; & ex edicto Cardinalis Philomarini, qui interdixit opinionem contrariam. Et pergit immediate idem Milante: *Hic olei piscium, aliorumque anti paschalium seu esurialium ciborum copia magna est; unde nullum potest excogitari vel leve argumentum ad oppositum suadendum*: *Viri quoque pii, ac docti, imo vulgus abhorret ova, & lacticinia in laudatis jejuniis vigiliarum, & quatuor temporum*. Et Lambertinus de synodo lib. 11. cap. 5. sic habet: *In cæteris vero jejuniis extra quadragesimam sicut ab Episcopo prohiberi non debent ova, & lacticinia in iis locis, in quibus eorum usus legitima consuetudine jam pridem inolevit; ita in aliis locis, quæ hanc consuetudinem non habent, prudentis Episcopi officium est, synodalibus decretis cavere, ne antiquæ disciplinæ vigor paulatim mollescat: ut optime præstitit quondam Archiepiscopus Neapolitanus Marius Cardinalis Carafa in synodo provinciali, anno 1576. celebrata, & Gregorii Papæ XIII. auctoritate confirmata; cujus vestigia secuti sunt illius successores, nimirum Cardinalis Philomarinus per edictum a Congregatione Romanæ inquisitionis confirmatum; & Cardinalis Pignatellius in synodo diœcesana anno 1726. habita. Quæ monumenta collegit, & retulit Milante. &c.*

XVII.

XVII. Utrum autem lacticiniorum usu concesso, sagiminis usus concedi dicendus sit, controversia dignum videtur. Et certe quia in can. *Presbyter* dist. 82. concessis ovis, & caseo, sagimen etiam conceditur, usu carnium excluso, infert Glossa, lacticiniis concessis, sagiminis usum concedi, dicens: *Licet comedere de sagimine illis diebus, quibus ova, & caseum licet comedere.* Utque refert Azorius loco citato in calce cap. 10. ex Hostiensi in summa de observando jejunio: *cui conceditur usus ovorum, & casei, intelligitur concessum, ut possit uti sagimine, & sic, inquit, Cluniacenses Monachi; sed Cistercienses, & quidam alii religiosi contrarium servant.* Id autem satis tutum non videtur: Cum enim sagimen carnium succus sit, earumque humor; inde ejusdem substantiæ ac caro cum sit, non potest ex ovorum, aliorumque lacticiniorum permissione licitus reputari sagiminis usus, nisi legitima accedat consuetudo, uti viget in regno Siciliæ, ubi, quibuscunque diebus ova, ac lacticinia licita sunt, etiam jejuniorum tempore, ac feriis sextis, ac sabbatis ex immemorabili consuetudine sagiminis usus indictus licitus reputatur. Nec ratio deest. Cum enim juxta Reg. 15. juris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*; Interpretatio autem contra jus commune odium reputetur, ut ex Reg. 28. erui potest, dicente: *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*; inde clarissime oritur, quod permissis lacticiniis, sive cæteroquin a communi jure non prohibitis, sive ex consuetudine licitis, non proinde sagiminis usus licitus reputari debet, dum carnium substantia ex communi jnre in prædictis diebus prohibetur, nisi alius accedat titulus, ipsimet communi juri innixus, sagiminis nempe legitima consuetudo,

Ovorum, ac lacticiniorum usu concesso, in jejuniorum diebus: sive in aliis, in quibus carnium esus prohibetur, esus sanguinis, vel sagiminis secundum se non intelligitur permissus

secus vero præcise, & consequenter ad ovorum, & lacticiniorum licitam comestionem. Quod igitur de presbytero dicitur, cui post fornicationem pœnitentiæ tempore, permissis ovis, & caseo, etiam saginis usus permissus fuerit, quia casus est particularis, & non legislativus *ad consequentiam* contra jus commune trahendus non erit. Non igitur verum est, lacticiniis permissis, etiam saginis usum permissum intelligi, nisi alius accedat titulus legitimæ scilicet consuetudinis, ut in Siciliæ regno legitime vigere nuper memoravimus. Quibus autem ex legitima consuetudine ova, ac lacticinia in diebus jejuniorum comedere non prohibetur, piscibus simul, ovis ac lacticiniis in eadem comestione uti posse a Benedicto XIV. in Epist. *Si Fraternitas* super memorata in respons. 4. clarissime docemur, dicente: *Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova & lacticinia.*

Vini usus in jejuniorum diebus non intelligitur prohibitus.

XVIII. Vinum autem nullis jejuniorum diebus prohiberi ex fidelium praxi constat, cujus rationem assignans Angelicus in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. q. 2. ad primum sic habet: *Ad primum ergo dicendum, quod vinum concupiscentiam incitat inflammando per modum alterantis; Et quia tales alterationes non diu manent, ideo potus vini non adeo efficaciter operatur ad concupiscentiæ fomentum, sicut esus carnium, quo præcipue materia concupiscentiæ ministratur, & calor naturalis confortatur radicitus magis; & ex alia parte subtractio vini nimis debilitaret naturam propter digestionis impedimentum.* Superfluum autem videtur, quod ab Emo Bellarmino asseritur tom. 4. controv. lib. 2. de bonis operibus in particulari cap. 5. dicente: *In regionibus autem frigidioribus ideo noluisse Ecclesiam vini abstinentiam imperare, quoniam a plurimis sine magno valetudinis periculo to-*

tolerari non potuisset, quasi Ecclesia in temperatis, vel calidis regionibus vinum jejuniorum temporibus prohibuerit, quod est falsum.

XIX. Unicam autem comestionem in jejunio servandam esse satis patet. Qui igitur quacunque ratione a ciborum delectu eximatur, vel dispensetur, ad unicam tamen teneri comestionem apertissime declaravit Benedictus XIV. Quia enim aliqui const. *Non ambigimus* cavillose interpretabantur, quasi soli multitudini non liceret, urgente caussa, a carnis abstinentia dispensatæ plures adhibere comestiones, & interdictas epulas misce re, secus vero particularibus personis; Pontifex in Encyclica: *In suprema* die 22. Augusti 1741. Pontificatus sui anno 2. edita §. 1. postquam dixerit: *Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint, qui per humanas, & hominibus a christiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes, sibi, aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas, & interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem, gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, & de utriusque medici consilio dispensatur &c.* §. 2 mentem suam sic explicat: *Quam sane persuasionem, a sententia nostra alienam, ut ex omnium animis pœnitus evellamus, nos quibuscunque quacunque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem, gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, & de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ aliisque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, & li-*

Quacunque data jejunii quoad ciborum delectum relaxatione, unica comestio, nisi ex alia ratione, relaxata non intelligitur.

& licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas tenore præsentium declaramus, & edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis Litteras singulis utriusque sexus Christi fidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in Sacratissima Quadragesima, aliisque jejunio consecratis diebus, vescendi prohibitis, licentiam dantes, unicuique expresse prescribimus, atque præcipimus.

Comestionis horam in meridie non arithmetice intelligi debere sentimus.

XX. Quoad comestionis autem horam, eam absque ulla caussa in meridie posse peragi hoc sæculo non ambigimus. In quo certe subtilis æstimatio pensari non debet, non secus ac anterioribus sæculis usus invaluerat. Etsi enim sæculo 13. hora nona solveretur jejunium, id tamen non per subtilem examinationem exigebatur, dicente Angelico 22. q. 147. art. 7. ad secundum *Ad jejunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem: sufficit enim quod sit circa horam nonam*: ita & in nostro sæculo; in quo in meridie etiam sine caussa quodcunque jejunium solvitur, non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem meridiei hora intelligi debet. Licet enim virtus in medio consistat; & jejunium, utpote abstinentiæ actus, ad moralem virtutem pertineat; quia tamen ad omnes ordinatur, & hujus virtutis medium non apud omnes idem est, cum alii plus, alii minus per horæ taxationem affligantur; inde fit, quod plus, minusve ab hora taxata recedere extra virtutis medium non intelligitur. Unde Angelicus, sub alia licet ratione, probare volens, quod modica dilatio, quatenus parum incommodi naturæ afferat, a virtutis medio non recedit, loc. cit. ad tertium *Modicum*, inquit, *augmentum, vel etiam modicus defectus non multum potest nocere.*

Non

Non est autem magnum temporis spatium, quod est ab hora sexta, in qua communiter homines comedere consueverunt, usque ad horam nonam, quæ in jejunantibus determinatur. Et ideo talis taxatio temporis non multum potest alicui nocere, cujuscunque conditionis existat.

XXI. Horæ autem mutatio vesperarum in nonam; vel nonæ in sextam jejunii spiritum ab Ecclesia non abstulit. Mutatis enim personarum ac temporis circumstantiis, etiam jejunii horam mutari congruentissimum fuit; cum præsertim jejunia, humano jure instituta, etiam humano jure relaxari potuisse, ac posse, eorum tamen servata substantia, nemo rationabiliter negare possit. Unde de jejuniis loquens Covarruvias variarum resolutionum lib. 4. cap. 20. sub finem n. 14. *Hæc tamen*, inquit, *jure humano instituta sunt, moribusque utentium, & consuetudine tolli possunt. Idcirco potuit consuetudo in jejuniis aliam horam unico prandio definire, etiam nonam præveniendo*, ut in pluribus communitatibus, præsertim religiosorum, ante meridiem jejunium solvi invaluit. Neque in hoc veteris testamenti usus attendendus est, de quo Lev. 23. v. 32. dicitur: *Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis, a vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra, quia*, ut Angelicus 22. q. 147. art. 7. ad 1. *status veteris testamenti comparatur nocti, status vero novi testamenti diei*, juxta illud Apost. ad Rom. 13. v. 12. *Nox præcessit*, vetus nempe tastamentum, *dies autem appropinquavit*, novum nempe testamentum, *& ideo*, pergit Angelicus, *in veteri testamento jejunabant usque ad noctem, non autem in novo testamento*. Sicut enim in physicis dies, & nox non possunt eidem durationi coexistere; ita neque ritus jejunandi in veteri lege cum ritu je-

Horæ mutatio quoad comestionem in diebus jejuniorum jejunii spiritum ab Ecclesia non abstulit.

junandi in nova lege convenire moraliter poterit. Et licet in Ecclesiæ novæ primordiis aliqui veteris testamenti ritus servarentur, ut jejunandi usque ad vesperam; id tamen non sub ratione servandi veteris legis ritum, sed ex quodam prudenti Ecclesiæ regimine, deo sic disponente, factum est, ut juxta patrum intelligentiam cum honore, quæ cæteroquin divina erat, veteris legis observantiæ sepelirentur. Quod sane etsi per plura sæcula servatum sit, id tamen non tanquam veteris legis observantia, sed ad majoris virtutis exercitium, ferventiori tunc vigente charitate, factum dici debet; altiores autem radices agente evangelica lege, atque ubique ferme terrarum propagata, hujusmodi consuetudo rectissime sublata est. Et licet plura sæcula, quibus solvendi jejunium ad vesperas consuetudo servata est, longum tempus videantur; non tamen longum tempus videri debet respectu sæculorum, quibus duratura erit evangelica lex usque ad judicium. Jejunii autem onus a media nocte ad mediam noctem intelligi debere, interposita tamen comestione, ex Ecclesiæ praxi novimus.

Serotinæ refectionis usus licitus declaratur. XXII. Quod ad serotinam attinet refectionem, ciborum qualitas & quantitas, nec non & modus attendi debet; eam autem licitam esse, etiam sine caussa, omnibus patet. Unde Fagnanus de observat. jejuniorum cap. *consilium* n. 47. sic habet: *Hinc infertur primo ut quamvis geminata comestio in die jejunium solvat, eo quod universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ pro lege habenda est, sic obtinuit, ut semel tantum comedatur....* n. 48. *tamen aliquid sumere pro collatione serotina magis ad sustentationem naturæ, quam ad delicias, non est peccatum; nec jejunium frangitur, dummodo hoc fiat temperate secundum consuetudinem loci.*

XXIII.

XXIII. Eo quod autem ferotina ex inducta consuetudine refectio non ad nutriendum, sed ad sitim sedandam, & somnum commodius capiendum, & naturam, ne deficiat, sustentandam; ordinatur; inde, ne nimis debilitetur natura, ea debet esse refectionis quantitas, quæ famem non extinguat, nec nimis nutriat. Quoad hoc autem multæ exortæ sunt doctorum opiniones æque futiles, ac inutiles, quorum aliqui tres ciborum uncias admittunt; alii tres, vel quatuor panis uncias; alii quatuor tantum ciborum uncias; alii autem circiter octo uncias; alii vero ordinariæ cœnæ quartam partem assignant; alii tandem prudentum judicio id discutiendum relinquunt. Ex quibus Magister Milante Exercit. 23. in prop. 29. 30. 31. & 32. ab Alex. VII. damnatarum expositione, postquam dixerit, cœnulam octo uncias non debere ordinarie excedere, subdit: *dixi: Ordinarie: quia justa ex causa poterit esse majoris ponderis, & quantitatis, quando videlicet aliquis majori eget nutrimento*. Quæ tamen opinio a Daniele Concina lib. 2. de Ecclesiæ præceptis differt. 2. cap. 14. in calce num. 3. laxissima reputatur, dicente: *hæc domestici scriptoris opinio laxissima est, & improbanda*: ipse autem Daniel loc. cit. n. 5. suam mentem declarans, dicit: *duas uncias panis, & unam unciam aut amygdalarum, aut ficuum, aut nucum, detractis corticibus, permitterem in collatione serotina*: Quæ certe Danielis opinio, licet pro superioribus sæculis non sit reprobanda, cum etiam S. Antoninus sæc. 15. scribens, parvam fructuum quantitatem, & s. Carolus ad finem properante sæc. 16. scribens; panis unciam cum dimidia, & vini poculum permitterent, nostro tamen sæculo satis rigida, & a communi, pene dicam, consuetudine nedum laicorum,

Serotinæ refectionis quantitas ex doctorum placitis proponitur.

verum & religiosorum, ac familiarum ferme omnium, virorum quoque æque piorum, ac doctorum videtur aliena. Et sane auctor iste ad aliorum discooperiendos errores, ac laxitates aptissimus quidem est; ad tutiores tenendas opiniones facilis; ad probabiliores sequendas promptissimus; ad conciliandos vero doctrinas, & ad praxim instituendam parum aptus videri invenitur, ac meticulosus.

Serotinæ refectionis quantitas ex intimis rationibus petenda, discutitur, ac resolvitur.

XXIV. Res autem ista non tam in doctorum opinionibus fundari, quorum juxta judiciorum varietatem multæ sunt & implexæ, laxitatem, vel anxietatem generantes, & quandoque servatu impossibiles, seu potius inter se oppositionem involventes, sub cujus ratione earum falsitas in earum saltem una adinveniri debet; quam ab ipsomet intrinseco legitimæ introductæ consuetudinis fine repeti debet. Superiori autem numero declaravimus, serotinam refectionem non ad nutriendum, neque ad famem explendam, sed ad sitim sedandam, ad somnum capiendum, ac naturam aliqua ex parte sustentandam, ne scilicet nimis debilitetur, ex consuetudine fuisse inductam. Quantitas igitur a legitima locorum consuetudine, pensatis nempe personarum complexionibus, regionumque qualitatibus repetenda est. Illa ergo erit quantitas, in serotina refectione legitime inducta, quæ corpus non nutriat, & famen non expleat, sed ad somnum capiendum, & ad naturam, ne nimis debilitetur, sustentandam ordinetur. Et quia pro personarum, seu complexionum, regionumque varietate non eadem cibi quantitas id obtinebit; inde pro personarum, seu complexionum, regionumque varietate inæqualis esse poterit serotinæ refectionis quantitas. Sub ratione igitur inæqualis quantitatis licitæ vel illicitæ sic videtur efformanda pro se-

ſerotina refectione generalis regula: Illa erit legitima, ac tuto ſequenda ſerotinæ refectionis quantitas, quæ non ad nutriendum; neque ad famem explendam; ſed ad ſitim ſedandam; ad ſomnum capiendum; ad naturam aliqua ex parte, ne nimis debilitetur, ſuſtentandam, ordinatur. Et viceverſa: Illa erit damnanda quantitas, quæ corpus nutriant, famem expleat, vires augeat. Et quia ne corpus nimis debilitetur, atque ad ſomnum capiendum octo circiter ciborum unciæ adjuncto inſuper potu, ut plurimum ſufficiunt; inde præter potum ultra octo circiter minores uncias ciborum quantitatem excedere omnino damnanda videtur opinio. *Cum* enim, ut advertit Navarrus in ſuo Manuali cap. 21. n. 13. in fine, *omnia jejunia ſint, ut prædiximus, jure humano inducta, poſſunt, conſuetudine rationabili præſcripta, duriora, vel blandiora fieri. Argumento cap. fin. de conſuetudine, quidquid aliqui dicant.* Unde juxta Franciſcum Sylvium a Brania comitem in Academia duacena regium & ordinarium Profeſſorem, & vice-Cancellarium in 22. q. 147. art. 6. ſerotinæ refectionis quantitas ſic præſcribitur: *Quæ porro quantitas ſumi poſſit, non videtur aliqua regula poſſe definiri, ſed attendenda eſt cujuſque loci, ad quem venitur, conſuetudo, inter bonos communiter obſervata, & ita modice aliquid ſumendum eſt, ut cœnula non vertatur in cœnam, immo nec æquivaleat ei, quod pro jentaculo ſolet accipi.*

XXV. Quoad ciborum autem qualitatem, in cœnula adhibendam, multæ ſunt ſimiliter doctorum ſententiæ, quibus, ne plus æquo inutiliter immoremur, prætermiſſis; quoniam res iſta non ſecus ac de quantitate nuper expoſuimus, non a doctorum opinionibus ſed ab ipſomet intrinſeco inductæ ſerotinæ refectionis fine, ligitima ace- *Serotinæ refectionis qualitas diſcutitur, ac reſolvitur.*

ce-

cedente consuetudine, repeti debet; intrinsecus autem refectionis finis, legitima inductæ consuetudine, non est corpus per delicias nutrire, sed ad somnum capiendum, ad sustentandam in sensu exposito naturam, ne scilicet per serotinam inediam nimis debilitetur, necessitati satisfacere; Inde, quantum ad serotinæ refectionis qualitatem attinet, sic videtur efformanda generalis regula: Illa erit ciborum qualitas, in serotina refectione probanda, quæ non ad nutriendum corpus, deliciasve præstandas, sed quæ ad illud, ne per inediam nimis debilitetur, sustentandum, ordinatur. Et viceversa: Illa erit reprobanda, ac damnanda ciborum qualitas, quæ corpori delicias afferat., nimis nutriat, ac sustentet. A serotina proinde refectione excludi omnino debent nedum carnes, verum & quæ ex carne sementinam ducunt originem, uti sunt, ova, & lacticinia; quin immo, licet pisces, aliique esuriales cibi in jejuniorum diebus in comestione non prohibeantur, si tamen eorum talis sit cum qualitate quantitas, etsi intra quantitatis limites, in refectione permissæ, vel tali modo condita, ut nedum naturam sustentare valeat, ne debilitetur, verum & nimis nutritiva sit; nec non & corpori tales afferat delicias, ut jejunium non sentiat, reprobanda omnino est, nec ullatenus sequenda consuetudo. Et quia, ne corpus nimis debilitetur, pro regionum varietate, variisque personarum, complexionibus, non eadem ciborum qualitas sufficeret; inde pensatis regionum qualitalibus populorumque complexionibus, etiam ciborum qualitas, quantum ad particulares rationes attinet, in refectione adhibenda, metiri debet; dummodo non deliciæ, neque corporis quæratur nutrimentum, sed ne per aliam refectionis qualitatem nimis debilitetur, ejus tantum

tum necessitati satisfieri attendi debet. Nescio autem, quomodo Daniel Concina de qualitate collationis serotinæ n. 13. dicat: *Nihil ex piscibus sive recentibus, sive aceto, sive sale maciatis sumendum cum communi Theologorum consensu statuo*. Cum id sub universali, sic proposita ratione, sit omnino falsum. Nec verum est esse communem Theologorum consensum, nisi de quantitate, & qualitate nimis nutritiva, vel quæ delicias asserat, in sensu exposito. Quoad panem autem in serotina refectione adhibendum, ejus usus, parva servata quantitate, licitus esse hoc nostro sæculo communiter reputatur; Dummodo tota permissa in serotina refectione quantitas solus panis non sit, quia nimis nutritivus. Unde Sylvius a Brania comes loc. cit. quoad ciborum qualitatem, in serotina refectione adhibendam, sic procedit: *Similiter etiam consuetudini standum est quantum ad qualitatem ejus, quod pro collatione sumitur, modicum panis accipere, vel seorsim, vel una cum fructibus, herbis, aliisque cibis levioribus, cujusmodi sunt ficus, uvæ, nuces, poma, vel alia ex saccharo condita*. Et subdit: *Imo & aliquid casei, vel butyri, ubi ita consuetudo obtinuit, non est illicitum; potest enim consuetudo legem aliquam mitigare, & eam consuetudinem licitum est observare*. Quoad hoc autem relate scilicet ad butyri, vel casei consuetudinem non absolute Sylvii opinioni videtur acquiescendum. Cum enim consuetudo, jejunii naturam in sua substantia lædens, sit potius corruptela, & non sequenda; inde Sylvii opinio probanda non videtur, si talis sit regionum qualitas, ac personarum complexio, ut parum butyri, vel casei necessarium non sit, ne debilitetur corpus, sed ad nutriendum potius, vel ad delicias, ne jejunium sentiatur, adhiberi soleat.

Se-

Secus vero si spectata regionum qualitate, ac populorum complexione pensata, ad naturam sustentandam, ne nimis debilitetur, ea licet parva butyri, vel casei quantitas necessaria judicetur.

Serotinæ refectionis hora declaratur, ac resolvitur.

XXVI. Refectionis autem hora, elapsis crepusculis, apta reputatur; ac dummodo post solis occasum a finitis crepusculis ad mediam usque noctem peragatur, non videtur reprobanda; non quod a finitis crepusculis ad mediam usque noctem pertrahi possit, quasi nempe licitum sit, eadem quantitatis, qualitatisque servata ciborum mensura, passim, ac per eorum frustilla a finitis solis crepusculis refectionem incipere, eamdemque quantitatem, haud excedentem, ad mediam usque noctem quasi per delicias continuare; sed nostra & omnium mens est exprimere, licitum esse, finitis solis crepusculis, ad mediam usque noctem quocunque, quod intercipitur, tempore illam incipi posse, atque ad breve tempus perfici: qui certe usus consuetudine præsertim accedente, rebrobandus non videtur. Neque mens nostra est, quasi necessarium sit ante mediam noctem illam perficere, dummodo sequens dies jejunio addicta non sit. Cumque serotina refectio post mediam noctem sumpta, si pro die crastina non prohibeatur, ad jejunii, vel abstinentiæ diem non pertineat; inde de serotina refectione post mediam noctem sumpta differere non oportet.

PARS

PARS SECUNDA

DE

REGULIS, AC PRINCIPIIS INQUIRENDÆ VERITATIS

AD MORALIUM QUÆSTIONUM RESOLUTIONES, QUÆ ABSTINENTIARUM, JEJUNIORUMQUE SOLUTIONES, EORUMDEMQUE ORDINEM, AC PRÆLATIONEM, VEL EXEMPTIONEM RESPICIUNT, FACILIUS DIGNOSCENDAS, SPECIALI RATIONE ORDINATIS.

CAPUT I.

De Jejunii solutione ex naturali, divino, humanoque jure procedente.

I. QUoniam jejunii solutio ab ejusdem natura pendet; jejunii autem natura, sub triplici ratione a nobis considerata, ac discussa est, prout scilicet ex naturali, divino, humanoque jure respective procedat; inde ejus solutio uniuscujusque jejunii naturæ apta, triplici quoque modo, tribus paragraphis distincta, discutienda proponitur; in 1. scilicet prout ex naturali jure; in 2. prout ex divino jure; in 3. prout ex humano jure procedat, eam aggredimur explicandam.

§. I.

Jejunii solutio, ex naturali jure procedens, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

II. Jejunii solutionem, ex naturali jure procedentem, declaraturis, id unum sufficere videtur, je- *Tunc jejunium, ex naturali ju-*

re procedens, solvi dicitur, quando ejus modus, ad substantiam pertinens, non servatur.

jejunii nempe naturam, ex naturali jure procedentis, ante oculos objicere; sicque quod ipsum destruere intelligitur, idem & solvere intelligi debet. Diximus autem cap. 1. §. 1. p. 1. jejunium, ex naturali jure procedens, illud esse, quod, nullis legibus præscriptum, ad corporis, animæve sanitatem acquirendam, conservandam, sive augendam; nec non ad mentem elevandam, & ad officia erga deum, ac proximum adimplenda, ex practicæ rationis principio, tanquam ex radice suadetur. Quia igitur ad id obtinendum jejunii modus a natura præscribitur; inde fit, quod, sicuti jejunium, ex naturali jure, ex naturali nempe practicæ rationis principio, tamquam ex radice procedens servari, cap. 4. §. 1. diximus, quando ejus modus, ex ipsamet natura procedens, ad finem consequendum servatur; ita e contra tunc hujusmodi jejunium solvi dicendum erit, quando ejus modus, ex intima natura nobis notus, ad finem consequendum a natura intentus, non servatur. Et quia juxta finium, ac personarum diversitatem diversus jejunandi modus a natura dictatur; inde juxta finium, ac personarum diversitatem non uno, eodemque modo jejunium, a natura intentum solvi dicendum erit.

Jejunii solutio, ex naturali jure procedentis ad praxim explicatur.

III. Si igitur ad corporis sanitatem obtinendam, aut conservandam, sive augendam, natura dictet in uno carnium, in altero piscium abstinentiam; in alio unam suadeat sine ciborum delectu comestionem; in alio, nullo ciborum servato delectu, horam præscribat, sive ad unam, sive ad plures ordinatam comestiones: hujusmodi jejunium tunc solvi dici debet, quando ejus respective modus non servabitur. Ille ergo, cui ad corporis sanitatem obtinendam, conservandam, sive augendam, carnium abstinentiam servare a natura suadetur; tunc hujusmodi jejunium, ex na-

naturali jure procedens, frangere dicitur, si contra naturæ dictamen carnes comederet; secus vero si pisces, lacticinia, ova, &c. ad quorum abstinentiam deficeret naturæ dictamen; sicut & quoad comestionis horam, ejusque multiplicitatem: Ille vero, cui, ad id obtinendum, non carnium, sed piscium abstinentiam natura dictaret, tunc jejunium, ex naturali practicæ rationis principio procedens, frangere diceretur, si pisces comederet, secus vero si carnes, ova, aut lacticinia, vel si comestionem, hora etiam non servata, multiplicaret: Quod siquis, ex naturali jure proveniens, ad unam tantum comestionem dictamen sentiret; pluries comedens, jejunium, sic a natura procedens, frangere dicendus erit, secus vero si carnium, ovorum, lacticiniorum, aut piscium abstinentiam, vel comedendi horam non servaret: Nec absimiliter qui ad aliquod ex prædictis consequendum, ex naturali jure ad determinatam horam cibum sumere constringeretur; tunc hujusmodi jejunandi modum, ex naturæ dictamine procedentem, frangere diceretur, si juxta naturæ dictamen determinatam horam non servaret; secus vero si carnes, ova, lacticinia, aut pisces comederet, comestionesque, servata hora, multiplicaret.

IV. Et quia similiter, ut parte 1. discussimus, jejunium, ex naturali jure tamquam ex radice procedens, etiam ad animæ bonum ordinatur, ac præcipitur; ad concupiscentiam scilicet domandam, ad tentationes superandas, ad mentem elevandam; ad deo satisfaciendum, & ad officia erga deum, ac proximum implenda, ad eum similiter etiam de propriis alendum, vel ad scandalum per ciborum comestionem oriturum impediendum, dictari solet; inde in his, ac similibus tunc jejunium, ex practicæ rationis prin- *Ejusdem solutioni praxis continuatur expositio.*

ci-

cipio procedens frangi diceretur, quando illa conditio, ad jejunium pertinens, a naturali nempe jure ad finem obtinendum, intenta, non servaretur: Quod si ad illud obtinendum plures ex practicæ rationis principio dictarentur conditiones, his non servatis, jejunium, a naturali jure procedens, frangi dicendum erit; Si scilicet non minus una quam alia tamquam medium ad finem existat; secus vero de illa dicendum erit conditione, quæ ad finem consequendum conduceret, ad illum tamen obtinendum, medium non existeret; quod sane multo magis de illis jejunii conditionibus dici debet, quæ ad finem non spectantes, a naturali jure non dictarentur; his proinde non servatis, naturale jejunium, quod ex hypothesi sub ea ratione non dictaretur, frangi quis diceret?

Qui jejunium, ex naturali jure procedens, frangit, a peccato non eximi declaratur.

V. Utrum autem naturale jejunium in sensu exposito frangens, venialem, vel lethalem culpam incurreret, vel nullo modo peccaret, videtur dicendum, nunquam a peccato eximi, qui naturale jejunium in sensu exposito frangeret. Cum enim homo ex naturali jure teneatur corporis, animæque salutem custodire; inde etiam ad media ad id obtinendum, teneri certum est. Si ergo (vide part. 1. cap. 1. §. 1.) jejunium ad corporis, animæve bonum prosequendum, malumve avertendum, a practico naturalis rationis principio tanquam medium dictaretur; inde fit, quod hujusmodi jejunium, ex naturali jure in sensu exposito procedens, non servans, peccaret.

Culpæ discretio in prædicti jejunii, ad corporis bonum ordinati solutione, discussa resolvitur.

VI. Et quia culpæ discretio a necessario bono, vel malo, ad quod prosequendum, vel avertendum, respective naturale jejunium ordinaretur, pensari debet; inde ad definiendum, an venialem, vel lethalem culpam incurreret, qui jejunii conditionem unam, vel plures, a naturali dictamine

ne propositas, non impleret, ipsius naturæ finem, jejunium, sive unam, vel plures conditiones di. ctantis, discutere oportebit. Si enim ad grave corporis malum, mortem e. g. ejusve proximum periculum avertendum sive impediendum, jejunium, sive una, vel plures conditiones a natura dictarentur; & tunc tale jejunium, sive unam, vel plures jejunii conditiones, a naturali jure, a practico scilicet rationis principio propositas, non servans, lethalem culpam incurreret; si scilicet illius jejunii, sive illius, illarumve conditionum custodia ad corporis salutem acquirendam, sive conservandam necessarium existeret medium. Quod si non ad corporis salutem conservandam, sive acquirendam, sed ad illam augendam, a naturali jure dictaretur jejunium, vel una, aut plures conditiones; & tunc hujusmodi jejunium, sive unam, vel plures conditiones, a naturali practicæ rationis principio, tamquam ex radice propositas, non servans, lethalem culpam incurrere non videtur.

Culpæ discretio in prædicti jejunii, ad animæ bonum ordinati, solutione discussa resolvitur.

VII. Eodem prorsus argumento quoad animæ salutem procedendum est. Si enim jejunium, sive una, aut plures jejunii conditiones, ad animæ vitam acquirendam, conservandamve, ad peccatum scilicet, ejusve proximum periculum vitandum, sive impediendum; vel ad sanctificantem gratiam, vel aliud supernaturale, ac necessarium bonum prosequendum, conservandumve, a naturali jure, a naturali scilicet practicæ rationis principio tamquam ex radice quasi necessarium medium, ad finem consequendum, dictarentur; & tunc hujusmodi jejunium, sive unam, vel plures jejunii conditiones, ad grave peccatum avertendum, sive impediendum, sive ad sanctificantem gratiam conservandam, sive ad supernaturale necessarium bonum prosequendum, tamquam

quam medium necessarium existens, non servans, lethalem culpam incurreret. Quod si hujusmodi jejunii, sive unius, vel plurium jejunii conditionum custodia, a naturali jure in sensu exposito procedens, non ad grave animæ malum avertendum, neque ad necessarium bonum prosequendum, sed solum ad majus animæ bonum sibi non necessarium acquirendum, a practico rationis principio, tamquam ex radice dictaretur; & tunc hujusmodi jejunium, sive unam, vel plures jejunii conditiones, a naturali jure procedentes, in sensu exposito frangens, lethalem culpam incurrere non videtur; nisi forte interveniente contemptu. Etsi autem in utroque casu, sive scilicet ad corporis, sive ad animæ majorem utilitatem, a naturali Jure in sensu exposito, ordinato jejunio, hoc non servans, lethalem culpam non incurreret; venialem tamen non videtur effugere, si, eo non servato, detrimenti aliquid corpus, vel anima pateretur; forte autem nullam, si ex jejunii, sive ex unius, vel plurimum jejunii conditionum fractione nullum corporis, animæque detrimentum sequeretur: nec absimiliter discurrendum, si jejunium, sive una, vel plures jejunii conditiones ad mentem elevandam, ad deo satisfaciendum, sive ad officia erga ipsum, ac proximum adimplenda, a naturali jure, seu a naturali practicæ rationis principio tanquam ex radice quasi medium dictarentur; ex hujusmodi enim jejunii sive unius, vel plurimum conditionum solutione nullam, sive venialem, aut lethalem culpam contrahi ex eo pendet, utrum scilicet jejunium, sive una, vel plures jejunii conditiones, ad non necessarium, vel omnino necessarium bonum, vel malum, acquirendum, sive conservandum, vel avertendum, sive impediendum respective, tamquam medium ordinatæ, a na-

naturali practicæ rationis principio dictarentur.

VIII. Ne autem ab ignaris corripiamur, quasi naturæ jejunium, secundum se consideratum, ignoremus, mentem nostram explicare judicamus: hic scilicet, & in toto hoc opere sermonem non esse, neque fuisse de naturæ jejunio, prout secundum se, accipi solet, quoad omnimodam scilicet cujuscunque cibi, vel potus abstinentiam, ut ante Eucharistiæ sumptionem ab Ecclesia præcipitur, & per quamcunque, & sub quacunque parva, vel cibi sive potus quantitate frangitur; sed de jejunio, quod a naturali jure, a naturali scilicet practicæ rationis principio, tamquam ex radice in sensu exposito, ad corporis, animæve bonum prosequendum, vel malum avertendum tanquam medium dictaretur. De quo naturali jejunio sermo procedat, aperitur.

§. II.

Jejunii solutio, ex divino jure procedens, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

IX. Explicatis superiori §. quæ ad jejunii solutionem, ex naturali practicæ rationis principio tanquam ex radice, procedentis, pertinent; in hoc §. jejunii solutionem, ex divino jure procedentis, explicandum suscipimus. Et quia ex divino jure jejunium per votum, vel juramentum sive simplex, sive solemne, aut publicum; vel per religiosam professionem procedit; Votum autem, vel juramentum sive simplex sive solemne, aut publicum, sive religiosa professio eo modo obligant, quo voluntas cum deo constringitur; inde fit, quod tunc jejunium ex divino jure, sub quacunque ratione procedens, frangi dicitur, quando una vel plures jejunii conditiones, deo promissæ, non servantur. Unde qui Tunc jejunium, ex divino jure procedens, solvi dicitur, cum substantialis ejus modus, ex voto, vel juramento, sive ex divino præcepto assumptus, vel indictus, respective non servatur.

per

per votum, vel juramentum, ſive ſimplex ſive ſolemne, aut publicum, ſive per religioſam profeſſionem ad carnium, ſecus vero ad ovorum, vel lacticiniorum, aut piſcium abſtinentiam, vel ad unicam comeſtionem, aut ad determinatam horam ex fidelitate, vel reverentia, ex voto ſcilicet, vel juramento cum deo obligaretur; tunc carnes comedens, jejunium, ex divino jure in ſenſu expoſito procedens, frangeret, ſecus vero ſi ova, ac lacticinia, vel piſces comederet, aut unicam comeſtionem, ſive comeſtionis horam non ſervaret: Idem dicendum, ſi ſolum ad ovorum, vel lacticiniorum, aut piſcium abſtinentiam ex divino jure obligaretur; tunc enim hæc comedens, ſecus vero, ſi carnes comederet, vel horam non ſervaret, jejunium, ex divino jure procedens, frangeret: Quod ſi non ad ciborum delectum, ſed ad unicam comeſtionem, ſive ad determinatam horam obligaretur; tunc plus quam ſemel comedens, vel horam non ſervans, jejunium, ex divino jure procedens frangere diceretur; ſecus vero, ſi ciborum delectum non ſervaret. Quod ſi ex fidelitate, vel ex reverentia, ex voto ſcilicet, vel juramento ad omnes jejunii conditiones cum deo obligaretur, vel unam non ſervans, jejunium contra jus divinum frangere dicendus eſſet. Non abſimiliter diſcurrendum: ſi deus jejunium alicui præciperet, vel de eo legem ferret; tunc enim frangi diceretur jejunium, ex poſitivo divino præcepto impoſitum, ſi una, vel plures, a deo præſcriptæ conditiones non ſervarentur.

Culpæ diſcretio in prædicti jejunii ſolutione, ex divino jure ſub qua-

X. Ad inquirendum autem qualem culpam incurreret illud frangens, rem altius, ac per diſcretionem diſcutere oportet. Et certe ſi ſermo ſit de jejunio, a deo præcepto; tunc ſi deus illud ſub ſpeciali gravi præcepto alicui indiceret, vel de

de eo legem, ſub gravi ſimiliter obligantem ferret, tunc illud non ſervans, lethalem culpam incurreret. Quod ſi adhuc ſub gravi divino præcepto, vel obligante lege quocunque modo adſtrictus, jejunium quidem quoad ſubſtantiam ſervaret, ſecundum quid autem frangeret, venialem culpam excedere non videtur. Cum enim in jejunio plura interveniant, ciborum nempe delectus, & unica comeſtio, hora debita peragenda; & in ſingulis hiſce (obſerva, quæ infra n. 37. ad 55. 71. ad 84. 89. 93. ad 100. 102. ad 105. diſcutiuntur) jejunii conditionibus materiæ parvitas dari poſſit; inde fit, quod etiamſi ſub gravi ad jejunium ex divino jure in ſenſu expoſito obligaretur, ſecundum quid tamen illud frangens, ut eſſet, ſi in comeſtione, hora debita facienda, parum quid prohibiti cibi adjungeret; vel extra comeſtionem parum permiſſi cibi ſumeret; vel parum quid ante horam, debitam comeſtionem inciperet, venialem culpam excedere non videtur. Licet enim ſub gravi præcepto totum jejunium caderet; quia tamen parum quid a totalitate deficere jejunii ſubſtantiam non tolleret; inde parum quid aſſumptum, vel ex divino jure præceptum jejunium transgrediens, lethalem culpam incurrere non videtur. Quod ſi nedum ad jejunium ſecundum ſe, & ad ſingulas ejus partes, & conditiones, verum & ad omnimodam integritatem ſub gravi ex divino jure in ſenſu expoſito obligaretur, tunc ſub quacunque materiæ parvitate, ſive quoad ciborum delectum, ſive quoad unicam comeſtionem, ſive quoad horam illud frangens, lethalem culpam certiſſime incurreret. Si vero deus ſub veniali culpa illud indiceret, vel præciperet, tunc quoad omnes partes, & quoad omnes totalitates illud non ſervans, venialem culpam non

cunque ratione procedentis, diſcutitur, ac reſolvitur.

Q ex-

excederet, ut patet, a qua etiam excusari videtur, si per materiæ parvitatem illud, dempto contemptu, non servaret.

Incœpta culpæ discretio sub alia ratione extensa, continuatur, & concluditur

XI. Non absimili argumento videtur dicendum quoad jejunium, ex voto, vel juramento simplici, vel solemni, aut publico, sive ex religiosa professione procedens. Illud enim secundum se totum non servans, lethalem culpam certissime incurreret; illud autem per parvitatem non servans, venialem culpam in sensu supra exposito non videtur excedere. Licet enim per votum, vel juramentum simplex, vel solemne, aut publicum, vel per religiosam professionem sub gravi adstrictus existat vovens, vel jurans; quia tamen gravis illa obligatio non quocunque modo, sed sub jejunio secundum suam totalitatem cadit; inde illud secundum quid, quod jejunii substantiam minime tolleret, non servans, non lethalem, sed venialem tantum culpam in sensu exposito videtur incurrere. Quod si ex voto, vel juramento simplici, vel solemni, seu publico sive ex religiosa professione contracta obligatio non jejunium secundum se, nec secundum suam totalitatem tantum, sed omnimodam ejus integritatem respiceret; tunc per quamcunque parvitatem illud frangens, lethalem culpam incurreret; tunc enim sic posita obligatione, totum obligationis pondus nedum in jejunium, singulasque ejus conditiones secundum se, verum & in omnimodam ejus, earumque integritatem servandam caderet; ac proinde illud vel quoad parvitatem transgrediens voti, vel juramenti, sive religiosæ professionis transgressor existens, lethalem culpam incurreret. Quod si voventis, vel jurantis, sive profitentis mens non ad gravem, sed ad levem tantum sese obstrinxerit obligationem; tunc jejunium, ejusque non ser-

servans conditiones, venialem culpam non excederet, a qua per materiæ parvitatem illud non servans, non secus ac supra diximus, excusari videtur.

§. III.

Jejunii solutio, ex humano jure procedens, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

XII. Quomodo jejunii solutio, ex naturali, divinoque jure procedens, consideranda sit, superioribus §.§. observavimus; nunc vero quomodo jejunii solutio ex humano jure contingat, agendum proponimus. Et quia jejunii solutio, ex humano jure procedens, sive secundum meritum, sive secundum præceptum quoad unam, vel plures conditiones, ac sub ratione peccati, vel non, considerari poterit; idcirco jejunii solutionem ex humano jure discussuri, eam sub quavis ratione discutiendam aggredimur. Quoniam item jejunii solutio, qua talis, non nisi per non servatam ejus essentiam contingit, sub qua ratione comestionis notio plurimum valet; idcirco recta methodus postulat comestionem prius explicare quid sit, ad ea deinde discutienda progredi, quæ proposita sunt.

Quid in hoc paragrapho acturi sumus aperitur.

XIII. Ex Angelico autem 1. p. q. 51. art. 3. ad 5. *Comestio importat sumptionem cibi convertibilis in substantiam comedentis.* Unde, licet neque Christus post Resurrectionem comedens, neque Angelus Tobiæ socius manducans, in suam substantiam cibum converterint; Christus tamen cum Apostolis post Resurrectionem comedisse dicitur, secus vero Angelus. Ad explicandam autem Ecclesiastici jejunii solutionem, dicutere placet, an ciborum delectus magis, quam unica comestio principalius ab Ecclesia præcipiatur?

Comestionis notione discussa, jejunii essentiam in ciborum delectu consistere ex quorumdam doctorum placitis proponitur.

tur? Et fane Joannes a Turrecremata in edit. Veneta an.1578.in Ecclesiæ jejuniis potius *a quali* abstinendum censet; unde post objectas difficultates de consecr. dist. 5. verb. *Non dico* sic habet· *Respondeo dicendum, quod judicare de hujusmodi abstinentia dupliciter possumus, aut secundum legem institutionis Ecclesiæ, aut secundum legem virtutis, quæ est sobrietas: secundum constitutionem Ecclesiasticam magis videtur abstinendum a quali, sive a delectatione ciborum*, quia nimirum transgrediendi præceptum ex naturæ indigentia, relate scilicet ad ciborum qualitatem, qua natura sustentari indiget, *est minus periculum, & judicium certius, & commodum majus: Periculum quidem minus, quia quantum ad sustentationem naturæ, & nutrimentum, non refert cujusmodi sumantur alimenta, dummodo natura sustentetur. Item judicium est certius, quia non potuit judicare Ecclesia, quantum debet sufficere civiliter*, respectu scilicet uniuscujusque civis, seu personæ, *quia quod parum est uni, multum est alii: sed circa qualitatem certitudinaliter potuit diffinire, dicendo talia cibaria non esse sumenda tali tempore: Item commodum majus est abstinere a quali, quam a quanto, tum quia circa magis delectabilia majores fiunt expensæ, quæ magis erogandæ essent pauperibus, quam in delectationibus exponendæ; tum quia plus sustentantur pauperes de residuo quanti, quam de residuo delectabilis; nec est curandum dare pauperibus delectabilia, imo malum est, sed danda est eis sustentatio; idcirco videtur esse dicendum propter istas rationes, quod secundum constitutionem Ecclesiasticam magis abstinendum est a quali, quam a quanto.*

Prædictam Turrecrematæ opi-

XIV. Licet autem, prædicta ratiocinatio, ab intrinsecis petita ferendarum legum rationibus, al-

altissima sit, & acuta, ac minime contemnenda, in quantum scilicet ita lex ferri debet, ut ab omnibus æque servetur; quod etiam ad præsens attinet, apud omnes *in quanto*, in unica nempe comestione æque cadere non potest; æque autem quoad omnes cadere potest *in quali*, scilicet in delectu ciborum, in carnium nempe abstinentia: quoad praxim tamen, salva tanti doctoris auctoritate, res ista non per theoreticas, sed per practicas rationes, ex Ecclesiæ mente deductas, discutienda est: Quæ autem ab Emo assignantur rationes, non Ecclesiæ menti, sed ipsius Emi judicio inniti videntur. Prætereo verum non esse, quod asserit, si scilicet jejunii essentia in ciborum delectu, in carnium scilicet abstinentia potius quam in unica comestione ponatur, *minus* esse *periculum* illud nempe transgrediendi; *judicium certius*, in discutienda scilicet, vel sequenda, seu servanda respectu uniuscujusque personæ Ecclesiæ prohibitione; & *commodum majus*. Si enim *minus* est transgressionis *periculum*, quoad ciborum nempe delectum, respectu pauperum, majus est respectu divitum; Ecclesia autem potius divites, quam pauperes ad jejunia adstringit: quod autem in ciborum abstinentia jejunii essentia constituta, *judicium* sit *certius*, in sensu Emi certum est; id autem ad probandum quoad præsens fundamentalis ratio non videtur, cum hujusmodi ratio potius ex suo judicio, quam ex Ecclesiæ mente deducatur: nec probandum videtur *commodum* esse *majus*, si in delectu ciborum potius, quam in unica comestione jejunii essentia constituatur; si enim aliquando *majus* est *commodum* respectu pauperum, ab his nempe, illisve cibis abstinere, respectu autem reliquorum qui non ex crumena, sed ex ventre incommodum metiuntur, ciborum delectus seu carnium abstinentia *majus commodum* non

nionem firmissimis rationibus quoad præcepti praxim non subsistere, demonstramus.

non est. Cum igitur *major judicii certitudo* non ex Ecclesiæ mente, sed ex proprio judicio pro fundamento ad id probandum, ab Emo assignetur; *minus* autem *periculum*, *& majus commodum* pro divitibus non militet in ciborum delectu jejunii essentiam constituere, & Ecclesia potius divites, quam pauperes ad jejunium obligare intendat; cum item jejunii lex ad populum ordinetur, pauperes autem tamquam minima pars, & ut plurimum excusati ab Ecclesia considerentur; inde a primo ad ultimum fundamenta ab Emo assignata, ad probandum Ecclesiæ jejunium in ciborum delectu præcipue consistere, ex *minori periculo* ex *certiori judicio*, atque ex *majori commodo* deducta in sensu explicato, ex proprio hujus Emi judicio potius, quam ex Ecclesiæ mente deduci videntur.

Quatenus sub ratione virtutis temperantiæ potius qualitas, quam quantitas intelligitur; inde Turrecrematæ sententia sub ratione temperantiæ a vero non distare videtur.

XV. A vero autem non longe distare videtur id, quod idem Emus doctor immediate subjungit, dicens: *Secundum autem legem virtutis sobrietatis distinguendum est de quali, & de quanto. Quoniam aut quæritur de quali, & de quanto illicito, aut licito: In illicitis magis est abstinendum a quali, quam a quanto; unde majus peccatum est tempore jejunii comedere unum morsellum carnis*, carnis nempe portiunculam, *quam comedere multum de licitis. Si autem loqueretur de quali, & quanto licito, tunc videtur, quod non sit dare regulam generalem, nec potuit determinare Ecclesia, a quo magis esset abstinendum, quia aliqui plus delectantur in quanto, sunt enim aliqui ita edaces, quod non quærant, nisi superfluitatem; aliqui vero magis delectantur in bono, & sufficit eis parum, dummodo sit delectabile, & suave; unde magis delectantur in suavitate ciborum, quam pluralitate. Et ideo illis, qui proniores sunt ad edacitatem, magis virtus est abstinere a quanto;* illis

illis vero, qui plus delectantur in suavitate, major virtus est abstinere a quali.

XVI. Id ipsum autem discutere volens Emus Caetanus 22. q. 147. art. 8. §. *Ad hoc dicitur,* sic ratiocinatur: *Ad hoc dicitur, quod, quia consuetudo est optima legum interpres; & communiter in populi christiani observatione invenitur, quod dispensati ex impotentia evidenti ab abstinentia carnium, sunt totaliter absoluti a praecepto jejunii*, ab unica scilicet comestione, *potentes vero abstinere a carnibus, non potentes autem abstinere ab ovis, aut a lacticiniis, non absolvuntur a praecepto jejunii*; ab unica scilicet comestione: *Et rursus potentes abstinere ab his omnibus, sed impotentes ad servandam unicam comestionem, liberantur a jejunio solum*, ab unica scilicet comestione, *& non ab abstinentia prohibitorum* in *Quadragesima; nam in aliis jejuniis quoad usum ovorum, & lacticiniorum statur consuetudini loci; ideo dicendum, quod tam jejunantes*, unicam scilicet cum ciborum delectu servare potentes in die jejunii comestionem, *quam non jejunantes*, qui scilicet in sensu Caetani ciborum delectum servare potentes, unicam tamen comestionem servare non possunt, *tenentur ad abstinentiam a cibis prohibitis, consuetudine praeceptum Ecclesiae sic interpretante: Et eadem ratione parvulis pueris dantur licite ova, vel carnes juxta patriae consuetudinem in quadragesima.* Miror autem, quomodo doctor ille rotunde dicat: *communiter in populi Christiani observatione invenitur, quod dispensati ex impotentia evidenti ab abstinentia carnium, sunt totaliter absoluti a praecepto jejunii*, cum id falsum sit, ut etiam ex doctoribus constat; multi siquidem id asserebant, sed multi alii, & quidem graviores theologi, id ex theologicis regulis discutientes, contrarium sentiebant. Unde Pontifex

Caetani opinio in eo, quod refert, falsa declaratur.

fex Maximus Clemens XI. licet non minus pietate, quam doctrina præclarus, singulari tamen & admiranda prudentia in sua elargienda dispensatione excellentiores hujus Almæ Urbis theologos consulens, plures invenit, suæ sententiæ faventes, quos inter P. Marchetti Romani collegii hujus Urbis Rector, nedum ipse Pontificis menti adhærens, verum & dissertationem SSmo obtulit, in qua sexaginta auctores allegavit, qui cum esu carnium posse jejunium conjungi sustinerent. Et certe contrarium asserere, omnes nempe sustinuisse, aut sustinere dispensatos a carne, esse a jejunio dispensatos, plana ignorantia est, corruptela est, temeritas est: *ignorantia* quidem; quia, cum præceptum hoc, ciborum nempe delectus, & unica comestio, apto tempore facienda, divisibile sit, unum sine altero subsistere potest: Est autem *corruptela*; quia ad laxitatem inducens, non aliud habet fundamentum, nisi illorum judicium, qui suas doctrinas ex firmioribus principiis minime deducentes, inter theologos adnumerari non videntur: Est etiam *temeritas*; quia quatenus contra summorum Pontificum decreta ac sensum existit, omnimodam amisit probabilitatem. Neque in hoc illos lædere intendimus, theologos non esse asserentes. Theologi enim non sunt, qui de re theologica loquuntur, aut sentiunt; secus enim etiam mulierculæ, & idiotæ theologicam doctrinam recitantes, vel gentiles, quos inter M. T. Cicero, de natura deorum disserens, theologi dicendi essent; sed qui suas conclusiones, ex catholicis principiis directe, vel indirecte deducunt, hi theologorum nomine decorari debent; quod illi minimi facientes, sed suo judicio fidentes, theologi non dignoscuntur. Ac proinde qui ex moralistis suas doctrinas ex catholicis principiis non deducunt,

non

non majoris ferme auctoritatis rem faciunt, ac si eorum quilibet tamquam ex proprio judicio de re theologica loqueretur; neque proinde sub illorum cœtu considerandi sunt, quorum consensu, quatenus theologorum, magni in Ecclesia faciendus sit.

XVII. Per alios vero potius in unica comestione, quam in ciborum delectu jejunii essentia principalius reponenda est. Unde per hujusmodi nec paucos, nec contemnendæ auctoritatis theologos potius a quanto, quam a quali abstinendum; quod certe, præterquamquod solidioribus rationibus innitatur, verisimilitudinibus nec caret. Enim vero adeo verisimilius est, jejunii essentiam non in carnium abstinentia, scilicet non in ciborum delectu, sed in unica comestione principalius consistere, ut, qui diebus dominicis in Quadragesima, vel per annum in feria sexta, vel sabbato, vel aliis quibuscunque diebus a carnibus abstinet, ciborum nempe delectum servat, esurialibus utens cibis, jejunare minime dicatur, nisi cum carnium abstinentia, seu cum ciborum delectu, esurialibus utens, unicam servet comestionem. Quin & Pontifices in singulis quadragesimæ feriis jejunare præcipientes, dominicis autem diebus, etsi carnium servata abstinentia, sive per esurialium ciborum usum, servato delectu, non jejunari declarant. Et Græci in sabbatis, & dominicis diebus in quadragesima ciborum delectum servantes, secus vero unicam comestionem, in his diebus jejunare non dicuntur. Jejunium ergo nedum in privatorum nec paucorum, neque contemnendæ auctoritatis theologorum existimatione, verum & juxta Pontificum, & Ecclesiæ mentem in unica comestione quoad essentiam videtur consistere. Unde Alexander VII. propter pestem, quæ in urbe sæviebat, facultatem

Jejunii essentiam in unica comestione consistere veluti tenenda sententia, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

fa-

faciens diebus dominicis, feria 2. 3. & 5. in Quadragesima ova, & lacticinia cum carnibus comedendi, tamen subdit: *Ad ultimas autem tres dies, quod attinet*, eo quod scilicet in majori hebdomada in illis feriis dispensare noluit, in ultimis tamen dispensationis diebus, scilicet feria 5. *6.* & sabbato ante Palmas carnium esum permittens, in edicto addere jussit. *Etiam si carnium esum concedat, neminem tamen jejunii lege solvere intendit: quin imo vult, ut lex ista salva, & incolumis remaneat, quemadmodum in quadragesimalibus cibis feriæ quartæ, feriæ sextæ, & sabbati remanet*; scilicet quemadmodum in reliquis anterioribus ejusdem quadragesimæ hebdomadis, in diebus, in quibus ciborum delectus non dispensabatur; ita etiam in his feriis 5. *6.* & sabbato ante Palmas, etsi carnium permisso esu in comestione, ad jejunium obligationem remanere declarat. Per Alexandrum ergo VII. jejunii lex servanda dicitur, & salva consistere dicitur, nedum quando carnium esus non dispensabatur, verum etiam, & quando dispensabatur. Per prædictum ergo Pontificem unicam servans comestionem, etiam non servato ciborum delectu, jejunare dicitur: contra vero, ut supra diximus, unicam non servans comestionem, etsi ciborum servato delectu, non jejunare reputatur. Jejunium ergo juxta Pontificis mentem, directe, ac principaliter in unica comestione videtur consistere. Et Clemens XI. an. 1703. carnium esum, certis assignatis præscriptionibus, concedens, subdit: *Cujus jejunii legi etiam illi subjecti sunt, qui carnes ea ratione comedunt, quod cibus esurialis nocuus illis sit*. Si ergo per Clementem XI. carnes comedens, jejunii legem servare tenebatur, signum est, quod per eumdem Pontificem unica comestio principalius in jejunio considerabatur; secus enim nec

nec jejunare diceretur; contra vero siqui sive cum culpa, sive sine culpa unicam non servant comestionem, licet a carnibus abstinentes, ciborum nempe delectum servantes, jejunare non dicuntur.

XVIII. Quin immo & ipsemet Caetanus supra num. 16. relatus, ex ingenii acumine sibi met minus constans, 22. q. 147. art. 8. apposite sic habet: *Unica comestio est essentialior jejunio, utpote a principio jejunii instituta in veteri testamento, in quo usque ad vesperum affligendum hominem jejunio statutum est. Nullus autem cibus vespere prohibitus erat*. Quibus in verbis etsi jejunii essentiam in unica comestione potius, quam in ciborum delectu constituens, damnabilis non sit; in eo tamen longe aberrare dignoscitur, quod temere, & absque discretione asserit dicens: *Nullus autem cibus vespere prohibitus erat*; quasi scilicet jejunia veteris legis per unicam tantum comestionem ad vesperas sine ciborum delectu servata fuerint: quod, etsi de aliquibus jejuniis in præliorum occasione, vel non absimili necessitate verum sit; falsum tamen esse de omnibus in veteri lege præscriptis jejuniis intelligi debere sapientes omnes, & sacræ historiæ periti satis norunt. Nec mirum, si inconstantiæ illum arguerim; cum auctor iste proprio fisus ingenio, multa parum digesta congerere ut plurimum soleat. Et Richardus de Mediavilla in 4. dist. 15. art. 3. q. 5. *Jejunio*, ait, *Ecclesiæ annexa est abstinentia ab esu carnium*; Ecclesia scilicet jejunii essentiam principalius in unica comestione, quam in ciborum delectu per Richardum constituit. Et magnus Abulensis in cap. 6. Matt. q. 173. *Ad jejunandum*, inquit, *requiruntur illa, quibus, non existentibus, jejunium solvitur. Primum istorum est semel tantum comedere, quia istud est, quod principaliter Ecclesia intendit... Secundum est, quod abstineatur a carnibus*.

Assignata solutio confirmatur.

XIX.

Aliquorum hallucinatione detecta, & confutata, tenenda sententia quoad jejunii essentiam ulterius declaratur.

XIX. Unde apparet non paucorum hallucinatio, tenendam sententiam insectantium, ac mordicus sustinere conantium, jejunii essentiam in carnium abstinentia ita consistere, ut eam non servans carnium abstinentiam, nec ad unicam teneatur servandam comestionem: dic potius; jejunii essentiam moraliter considerandam esse, sicque consideratam, ex duobus coalescere, ex unica scilicet comestione, apto tempore facienda, & ex carnium abstinentia, sive ex ciborum delectu; quorum licet utrumque ad jejunii integritatem necessarium sit, minus tamen principaliter carnium abstinentia, seu ciborum delectus, quam unica comestio consideranda est. Et quatenus non ad methaphysicam, vel physicam, sed ad moralem tantum essentiam, quæ divisibilis est, constituendam, utrumque concurrit; inde unum sine altero stare posse dici debet: Non secus ac de divino cultu festivis diebus deo præstando; qui, etsi quoad suam integritatem in religionis actibus, & laboris abstinentia consistat, quia tamen nec metaphysice, nec physice connectuntur; quin immo non religio propter laboris abstinentiam, sed laboris abstinentia propter religionem, ne scilicet religionis actus impediantur, præcipitur; inde religionis actus principalius, quam laboris abstinentia in festivis diebus intelligi debent: Et quatenus unum ab alio divisibile est; idcirco ad laborem adstrictus, seu a laboris abstinentia exemptus, vel dispensatus, a religionis actibus non eximi, nec dispensari intelligitur; ac similiter religionis actus, ab Ecclesia præscriptos servare impeditus, a laboris abstinentia eximi, vel dispensari non intelligitur. Non absimili ratione quoad præsens discurrendum erit: jejunium quidem ex duobus constat, ex ciborum nempe delectu; & unica comestione, apto

tempore facienda; principalius tamen ut num. 17. discussimus, in unica comestione consistit; ad finem autem jejunii implendum, etiam carnium abstinentia, quantum scilicet ad integram jejunii perfectionem pertinet, adjungi debet.

XX. Nec mirum, si jejunii essentiam secundum suam integritatem in unica comestione, ciborumque delectu constituentes, unum tamen principalius, quam alteram constitutivum declaramus. Si enim in metaphysicis essentiis, e. g. in metaphysica hominis essentia, etsi animalitas, & rationalitas inseparabiles, & indivisibiles sint; sub principaliori tamen ratione consideratur homo rationalis, quam animalis, adeoque principalius consideratur rationalitas, quam animalitas: Si item in composito physico etsi anima, corpus, & unio requirantur, quorum vel uno deficiente constitutivo, physicum illud compositum deficere, necesse sit; tamquam principalius tamen consideratur anima, quam corpus, vel unio: quanto magis de morali composito valere dicendum est, in quo, etsi omnes illius partes ad integram illius moralis compositi perfectionem requirantur, non tamen omnes æque principales existant, ut in præsentiarum contingit. Licet igitur ad integram jejunii perfectionem nedum unica comestio, verum & ciborum delectus requiratur, spectata tamen secundum se jejunii natura, unicam comestionem principalius, quam ciborum delectum intelligi debere ex præjactis supra principiis dicendum est. Et quia hæc, utpote in morali composito, nedum distincta, verum & divisibilia sunt; inde ciborum delectus, sine unica comestione, & una comestio sine ciborum delectu etiam ex Ecclesiæ mente subsistere poterit. Cum hoc tamen, quod ciborum delectum servans, unicam vero non ser-

Quæ dicta sunt ulterius explicantur, & confirmantur.

servans comestionem, neque cum perfectione, neque ullo modo jejunare, sed tantum abstinere, seu ciborum delectum servare dicitur; ciborum vero delectum non servans, unicam vero servans comestionem, etsi cum minori perfectione, jejunare tamen dicendus est. Unde clarissime dignoscitur, quam immerito dicant aliqui, quasi verum assecuti, quod omnes auctores, nemine refragante, docuerint, abstinentiam a carnibus, seu ciborum delectum ita præcipuam esse jejunii materiem, ut, ea deficiente carnium abstinentia, cesset quoque ad unicam comestionem obligatio.

Assignatæ discretionis rationem incohærenter ab aliquibus ad praxim aplicari declaratur.

XXI. Licet autem aliquibus non inutilis videatur quæstio, utrum scilicet in unica comestione, an in carnium abstinentia, seu ciborum delectu jejunii essentia principalius consistat; incohærenter tamen ad praxim applicant: putant enim, quod sive ex dispensatione, sive ex malitia ejus essentia, seu principalior pars destruatur, & jejunium similiter destruitur; ita ut qui in unica comestione jejunii essentiam ponunt, secunda comestione posita, ad jejunium obligationem cessare affirment, etsi cæteroquin ad abstinentiam, ad ciborum nempe delectum teneri concedant, non quatenus ad jejunium, si per secundam comestionem solutum ponatur, sed quatenus ad abstinentiæ præceptum perseverat obligatio: qui vero in carnium abstinentia, seu in ciborum delectu jejunii essentiam principalius ponunt, fracto per carnium comestionem jejunio, ad unicam comestionem obligationem quoque cessare confirmant. At bona horum doctorum pace, non oportet in moralibus eo modo procedere, sicut in physicis, vel metaphysicis, in physicis quidem verum est uno extremo destructo, & totum compositum destrui necesse esse; sicut unio-

nione deficiente, destruitur hominis essentia physica, licet ambo extrema remaneant corpus nempe, & anima; Et in metaphysicis, quorum essentia, licet per rationem divisibilis sit, ac distincta, ut animal, & rationale in homine, secundum se tamen indivisibilis est; ita ut animali destructo per hominis mortem, & rationale destrui necesse sit, quatenus homo est; non enim anima, a corpore separata, etsi rationalis perseveret, homo est, cum animal rationale amplius non sit. In compositis autem moralibus semper, & in quocunque casu eorum essentia nedum distincta, verum & divisibilis perseverat, ut in jejunio contingit, nedum quatenus unica comestio secundum se a ciborum delectu divisibilis est, verum &, juxta præcipientis mentem, ex cujus dispositione positivi juris jejuniorum norma procedit, ut in superioribus innotescit, & ex pluribus decisionibus demonstravimus, cum carnium comestione, seu non servato ciborum delectu, ad jejunium; ad unam nempe comestionem obligatio subsistit; & vicissim ex quacunque ratione multiplicetur comestio, ad carnium abstinentiam, ad ciborum nempe delectum ligata conscientia remanebit. Cum ergo Ecclesiæ jejunium a præcipientis mente suam essentiam, quantum ad praxim attinet, hauriat, & præcipientis mens sit ad utrumque obligare; inde fit, quod, qui forte impotens, vel dispensatus ad unum sit, ad alterum perseverat obligatus. Quantum igitur ad hujusmodi morale compositum, quantum scilicet ad ambo jejunii extrema attinet, exorta relate ad unum impotentia, parum quoad praxim refert, utrum principalius unica comestio, an carnium abstinentia intendatur; cum utrumque ab Ecclesia præcipiatur: Ita ut ad ciborum delectum exorta

ta impotentia, vel dispensatione, vel quocunque modo eo non servato, ad unam comestionem perseveret obligatio; ac vicissim ad unicam comestionem exorta impotentia, vel quocunque modo, etiam ex dispensatione, una non servata comestione, ad carnium abstinentiam, seu ad ciborum delectum obligatio subsistat.

Sub qua alia ratione jejunii constitutiva intelligi debeant, proponimus; ac plenius discutienda reservamus.

XXII. Aliud autem est inquirere, an sub ratione negativi utrumque jejunii constitutivum, unica scilicet comestio, & carnium abstinentia, seu ciborum delectus, ex Ecclesiæ præcepto cadat? ita ut, sicuti sub negativo præcepto carnium abstinentia, seu ciborum delectus præcipitur, & unica similiter comestio sub negativo præcepto præcipi dicenda sit; quæ sane discretio necessaria, & omnino decidenda est. Si enim nedum carnium abstinentia, seu ciborum delectus, verum & unica comestio sub negativo præcepto consistant, necessario sequitur quod, sicuti juxta præcepti negativi naturam, data carnium comestione, seu non servato ciborum delectu, ejus abstinentiæ præceptum perseverat, ita etiam data 2. vel 3. &c. licet esurialium ciborum comestionibus, etiam ulterius non repetendi comestionem præceptum perseverare dicendum erit; cujus rei solutionem suo loco infra n. 56. ad 66. discutiendam reservamus. Quantum autem ad præsens attinet, jejunii essentia sub morali ratione, ut oportet, considerata, in utroque divisibili constitutivo in sensu exposito, uno licet alio potiori, consistere dicenda est; ita ut qui ad unum impotens, vel excusatus sit, seu uno non servato jejunii constitutivo, ad aliud servandum obligatus existat.

Quænam, & cujusnam rei comestio jeju-

XXIII. Propius autem ad præsens institutum accedere volentes, quænam scilicet comestio Ecclesiæ jejunium solvat, non tantum ex comestio

ſtionis eſſentia,ſeu natura quantum ex Eccleſiæ præcepto, plures prohibentis comeſtiones, tamquam ex præcipientis mente venerari poſſe ſentimus. Quod diſcutiens Angelicus in 4. diſt. 15. q. 3. art. 4. q. 1. c. ſic procedit: *Reſpondeo dicendum ad primam quæſtionem, quod jejunium dupliciter ſolvitur: uno modo quantum ad meritum, ita quod homo vel non meretur, vel minus meretur; & de hac ſolutione jejunii non intendimus ad præſens, quia conditiones, quæ meritum alicujus actus augent, vel minuunt, indeterminatæ ſunt, eo quod quandoque accidentaliter ſe habent ad actum meritorium*. Ad illam autem propoſitam quæſtionem, quænam ſcilicet comeſtio Eccleſiæ jejunium ſolvat, directe reſpondens, ſic diſcutiendam ſuſcipit: *Alio modo ſolvitur jejunium ſecundum quod eſt ab Eccleſia inſtitutum, ex qua ſolutione homo efficitur transgreſſor ſtatuti Eccleſiæ de jejunio ſervando, vel ſaltem non obſervator, niſi ex diſpenſatione, vel cauſa legitima dimittat: Et de hac ſolutione jejunii nunc quærimus*. Et pergit: *Ad hoc autem præcipue valet conſiderare intentionem ſtatuentis: intendit autem Eccleſia certum modum ſtatuere manducandi; ut ſcilicet ſemel in die jejunans, manducet: & ideo ſi aliquorum ſumptio, ſecundum quæ manducatio ſolet compleri, iteretur, jejunium prædicto modo acceptum, ſolvitur*. Et proſequitur: *Si autem aliqua ſumantur, quæ ad manducandum de ſe ordinata non ſunt, ſed ad alium uſum, qui uſus communiter manducatio non vocatur, talis cibi, vel potus ſumptio præter manducationem unam ante, vel poſt non facit eſſe binam manducationem; & ideo talis ſumptio jejunium non ſolvit*.

[Margin: nium ſolvat, proponitur, ac declaratur.]

XXIV. Quia igitur juxta Angelicum jejunii eccleſiaſtici eſſentia, ac natura a præcipientis mente

[Margin: Prædicta, iterum reaſſumpta,]

ac legislatoris mente pensata, longiori ac solidiori ratiocinatione discutienda suscipiuntur,

te pendet; inde in ejus solutione inquirenda non materialis comestio, sed illa, quæ contra præcipientis mentem fit, attendenda est. Quin immo licet præcipientis mens ad plura extendatur quoad intentionem, quia tamen sub ratione coactiva non intendit, nisi quod exequi præcipit; inde ejus præceptum non tam sub præcipientis intentionis, quam sub executionis ratione pensari debet; non enim omnia, quæ legislator intendit in præcepto ipsius statuti, sub ratione coactiva cadunt, sed ea solum, quæ sic intendit, ut in ratione coactiva sub præcepto cadere velit: quæ sane discretio patet exemplo; Volens enim Christus Jesus solicitudinis onus Petro imponere, duo sibi placitura proposuit, dilectionem scilicet, oviumque solicitudinem Joan. 21. v. 15. dicens: *Simon Joannis diligis me plus his?* cui respondente Petro: *Tu scis, quia amo te*, dicit ei Jesus: *Pasce agnos meos*. Enim vero licet & erga Christum dilectionem, & erga proximum solicitudinem, sive zelum, ambo sibi placita ac præcepta declaraverit Jesus; quia tamen dilectio, etsi ad bene, ac meritorie agendum necessaria sit, adimplendum tamen solicitudinis onus sub ratione præcepti necessaria non est; idcirco in vim hujus præcepti zelandi scilicet erga proximum, dilectio non cadit; secus qui cum peccato zelaret, etiam sub ratione oneris implendi peccaret. Non omne igitur, quod legislator intendit, sub præcepto intendit, sed ea solum, quæ ita intendit, ut sub præcepto cadere velit; etsi cæteroquin quæ intendit, quæque sub præcepto cadere nolit, sub alia ratione præcepta inveniantur. Quod & de ipso jejunio, ex pravo fine peracto, patet; si enim jejunet quis, si scilicet opus ponat, prout præcipitur, ex inten-

tentione licet prava, legem quidem jejunii ſub coactiva ratione, ſub qua præcipitur, implet, etſi cæteroquin non quoad omnes legislatoris intentiones impleat, non quoad illas ſcilicet, quas non ſub præcepto relate ad jejunium in coactiva ratione, ſed ſub directiva, vel ſub alia præcepta ratione quaſi operi, ſeu jejunio quid extrinſecum, ponere placuit. Quod diſcutiens Caetanus 12. q. 100. art. 9. in calce ſic ratiocinatur: *Nota has regulas, quibus toties uti oportet, ſcilicet non eſſe idem finem præcepti, & id de quo præceptum datur; quia illud finis, hoc ad finem; qui finis præcepti non cadit ſub præcepto, ut id, quod præcipitur, ſed ut intentum a legislatore; quoniam ex his habes ſolutionem multarum quæſtionum pro minus eruditis, & bonis mentibus, timentibus culpam, ubi non eſt.*

XXV. Neque conſequenter omnis modus virtutis cadit ſub præcepto. Et ſane ſub præcepto cadere non poteſt, quod aliquis ea perfectione operetur, qua virtuoſus operatur, quia enim, ut ait Angelicus 12. q. 100. art. 9. c. *Nullus poteſt operari eo modo, quo operatur virtuoſus*, habitum nempe virtutis habens, *niſi habeat habitum virtutis*; inde ſequeretur, quod legem ſervans quoad illud ſcilicet, quod ſub ratione coactiva præcipitur, nondum habens virtutis habitum, quod ſane ſub directiva ratione a legislatore intenditur, peccaret, ſi in ejus lege ſervanda ea requireretur perfectio, quam virtutis habitum habens, conſequitur; quin immo & tamquam tranſgreſſor, nondum habens virtutis habitum, legem ſub vi coactiva in ſenſu expoſito ſervans, mereretur pœnam, *hoc autem*, pergit Angelicus, *eſt contra intentionem legis, quæ intendit, hominem aſſuefaciendo ad bona opera, inducere ad virtutem*. Nos ergo virtutis modus ſub alia, quam

Idem argumentum continuatur, & completur.

ſub coactiva ratione intentus, cadere ſub præcepto poterit; ſecus enim peccator, nondum habens charitatis habitum, legem ſub ratione licet coactiva ſervans, legi non obediret, & conſequenter peccaret contra damnatam a Ss. Pontificibus, ac præſertim a Pio V. in Conſt. *ex omnibus* anno 1567. decimam tertiam Baji propoſitionem dicentis: *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate*; & multo magis infideles, ſupernaturales virtutum habitus non habentes, modo ſuo bene agendo, & a malis perpetrandis abſtinendo, peccarent, contra damnatam ejuſdem Baji prop. 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*. Item, licet divina lex præcipiens e. g. honorare parentes, charitatem intendat; quia tamen ex vi illius præcepti Exod. 20. v. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, non cogit, niſi ad eorum amorem, reverentiam, obſequium, & ſuſtentationem; inde, ſi filius, etſi in peccato exiſtens, ac per hoc charitate deſtitutus, amorem, ſeu obſequium, ac reverentiam &c. parentibus præſtet, coactivam hujus præcepti vim implet. Unde licet Apoſtolus omnem exigat in virtutum actibus perfectionis rationem 1. Cor. 16. v. 14. dicens: *Omnia veſtra in charitate fiant*; & cap. 10. v. 31. *Sive ergo manducatis ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: omnia in gloriam dei facite*, id tamen non tamquam quid legis ſub quacunque ratione, quantum ad ejuſdem legis obſervantiam pertinet, ſubſtantivum; etſi cæteroquin legis etiam ſub coactiva ratione ut quid adjectivum proponat; ut ſcilicet actus noſtri undique perfectionem habeant, ac deo gratiores, & vitæ æternæ meritorii exiſtant, proponit, ac ſuadet Apoſtolus, nedum legis actus impleri debere juxta præceptam coactivam vim, verum & omne illud excludi, quod charitati pro-
ximi

ximi, vel dei gloriæ opponi dignoſcitur; Et ex proximi charitate, ac dei gloria actus noſtros, & quamcunque legis obſervantiam procedere debere inſinuat. Quia igitur in lege plura intenduntur, quam præcipiantur; inde fit, quod, quantum eſt ex vi legis, non ad omnes legislatoris intentiones, ſed ad illud, quod ſub coactiva ratione præcipitur, obligatio conſurgit. Unde ab Angelico 12. q. 100. art. 9. c. illud dicitur *directe cadere ſub præcepto legis, ad quod lex cogit.*

Fundamentalis ratio, ad inſtitutum applicata, continuatur, & concluditur

XXVI. Ut igitur inde redeat (vide ſupra n. 23.) unde diſceſſit oratio; ſiquis jejunet ſemel ſcilicet per ciborum delectum, & hora debita comedat, legem ſervat: etſi enim ex parſimonia, vel humana gloria, ſive ex aliis pravis finibus jejunans, quoad vim directivam relate ad jejunium, legislatoris intentionem non impleat; quia tamen quod eſt præcepto jejunio intrinſecum, ac veluti ſubſtantivum per vim coactivam, a legislatore intentam, jejunii conditiones ſervans, ejuſdem jejunii præceptum implet; inde adjectivas; ſeu præcepto jejunio extrinſecas non implens conditiones, legislatoris nempe intentiones, præcepto extrinſecas, ac per vim directivam intentas, non ſervans, præceptum, quantum ad jejunium attinet, implet; licet cæteroquin ſub alia ratione, per adjunctam nempe vanam gloriam, hypocriſim, aliiſque gravis finibus aſſentiendo, peccaret, ſecus vero ut præcepti jejunii tranſgreſſor. Quod ſi præter adjectas pravas intentiones jejunans, legi tamen per elicitos actus obedire nollet, vel non intenderet; etſi quoad pravos elicitos actus puniri non poſſit; quia tamen legis obendientia, conſcientiam conſtringens, a legislatore intenditur; inde per elicitos actus legem ſervare nolens, nec intendens, ſed ſolum illam per materiales imperatos actus implens, præter-

quam

quam quod ex pravis intentionibus agens peccaret, etiam opus ponendo per imperatos actus, unicam scilicet per esuriales cibos, hora debita servans comestionem, jejunii legem quoad elicitos actus non impleret. Unde, ut n. 25. observavimus, ab Apostolo monemur, ut jejunium, aliumve legis actum servando, vel sacerdotale ministerium implendo, nedum pravos fines, vel quid aliud pravum in agendo excludamus, verum & charitatem, deique gloriam superaddamus, ac tamquam actuum principium, & finem, a quo scilicet procedant, & ad quem referantur, agentes, intendamus.

Fundamentalis ratio n. 23. posita, ad singulas jejunii conditiones applicata, continuatur. Et I. An per carnium, vel piscium comestionem jejunium solvatur, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

XXVII. Peculiares autem jejunii conditiones percurrere incipientes, jejunium per carnium comestionem solvi cum Angelico sentimus in 4. dist. 15. quest. 3. art. 4. q. 2. c. dicente: *Ad secundam quæstionem dicendum, quod ille dicitur jejunium Ecclesiæ solvere, qui statutum modum abstinendi ab Ecclesia, non servat: Cum autem jejunium Ecclesia instituerit ad satisfaciendum, & concupiscentiam reprimendam; sicut determinavit abstinentiam jejunii quantum ad numerum (ut scilicet semel tantum jejunans comederet ad afflictionem carnis propter satisfactionem) ita taxavit, ut a carnibus abstineremur, quia hoc genere cibi præcipue concupiscentia fovetur, & roboratur: unde comestio carnium jejunium solvit ab Ecclesia institutum.* Quia igitur ecclesiastici jejunii solutio ex præcipientis mente venanda est, ut ex eodem hic, ac supra n. 23. innuimus; inde fit, quod, sicuti per carnium comestionem contra ejus præceptum agens, jejunium frangit; ita ex eodem principio, quia a Benedicto XIV. in suis Encyclicis ad carnes dispensatum, ad piscium abstinentiam in eadem carnium comestione teneri declaratum est, ut p. 1. cap. 4. §. 3. n. 8. diximus; inde

inde per piscium in sensu exposito comestionem, non secus ac non dispensatus, carnes comedens, jejunium frangeret; etsi cæteroquin ad alias jejunii conditiones servandas maneret obligatus. Quoad ciborum ergo delectum etiam per unicam vetiti cibi comestionem jejunium frangi tenendum est. Unde Martinus in suo manuali cap. 21. n. 15. *dixi*, inquit, *vel cibis vetitis, quia etiam unica illorum comestione frangitur jejunium secundum omnes*. Frangitur nempe jejunium per unicam vetitorum ciborum comestionem in quantum sit transgressio abstinentiæ a cibis vetitis, quorum abstinentia moralem jejunii essentiam complet. vide hic n. 13. &c. & an. 19. &c.

Et II. An per repetitam etiam permissorum ciborum comestionem, jejunium frangatur, discutitur, ac resolvitur.

XXVIII. Et quia non plures, sed una tantum comestio in jejunio permittitur, ut part. 1. cap. 4. §. 3. n. 19. discussimus; inde pluries quam semel comedens, contra Ecclesiæ mentem agens, jejunium frangeret. Neque in hoc audiendi sunt, qui ratione urbanitatis posse iterum comedere confingunt. Licet enim urbanitas, quæ charitatem, & virtuosam amicitiam foveat, ab Ecclesia non damnetur, illa tamen urbanitas, quæ ad charitatem, & virtuosam amicitiam fovendam medium non existit, probari ab Ecclesia non videtur. Hujusmodi autem urbanitas, quæ ad præceptorum Ecclesiæ transgressionem induceret; ad charitatem, ac virtuosam amicitiam fovendam medium non existeret. Hujusmodi ergo urbanitas ab Ecclesia probari non videtur, cum in hujusmodi urbanitate charitatis ratio, quæ exemptionis radix est, non existat; ut in s. Spiridione extitisse part. 1. cap. 3. n. 23. diximus. Ex urbanitate ergo iterum comedens, jejunium frangeret. Unde, licet ex urbanitate iterum comedens, parva utens quantitate, quæ jejunii essentiam non destrueret, excusaretur a quanto cul-

pæ,

pæ, non tamen excusaretur a toto; ac proinde etiã ex parva quantitate, quæ jejunium non solveret, a gravi peccato excusaretur comedens, non tamen a veniali. Damnabilis ergo est propositio, dicens: *Ex urbanitate iterum comedens, non frangit jejunium*. Idem dicendum de una morali comestione, ad plures horas protracta; si enim comestio, etsi moraliter una, ad plures horas protraheretur, cum sic protracta, pluribus æquivalere videatur comestionibus, jejunium utique per hujusmodi, licet moraliter unicam dictam, comestionem frangeretur. Unde damnabilis videtur propositio dicens: *Non est peccatum in die jejunii eamdem unam comestionem per duas saltem horas continuas protrahere*.

Per particularum consecratarum, etiam in magna quantitate sumptarum comestionem juxta Ecclesiæ mentem jejunium non frangi demonstratur.

XXIX. Quod si exquiras, an jejunium per Eucharistiæ sumptionem frangatur, si notabilis particularum quantitas sumatur, non tam facile meo videri resolvi poterit. Et quidem duplici modo procedere poterit inquisitio; vel scilicet juxta Ecclesiæ mentem, vel secundum se, spectata scilicet jejunii, & rei comestæ natura. Juxta Ecclesiæ mentem utique procedere non videtur. Ecclesia namque in suis rubricis de celebratione Missarum de defectibus §. 9. n. 1. sic habet: *Siquis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare*. Et tamen juxta Ecclesiæ consuetudinem celebrare prohibitus, si scilicet ex industria vel unam guttæ aquam deglutisset, non prohibetur tamen sanguinem sumere post consecratæ hostiæ sumptionem; unde consecratam hostiam sumens, consecratas vini species deinde sumere non prohibitus, sine jejunii naturalis fractione calicem sumere intelligitur. Nec valet unum

unum ferme moraliter dici consecratam hostiam sumere, ac calicem bibere, uti per simultaneam consecratæ particulæ, & vini non consecrati sumptionem in die Parasceves contingit: Cui enim ex privilegio duas, vel tres missas eodem die celebrare conceditur, purificationes ante ultimam missam sumere, ne jejunium naturale frangeret, ab Ecclesia prohibetur, & tamen per consecratæ hostiæ, & calicis sumptionem relate ad posteriores missas eodem die etiam per longam inter unam & alias celebrandas missas interruptionem naturale jejunium fregisse, nisi aliqua sumpta purificatione, ab Ecclesia non intelligitur. Cum igitur naturale jejunium fortius sit, quam ecclesiasticum; & ad sanguinis sumptionem, & ad posteriores missas eodem die celebrandas, ab Ecclesia requisitum per hostiæ sumptionem relate ad calicis sumptionem; vel per hostiæ, & calicis sumptionem relate ad posteriores missas, etsi post longam interruptionem inter unam, & alias, eodem die celebrandas naturale jejunium non frangitur; inde a fortiori juxta Ecclesiæ mentem per Eucharistiæ, sive utriusve, vel utriusque speciei sumptionem jejunium ecclesiasticum non frangi tenendum est. Cujus etiam argumenti vis ex Angelico patet; ipse enim objectionem solvens 3. p. q. 80. art. 8. ad 4. sic ratiocinatur: *duplex est jejunium. Primum est jejunium naturæ, quod importat privationem cujuscunque præassumpti per modum cibi, vel potus: Et tale jejunium requiritur ad hoc Sacramentum*; ad Eucaristiæ nempe sumptionem; *Et ideo neque post assumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcumque parva quantitate licet hoc Sacramentum accipere*. Si igitur per Angelicum ad Eucaristiæ sumptionem naturale jejunium requiritur, id nedum de hostiæ, verum & de san-

ſanguinis ſumptione intellexiſſe dicendus eſt. Si ergo per ipſum in quantumcunque parva quantitate præaſſumptus cibus, vel potus naturale jejunium frangeret; & in calicis ſumptione, etiam præaſſumpta conſecrata hoſtia, naturali jejunio jejunus invenitur ſumens; inde clare infertur, quod nec per magnam conſecratarum hoſtiarum quantitatem naturale jejunium ad Eucariſtiæ ſumptionem per ipſum, requiſitum frangitur. Quod ſi per eumdem Angelicum ex conſecratæ hoſtiæ præaſſumptione naturale jejunium in eadem miſſa relate ad calicis ſumptionem; nec non propter rationis paritatem ex conſecratæ hoſtiæ, & calicis in prima, & ſecunda miſſa ſumptione relate ad ſecundam, ac tertiam reſpective miſſam, ab eodem ſacerdote eadem e. g. Nativitatis die celebrandam, non frangitur; a fortiori adhuc in magna quantitate ſumptæ conſecratæ particulæ eccleſiaſticum jejunium per ipſummet non frangere dicendæ ſunt. Vini autem non conſecrati cum particula conſecrata in die paraſceves ſumptio, ex Eccleſiæ inſtituto, ac ſingulari ejuſdem diſciplina procedens, nos non ferit; non enim ſingularis caſus, ab Eccleſia præſcriptus ejuſdem Eccleſiæ præceptum in ſumenda Euchariſtia naturalis jejunii rigorem, præceptamque diſciplinæ obſervantiam tollit.

Per particularum conſecratarum ſumptionem Eccleſiæ jejunium non frangi, jejunii ſpectata natura, proponitur, diſcutitur, ac reſolvitur.

XXX. Nec ſecundum ſe quidem eccleſiaſticum jejunium per conſecratarum particularum ſumptionem frangi dicendum eſt. Ad eccleſiaſtici namque jejunii fractionem non quæcunque comeſtio ſufficit, ſed illa requiritur, cujus virtute comedens nutriri, ac comeſtus cibus in humanæ naturæ ſubſtantiam converti poſſit; quo vel uno deficiente, jejunium non frangi teneri videtur. Unde quia beatorum corpora nutritionis incapacia ſunt, ſequitur, quod, ſi beatus cibos, etſi

in

in humanæ naturæ ſubſtantiam convertibiles, ſumeret, quia tamen nutritionis incapax eſt, illos comedens, nedum juxta eccleſiaſtici jejunii, verum & juxta naturalis jejunii rationem jejunus remanere dicendus eſſet; ſicuti de Chriſto Jeſu dici poteſt, qui Joan. 21. jam glorificatus comedit: ſuper quo Angelicus 1. p. q. 51. art. 3. ad 5. ſic ratiocinatur: *Quia comeſtio importat ſumptionem cibi convertibilis in ſubſtantiam comedentis; Et quamvis in corpus Chriſti poſt Reſurrectionem cibus non converteretur, ſed reſolveretur in præjacentem materiam; tamen Chriſtus habebat corpus talis naturæ, in quod poteſt cibus converti: unde fuit vera comeſtio*, quæ certe in Angelo, cum Tobia comedente, quatenus cibus in hujus materiam, quæ nulla in Angelo eſt, converti non potuerit, vera non fuit; quia tamen nutritionis incapax glorificati Chriſti corpus exiſteret, ac proinde in ejus ſubſtantiam converti non potuerit cibus, ex illa utique comeſtione nedum ſub eccleſiaſtici, verum & nec ſub naturalis jejunii ratione fractio intercedere potuiſſe diceretur. Cave, ne intelligas, quaſi mens noſtra ſit, Chriſtum Jeſum veluti Eccleſiæ jejuniis ſubjectum, illud non fregiſſe, vel fracturum non fuiſſe; ſed conſiderata a nobis juxta Eccleſiæ mentem jejunii natura, etſi Chriſtus cibos, in humanæ naturæ ſubſtantiam ſecundum ſe convertibiles poſt Reſurrectionem comederit, quia tamen tunc etiam ſecundum corpus impaſſibilis, ac beatus, incapax nutritionis exiſteret, ac proinde in ejus ſubſtantiam converti non potuerint comeſti cibi; inde jejunum etiam poſt cibi ſumptionem omnino perſeveraſſe, ac ſi nihil comediſſet, intelligimus: Unde tale jejunium nedum ſub ratione eccleſiaſtici, verum & nec ſub naturalis jejunii ratione fractum intelligi debere ſentimus. Sicuti autem

ex eo, quod comedens nutritionis incapax est, etiam si vera comestio sit, ut in Christo post Resurrectionem, nec sub ecclesiastici, nec sub naturalis jejunii ratione fractio intercederet; ita, etiamsi corpus nutritionis quidem capax sit, cibus autem nutriendi corpus incapax existeret, tunc nec jejunium per illius cibi seu materiæ contritionem frangi dicendum est, ut esset siquis lapillum comederet, seu potius deglutiret, qui in substantiam comedentis converti non posset. Si igitur cibus in humanæ naturæ substantiam revera convertibilis, a Beato comestus, jejunum relinqueret comedentem; a fortiori si cibus ipse beatum corpus existeret, jejunium relinqueret comedentem viatorem; cum licet secundum essentiam corpus sit, per assumptas tamen beatitudinis dotes, spiritus instar existens, consideretur comestus; ut de corpore, & sanguine Christi in sacra Eucharistia dici debet. In Eucharistia igitur gloriosi Christi sanguis, & corpus comesta, jejunium non frangunt, & multo minus ejus anima, ac divinitas. Cumque sacramentales species sine subjecto existant, & nullam panis, & vini substantiam contineant, etsi per quamdam redundantiam etiam corpus nutrire permittamus, quia tamen substantiam non continent in humanam naturam convertibilem, sed tantum habent substantiam beati Christi; inde nec naturale, & a fortiori nec ecclesiasticum jejunium frangunt. Cumque ex Ecclesiæ consuetudine naturale jejunium ad Eucharistiæ sumptionem exigatur, & adhuc post primam missam, dummodo purificationes non sumat, ut supra exposuimus, sacerdos in altera, ac tertia missa, eodem die celebranda, etsi longa inter unam, & aliam missam intercedente interruptione, ut in celebrante in nocte Nativitatis, communicans, juxta naturalis je-

jejunii rationem communicari ab Ecclesia intelligatur, jejunium frangere non videtur. Unde nec in magna quantitate sumptæ consecratæ particulæ jejunium frangere dicendæ sunt.

XXXI. Contrarium autem sentire videtur Angelicus 3. p. q. 80. art. 8. ad 4. ubi supponens naturæ jejunium ad Eucharistiæ sumptionem prærequiri, idque in cujuscunque præsumpti cibi, vel potus privatione consistere; addit: *Nec refert utrum aliquid nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi, vel potus*. Et q. 77. art. 6. c. *Cibus nutrit, quod convertitur in substantiam nutriti. Dictum est autem art. præc. quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur: per eamdem autem rationem possunt converti in corpus humanum, per quam possunt converti in cineres, vel in vermes. Et ideo manifestum est, quod nutriunt*: Ad quod probandum subdit: *Homo diu sustentari posset, si hostias, & vinum consecratum sumeret in magna quantitate*. Ad hæc autem salva tanti doctoris auctoritate, si ibi accidentia tantum sunt sine substantia, quomodo per ipsum nutrire possunt; cum ipsemet illos impugnans qui dicerent, species sacramentales nutrire propter panis, ac vini substantialem formam quæ remanet, illos, in quam inpugnans, in fine corp. sic prosequitur: *Tum quia non remanet*, forma scilicet substantialis, *ut supra dictum est q. 75. art. 6. Tum quia non est actus formæ nutrire, sed magis materiæ, quæ accipit formam nutriti, recedente forma nutrimenti*. Quia igitur comestus cibus, sui formam amittens, nutriti formam assumit, quomodo, inquam, nutrire sacramentales species dicat, ignoro. Si enim per ipsum actus formæ non sit nutrire, multo minus accidentium sit nutrire: Et cum expresse dicat

Angelici mens nobis visa contraria disquiritur.

quod

quod nutrire ſit actus materiæ; & in ſpeciebus ſacramentalibus non ſit materia niſi ſecundum corpus, & ſanguinem Chriſti, quem utpote glorioſum, & beatum, jejunium non frangere ſupra vidimus; inde Euchariſtiam etiam ex ipſiuſmet Angelici principiis jejunium non frangere tenendum eſt. Sacramentales igitur ſpecies nec ſecundum ſe nutrire, nec jejunium frangere dicendæ ſunt; cum Chriſti corpore ſub ipſis exiſtente, ad ejus corpus & ſanguinem quid acceſſorium ſub ratione manducationis dici debeant. Acceſſorium autem naturam ſequi congruit principalis. Si igitur glorioſum Chriſti corpus, & ſanguis, & multo magis ejus anima, ac divinitas, quæ ſola exiſtunt ſub ſpeciebus panis, & vini, ſine ſubſtantia panis, & vini, hoc eſt ſine ſubjecto exiſtentibus, jejunium non frangunt, quomodo ſacramentales ſpecies jejunium frangere dicendæ ſunt? Cum enim ex ſupradictis, nec non ex eodem Angelico ſupra probatum ſit, conſecratas hoſtias, ac vinum naturale jejunium non frangere, quod eccleſiaſtico jejunio quid majus eſt, quomodo eccleſiaſticum jejunium frangere teneri poſſit, non intelligo? Et quia, quod vel in parva quantitate, ex induſtria licet ſumptum, naturale jejunium non frangit, a fortiori eccleſiaſticum jejunium non frangeret: Si item conſecratæ hoſtiæ, vel vinum in parva quantitate ſumpta, naturale jejunium non frangunt, etiam in magna quantitate ſumpta nec frangunt: Si autem ſive in parva, ſive in magna quantitate ſumpta, naturale jejunium non frangunt, a fortiori ſive in parva, ſive in magna quantitate ſumpta ob aſſignatas rationes Eccleſiaſticum jejunium non frangere dicenda ſunt. Quantum igitur ad conſecratas hoſtias, vel vinum attinet, etiam in magna quantitate ſumpta, eccleſiaſticum jejunium

fran-

frangere teneri vix poterit. vide in fine n. 34.

XXXII. Quod si de corruptis speciebus sermo procedat, non amplius in ipsis existente Christo domino, si, inquam, corruptæ ponantur sacramentales species, eas vel in quantumcumque minima quantitate sumptas, naturale jejunium, & in magna quantitate sumptas ecclesiasticum jejunium frangere non negamus; At tunc vix sacramentales species dici possunt, sed potius species, in quibus Christi corpus, & sanguis extiterit; nec amplius hujusmodi species tamquam sacramentales considerantur, sed potius tanquam species in alia materia existentes. Quænam autem, Christo non amplius in corruptis speciebus existente, ut subsistant, materies tamquam subjectum succedat, hujus loci non est disputare, interim tamen videri poterit Angelicus 3. q. 77. ac præsertim art. 5. Sufficiat in præsentiarum, quod certum est, tenere, Christo scilicet non amplius in corruptis speciebus existente, easdem species sub alia tamquam materia subsistentes, in magna quantitate sumptas, ecclesiasticum jejunium frangere, quin & in quantumcunque parva quantitate comestas, etiam naturale jejunium frangere negari non posse. vide n. 34. in fine.

Quo sensu sacramentales species jejunium frangere possint aperitur.

XXXIII. Stercoranistarum autem error, Eucharistiam secessui obnoxiam asserentium, de quibus mentionem facit Natalis in dissert. 11. sæc. 9. & 10. vix ad præsens attinet; videri tamen poterit Rev. Pater Fr. Bonaventura Blanciotti, qui in calce Tom. 2. Thomæ Waldensis de Sacramentis in notis ad cap. 19. pag. 967. in fine quoad stercoranistas sic habet: *certum autem est, quod occasione controversiarum, quæ sæculo 9. moveri cæperunt, improbatus est fædissimus ille error, quod corpus, & sanguis Christi non solum vere a fidelibus manducetur, & bibatur, sed & in secessum*

Stercoranistarum error quoad præsens brevi calamo discutitur.

ſum more reliquorum ciborum emittatur. *Cujus proinde erroris quotquot cenſebantur patroni, turpi ſtercoraniſtarum nomine diffamabantur*. Etſi autem idem Fr. Bonaventura hanc ſectam non extitiſſe, ſed potius ex probroſa diſputantium in adverſarios criminatione, aut ex verborum ambiguitate ortam ſentiat; in hoc tamen ex eo deceptus videtur, hanc nempe ſectam non extitiſſe ex eo inferens, quod aliqui doctrina, & integritate præditi hoc errore immerito notati ſint, quod non negamus; per hoc autem quod aliqui doctrina & morum integritate præditi, ex ſermonis ambiguitate in hunc errorem inclinare immerito viſi ſint, non tollit, hanc hæreſim extitiſſe, ac patronos habuiſſe certum reputari poſſe. Ex eo autem, quod ſtercoraniſtarum ſectæ addicti, nullum inter Chriſti corpus, & ſanguinem, ac reliquos communes cibos, ac potus diſcrimen eſſe aſſerebant; inde corpus, & ſanguinem Chriſti jejunium frangere deducebant. Nos autem parum curantes, an fædus iſte error extiterit, patronos habens, vel non; errorem confutantes, dicimus, ex eo hujus opinionis falſitatem dignoſci poſſe, quod, antequam per ſeceſſum emittantur cibi, alterantur, & corrumpuntur, & in nutriti ſubſtantiam convertuntur. Corruptæ autem ſpecies, Chriſti corpus, & ſanguinem, nec non ejus animam, ac divinitatem, non amplius continent; Unde nec Euchariſtia per ſeceſſum emitteretur.

Conſecratas ſpecies, etiam in magna quantitate ſumptas, jejunium non frangere concludimus.

XXXIV. Ex quibus omnibus apparet, quam longe a vero, ne dicam temere, ſentiat Diana, ac ſentire videtur Felix Poteſtas, tom. 1. part. 3. de 2. Eccleſiæ præcepto num. 2847. dicens: *Qui quantitatem notabilem particularum conſecratarum ſumeret, jejunium frangeret, quia eſſet comeſtio, notabile, ac ſubſtantiale nutrimentum afferens, ſupplente deo defectum naturalem ſubſtan-*

ſtiæ

tiæ panis. Id enim, Christo domino in speciebus existente, dici nequit, ut ex dictis patet: quod si alteratas, & corruptas in stomachum trajectas sacramentales species, non amplius in illis existente Christo domino, nutrire posse dicant; quo sensu Angelici mens salvari fortasse poterit; & tunc sicut alteratæ species, & corruptæ antequam sumerentur, postmodum sumptæ jejunium frangerent, ita & in stomachum trajectas, quia nutriunt, jejunium frangere asserant; concedimus quidem, sacramentales species, adhuc ibi existente Christo domino sumptas, in stomacho alteratas, & corruptas, non amplius ibi existente Christo domino, nutrire posse; at quia Ecclesia in ejus jejuniis nutritionem non prohibet, nisi mediante comestione; ac de facto nec prohibet, missam in media nocte Nativitatis domini ab eo sacerdote dici, qui non longe ante mediam noctem comederit, licet etiam post mediam noctem ex præsumptis cibis nutriatur; inde etsi sacramentales species, in illis existente Christo domino, nondum corruptæ, in stomachum trajectæ, ibique alteratæ, & corruptæ, non amplius in illis existente Christo domino, nutriant; quia tamen nulla in statu corruptionis, sive alterationis earumdem specierum comestio intercedit; inde per earumdem postmodum corruptarum, sive alteratarum specierum in stomacho faciendam nutritionem, nec naturale, nec ecclesiasticum jejunium frangi dicendum est. Etsi igitur sacramentales species, in statu alterationis, & corruptionis, Christo domino non amplius in illis existente, sumptæ, nedum ecclesiasticum, si in magna quantitate sumantur, verum & vel in quantacumque parva quantitate sumptæ naturale jejunium frangerent; nondum vero alteratas, & corruptas, ibi Christo domino existente sumptas, nec naturale, nec ecclesiasti-

cum jejunium frangere ex dictis satis concludimus. Unde apparet, quod si forte sacramentales species nutrire dicendæ sunt, non eo sensu nutrire dicendæ sunt sub ratione tantum specierum, seu accidentium remanentes, sed quatenus post sumptionem in stomachum trajectæ, ac postmodum alteratæ & corruptæ non amplius ibi existente Christo domino, aliam formam induunt, ac veluti in aliam materiam vi caloris, ac succi in substantiam nutriti convertuntur: quo sensu intelligi poterit Angelicus, nec non & ea, quæ supra n. 31. ac 32. exposuimus: ac forte explicari sic poterit specierum sacramentalium in pyxide corruptio; in quantum ex aeris qualitatibus vi solaris caloris alteratæ, & corruptæ, non amplius in eis existente Christo domino, aliam formam induunt, & quid diversum, ac solæ species seu accidentia evadunt, & veluti in aliud transformata, & conversa non secus ac de eisdem in stomachum trajectis, servata proportione, dici poterit.

Et III. An comestionis horam nimis anticipans, jejunium frangat, discutitur ac resolvitur.

XXXV. Quoad horam similiter; si contra Ecclesiæ mentem nimis anticipetur comestio, quam fuerit consuetum, jejunium frangi certum teneri debet. Unde Angelicus in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. q. 3. *Ad tertiam*, inquit, *quæstionem dicendum quod (sicut dictum est) ille jejunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat: Unde cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus; qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit: non enim Ecclesia arctare intendit ad subtilem temporis inspectionem, nec oportet astrolabium accipere* (instrumentum scilicet, quo a Mathematicis astrorum motus deprehenduntur) *ad horam comestionis dignoscendam: unde sufficit, si circa horam illam, quam Ecclesia instituit, jejunans sumat cibum, etiam si aliquantulum propter*

ali-

aliquam necessitatem anticipet. Idem sentiunt doctores, quos inter Turrecremata, qui de consecr. dist. 1. can. *Solent plures* eisdem d. Th. verbis quoad præsens utitur; Et Navarrus in suo manuali cap. 21. n. 27. *Peccat*, inquit, *qui notabiliter absque justa causa horam comedendi in loco consuetam prævenit*.

XXXVI. Quæ autem de jejunii solutione, sive quoad non servatum ciborum delectum, sive quoad multiplicatas comestiones, sive quoad non servatam horam, dicta sunt, non ita intelligi debent, ut, iis non servatis, semper, & in quocunque casu jejunium solvatur. Cum enim contra Ecclesiæ mentem non sit illud ex necessitate solvere; inde, ea interveniente jejunium minime solvi juxta Ecclesiæ mentem tenendum est. Unde quoad ciborum delectum, ex necessitate non servatum, Alphonsus Tostatus in cap. 6. Matt. q. 171. ante medium sic eloquitur: *Quod autem dicitur jejunium semper solvi per esum carnium, non debet intelligi in illis, qui ex necessitate carnes comedunt, vel prægustant, ut siquis nullum alium cibum habeat; & etiam in eis, qui serviunt Magnis dominis, & debent prægustare cibos illorum, ut caveant sibi a toxico, quia licet illi comedunt aliquid de carnibus die jejunii, sic prægustando, non solvunt jejunium, sic dicit Innoc. ubi supra* scilicet *Extra de Reliq. & venerat. Sanct.* cap. *cum ex eo* ut citat idem Abulensis. Prædicta autem Innocentii doctrina in Extrav. non reperitur. Et licet in decretalibus Tit de Reliq. & ven. 55. cap. cit. sit doctrina Innocentii III. ibi tamen Innocentius de Reliquiis tantum loquitur, non de jejunio: prædicta igitur Magni Tostati doctrina potius fundatur in verbis ejusdem Innoc. III. in Tit. de observat. jejuniorum cap. *consilium nostrum*, in quo SS. Pontifex Bracarensi

Jejunii conditiones ex necessitate non servantem jejunium non solvere comprobamus.

Archiepiscopo, nimis scrupulose de servando jejunio sentienti, respondet in calce ejusdem cap. dicens: *Cum non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes, & debes, ut majus in eis periculum evitetur*. Unde, ne Tantum virum hallucinatum esse dicamus, hunc errorem potius ex typographorum incuria irrepsisse credi poterit. Ad scopum autem redeuntibus, idem sentiens Navarrus, in Manuali cap. 21. n. 15. quoad ciborum prægustationes relate ad eos, qui a jejunii fractione excluduntur, sic habet: *dixi etiam vescitur; ad excludendos eos, qui aliquid præsumunt*, qui scilicet aliquid ante comestionis tempus sumunt, *causa medicinæ, aut causa prægustandi cibos dominorum, vel infirmorum, quibus inserviunt, etiam mane, & etiamsi cibi prægustandi, sint ova, vel carnes, etiam in Quadragesima, quia non sumunt illud in cibum, sed in medicinam; vel ut debito officio suis dominis serviant, propter quod nec solvunt jejunium, nec excusarentur ab eo*. Et Caetanus 22. q. 147. art. 3. in fine *Pincernæ quoque*, inquit, *Principum, etiam mane comedentium, excusantur quoad illos actus, quibus præsumunt aliqua pro securitate dominorum suorum, quoniam ad hoc alias tenebantur*. Et pergit: *Non absolvuntur tamen isti propterea a jejunii vinculo sed illas sumptiones computare debent, ac si non fuissent ex alio capite; quia scilicet non fiunt, manducandi gratia, sed ex necessitate servitii contingunt*. Quoad incogitantiam autem sic habet Navarrus Loc. cit. n. 27. *Qui mane comedit in die jejunii per talem ignorantiam, vel incogitantiam, quæ a violando jejunio excusat, & ob id non jejunat*, non jejunando, peccat, ut superius dicit idem Martinus, *quia, non obstante tali esu, perinde poterat jejunare, ac si nihil comedisset, & bo-*

& hora consueta vesci; citansque pro se Paludanum in 4. dist. 15. q. 4. art. 5. rationem affert, dicens, quia scilicet illa incogitantia necessitas quædam est, cum non sit voluntaria: cumque contra Ecclesiæ mentem non fuerit sic comedisse; inde jejunium per hujusmodi comestionem non solvit, immo & jejunare tenetur, ac si non comedisset. Quoad horæ similiter ex necessitate anticipationem cum illa comestionis anticipatio contra Ecclesiæ mentem non sit, Ecclesiæ jejunium non solvit. Unde licet peccet, nimis anticipans sine necessitate comestionem, *secus*, vero, inquit Navarrus loc. cit. *si justa de causa id facit, ut quia non vacabit hora consueta comedere, sive ob iter arripiendum, sive ob hospites, sive ob aliam honestam causam.*

XXXVII. Et quia jejunii solutio in indivisibili non consistit; inde in jejunii conditionum transgressione latitudo attendenda, atque explicanda est; non enim quæcunque earum transgressio, quæ secundum se jejunium læderet, illud solvere dicenda est, sed illa, quæ menti Ecclesiæ contradicat, secus vero si non contradicat; etsi cæteroquin præter ejus mentem existat; & multo minus, si menti ejus conformetur. In jejunii igitur ecclesiastici transgressione quantitas attendi debet vel secundum se, vel relate ad particulares personas; quod certe in omnibus jejunii conditionibus observari poterit.

Non quamcunque ex jejunii conditionibus transgressionem jejunium solvere, discutiendum proponimus.

XXXVIII. Et sane quoad ciborum delectum dimidia carnis uncia per aliquos grave peccatum reputatur; carnis vero frustulum, octavam unciæ partem non excedens, parva materia asseritur: hinc biscoctos (vulgo: *Ciambelle* &c.) ovis confectos comedere non licet. Etsi enim sit parva quantitas, propter quam a gravi peccato excusari poterit comedens, & jejunium non frangere; quia

Non quamcumque parvam quantitatem quoad vetitos cibos jejunii solutionem inducere proponimus.

quia tamen, licet ſub ratione parvæ quantitatis vetiti cibi admixti Eccleſiæ menti non contradicat, præter ejus tamen mentem exiſteret talis comeſtio, juxta aliquorum opinionem a veniali culpa non excuſabitur comedens. Et Wigandt in ſuo Tribunali tract. 5. Exam. 4. n. 96. parvum carnis bolum (vulgo boccone di carne) a mortali excuſare ſentit. Quod ſi in magna quantitate comederentur ex prohibitis cibis ſic confecti panes biſcocti, quia multæ parvæ quantitates parvam quantitatem excedunt, & nedum præter, verum & contra Eccleſiæ mentem efficitur; inde per horum, ac ſimilium ex vetitis cibis confectorum panum, ſeu ciborum, in magna quantitate ſumptorum, comeſtionem jejunium ſub cibi prohibiti ratione frangeretur.

Non quamcumque quantitatem quoad cibos non prohibitos ſub ratione comeſtionis; neque quamcunque durationem jejunium ſolvere proponimus.

XXXIX. Quoad parvitatem autem materiæ, ſub ratione comeſtionis conſideratæ, cum præciſione a ciborum delectu, opinio fuit P. Matthæi Stoz apud Concinam lib. 2. de præceptis Eccleſiæ differt. 2. de jejunio cap. 3. n. 3. quondam ſic ſuſtinentis: *Mihi, qui hæc ſcribo, placuit olim dicere, mediam circiter libram eſſe magnam materiam, parvam quicquid infra illam*, quam poſtea contraxit dicens: Quod *notabiliter* infra mediam partem quadrantis libræ eſt, peccati venialis limites non excedit, ſecluſo ſcandalo. Et quia loquitur de libra germanica, quæ ſexdecim unciis conſtat, quarum quadrans ſunt quatuor unciæ; media autem pars quadrantis ſunt duæ unciæ; inde per ipſum Stoz partem, quæ dimidia parte quadrantis libræ, duabus nempe unciis *notabiliter* minor eſt, peccati venialis limites per ſe non excedere, ſecluſo ſcandalo, teneri poterit: & quia dicit, *Notabiliter*, inde per ipſum Stoz una uncia eſt certiſſime parva materia; quia unum relate ad duo eſt longe minus. Alii vero cum

Le-

Leandro octavam unciæ partem esse parvam quantitatem sentiunt, quæ scilicet satisfacere possit ad gustandum, ut coqui, & pincernæ ad ciborum saporem dignoscendum. Et P. Thomas Hurtadus tract. 10. de potione chocolatica cap. 1. n. 2. quoad parvam quantitatem, quæ jejunium non frangat, sic habet: *Existimo tamen unam vel duas uncias parvam esse materiam*; quod tamen non admittit in cibo prohibito in carne scilicet, ovis, vel lacticiniis. Odorem autem jejunium non frangere nedum ob materiæ parvitatem, eo scilicet quod spiritosior ciborum pars sit, ac volatilis, verum & ex eo quod, cum non convertatur in humanæ naturæ substantiam, per ejus sentationem comestio verificari non poterit. Unde Magnus Tostatus in cap. 6. Matt. q. 167. *dicendum*, inquit, *quod per odorem jejunium non solvitur, quia, ut dicit Aristot. lib. de sensu, & sensato, odor non nutrit; sed solum confortat, si enim natura sit debilitata, confortatur aliqualiter per quosdam odores, & vires ejus fortificantur, non tamen restauratur aliquid de perdito, eo quod odor est quædam substantia levis, quæ non convertitur in substantiam odorantis ad hoc, quod restauret deperditum per resolutionem. In nutrimento autem fit conversio ipsius cibi in substantiam corporis nutriti, & illud restaurari, & nutriri. Nullus ergo odor, quantumcunque excellens sit, nutrire potest, sed solum confortare; & ideo jejunium non solvit.* Quoad comestionis autem horam, temporis parvitatem dari, per quam jejunium non solvatur, omnino teneri poterit, ac debet; quæ certe, cum latitudinem habeat, infra mediam horam nunquam videtur magna.

XL. Relictis autem quoad materiæ parvitatem doctorum opinionibus, quandoque veris, quandoque falsis, ac fortasse solidis fundamentis non

Parva quantitas, ex propria sententia

discutienda, proponitur. Et I. quidem quoad vetitum cibum relate ad eam, quæ omnem culpam excludat, discutitur, ac resolvitur.

non innixis, sic videtur quoad omnes jejunii conditiones parvam quantitatem ex intrinsecis assignare. Enim vero parva quantitas sub duplici ratione videtur consideranda, sub ea scilicet, sub qua nec jejunium frangat, & ne veniale quidem peccatum inducat; & sub ea ratione, sub qua licet jejunium non solvat, venialem tamen culpam involvat. Parva quantitas, quæ nec jejunium solvat, nec veniale peccatum inducat, illa videtur assignanda, quæ ita exigua sit, ut nec vires augeat, nec confortet: quæ sane relate ad prohibitos cibos quarta pars assignanda videtur duodecimæ unius libræ italicæ; quarta enim unius unciæ libræ italicæ pars, quæ quadragesimæ octavæ totius libræ italicæ parti respondet, ita parva quantitas est, ut nec vires augeat, nec confortet; licet enim secundum quid & vires augeat, & confortet, quia tamen de jejuniis, humano jure inductis sermo procedit; & inverisimile est, quod Ecclesia ita ciborum delectum in die jejunii præcipiat, ut ad hujus etiam exiguæ quantitatis abstinentiam sub peccato obligare intendat; inde fit, quod ex benigna præcipientis mente hujusmodi quantitas parva reputetur in sensu exposito; nec jejunium scilicet ex Ecclesiæ mente solvens, nec veniale peccatum, ex ejusdem mente includens: licet cæteroquin nec abstinentiæ virtuti nec jejunii actui parva illa comestio conformetur. viden. 43.

Parva quantitas, quæ jejunium non solvat, venialem tamen culpam involvat, relate ad prohibitos cibos

XLI. Quia vero quod supra hanc materiæ parvitatem est, vires augere incipit, & confortare; inde fit quod, quæ supra hanc parvitatem quantitas sit, & jejunium solvere poterit, & peccatum involvere. Et quia ad jejunii solutionem non quæcunque cibi vetiti quantitas sufficit, quæ præter præcipientis mentem sit, sed illa requiritur, quæ contra præcipientis mentem existit; inde

inde cibi vetiti quantitas, quæ præter præcipientis mentem fit, etsi jejunium non solvat, sub hac tamen parvæ quantitatis ratione considerata, veniale peccatum certissime involvet. Ad hujusmodi autem cibi vetiti materiæ parvitatem, quæ scilicet, etsi præcipientis menti non contradicat, præter ejus tamen mentem existens, jejunium quidem non solvat, venialem tamen culpam involvat, non quarta pars duodecimæ partis unius libræ italicæ, ut supra n. 40., sed dimidia pars duodecimæ partis libræ italicæ, semiuncia scilicet, seu vigesima quarta pars libræ italicæ videtur sufficiens. Cibi namque vetiti semiuncia, etsi non ita vires augeat, & confortet, ut jejunii fines destruat, ac solvat; quia tamen ad instaurandas aliqualiter vires, & ad stabiliendum stomachum, præter Ecclesiæ mentem, quæ sub ratione pœnæ jejunium intendit, sufficiens est; inde cibi vetiti semiuncia, præter Ecclesiæ mentem sumpta, licet jejunium non solvat, quia tamen sub ratione pœnæ, ab Ecclesia intentæ, ac sub vi coactiva præceptæ illam diminuit; idcirco etsi sub parvæ quantitatis ratione existat, venialem tamen culpam inducere omnino videtur. vide n. 43.

discutitur, ac resolvitur.

XLII. Et quoniam quod supra cibi vetiti semiunciam fit, ad unam accedens, jejunii finibus opponi incipit, ac destruere, illudque sub pœnæ ratione magis magisque diminuere; inde contra Ecclesiæ mentem supra vetiti cibi semiunciam sumens, jejunium solveret.

Quantitas, quæ jejunium solvat relate ad vetitos cibos infertur.

XLIII. Et quia non vetiti cibi quantitatis ratio, ejus pensata natura, ac juxta jejunii rationem relate ad vetitos cibos sub ratione dupla jejunii finibus, servata proportione, opponi videtur, in quantum scilicet tantum detrimenti jejunium patitur per quartam cibi vetiti partem unius unciæ

Et II. Quoad non vetitum cibum relate ad eam quantitatem, quæ culpam ex

cludat sub dupla ratione, ac de vetito cibo supra statuimus, discutitur, ac resolvitur.

ciæ libræ italicæ, quantum per mediam ejusdem italicæ libræ non vetiti cibi unciam; inde fit, quod eodem modo, ac supra n. 40. sub dupla tamen ratione procedendo, materiæ parvitas quoad non prohibitos cibos adinveniri poterit. Sicut ergo ut ibidem diximus, quarta unius unciæ libræ italicæ pars, ejusdem scilicet italicæ libræ quadragesimaoctava quoad vetitos cibos adeo parva repatatur, ut, licet secundum præcipientis mentem non sit, nedum tamen præcipientis menti opponi non dignoscitur, verum, & ex Ecclesiæ benignitate nec præter ejus mentem sub ratione coactiva est, nec venialem culpam involvit; ita semiuncia seu vigegisima quarta italicæ libræ non vetiti cibi pars ob easdem rationes, etsi scilicet secundum præcipientis mentem non sit, quia tamen nedum præcipientis menti non contradicit; verum & ex ejus benignitate nec præter ejus mentem sub coactiva ratione cadere rationabiliter judicatur; inde nec jejunium frangere, nec venialem culpam involvere dicenda est. Non enim in materiæ parvitate considerari tantum debet ejusdem materiæ præsumtio, quæ nempe ante comestionem sumitur; vel jejunium in sua perfectione consideratum; sic enim semper esset imperfectio; & juxta voluntatis conatum, ab abstinentia abhorrentis, absque rationabili caussa etiam in diebus, in quibus non jejunatur, prædictam parvam quantitatem præsumens, certissime venialem culpam incurreret. Neque pensantur legislatoris fines quos in præcepto jejunii intendit, nisi illi, quos sub vi coactiva cadere voluit, ut in superioribus discussimus. Unde, etsi prædictam parvam quantitatem vetiti, vel non vetiti cibi respective extra comestionem sumens, deficiente rationabili caussa, etiam in diebus non jejunio-

niorum ut plurimum venialiter peccaret; quia tamen prædicta respective quantitas relate ad jejunium, ab Ecclesia præceptum, sub vi coactiva cadere non videtur; inde quantum ad jejunii fractionem, spectata legislatoris mente, culpa non consideratur; sed siqua in prædicta parvæ quantitatis ratione culpa dignoscitur intervenire, præcisive a jejunii ratione pensari debet. Quod siquis argumenti vim non dignoscens, sic prædictam discretionem intelligeret, quasi magis urgeret, in diebus non jejuniorum ab illa parva quantitate abstinere, quia in illis peccaret, secus vero in jejuniorum diebus, mentem nostram non assequeretur: dicimus igitur quod, cum jejunii modus a legislatore pendeat, sub cujus præcepto non omnes fines, a legislatore intenti cadunt, sed illi tantum, quos sub vi coactiva cadere voluit; et prædictam quantitatem vetiti, & non vetiti respective cibi sub vi coactiva cadere voluisse non videtur; inde sub vi coactiva jejunii, ejusdem spectato legislatoris præcepto, prædictam parvam quantitatem non cadentem comedens, quantum ad jejunium attinet, non peccat; esto sub alia ratione, ex defectu nempe abstinentiæ, ac mortificationis gulæ nedum in diebus jejuniorum, verum et non jejuniorum, ut plurimum saltem venialiter peccaret. Vide, ac probe intelligas, quæ supra præsertim a n. 24. ad 28. discussimus.

XLIV. Et sicuti, ut n. 41. diximus, cibi vetiti semiuncia, seu vigesima quarta italicæ libræ pars, quatenus jejunii fines non destruit, nec consequenter præcipientis menti contradicit, jejunium non solvit; quia vero præter Ecclesiæ mentem est, jejunium aliquo modo infringens, venialem culpam inducit; ita etsi una non vetiti sibi uncia, seu duodecima libræ italicæ pars non adeo

Parva quantitas, quæ venialem culpam involvat, quoad non vetitum cibum sub ratione dupla relate ad

vetitum cibum designatur.

adeo vires augeat, & confortet, ut jejunii finibus ac præcipientis menti contradicat, nec proinde jejunium solvat; quia tamen præter præcipientis mentem est, jejunantis detrimentum sub ratione pœnæ a præcipiente intentæ, & quoad executionem præceptæ diminuens; inde una non vetiti cibi uncia venialem culpam involvit.

Quantitas, quæ venialem culpam sub ratione non vetiti cibi augere, ac jejunium solvere incipit, designatur.

XLV. Et sicuti, ut n. 42. diximus, quæ supra mediam italicæ libræ vetiti cibi unciam portio est, jejunii finibus opponi incipit, ac destruere, præcipientisque menti contradicere, ac jejunium solvere; ita similiter quia sub dupla procedendo ratione, quæ supra duodecimam italicæ libræ partem non vetiti cibi portio est, jejunii finibus opponi incipit, ac destruere, præcipientisque menti contradicere; inde quæ supra unam italicæ libræ unciam non vetiti cibi quantitas est, jejunium sub ratione non vetiti cibi solvere, venialemque culpam augere incipit.

Et III. Durationis parvitas, quæ relate ad comestionis anticipationem, omnem excludat culpam, discutitur, ac resolvitur.

XLVI. Quoad horam similiter parvam attendi posse quantitatem innegabile videtur, ad quam indagandam, non secus ac in superioribus dictum est, jejunii detrimentum an non secundum, vel præter, aut contra Ecclesiæ mentem sit, attendi debet. Unde sicuti (vide n. 40.) quia quarta duodecimæ unius libræ italicæ, seu quadragesima octava ipsius libræ italicæ vetiti cibi pars; nec non & vigesima quarta (vide n. 43.) ejusdem italicæ libræ non vetiti cibi pars, quatenus nec præter legislatoris mentem sit, nec ipsi contradicat, jejunii fines sub ratione coactiva intentos non destruens, nec minuens, jejunium non frangit, nec venialem involvit; ita quia per horæ dimidium comestionem anticipare etsi non secundum Ecclesiæ mentem sit, quia tamen nec contra, nec præter ejus mentem existit, nec proinde jejunii detrimentum tollit,

nec

nec moraliter illud diminuit; inde per horæ dimidium comeſtionem anticipare jejunium nec ſolvere, nec venialem culpam involvere fatendum videtur.

XLVII. Quia vero quæ ſupra horæ dimidium comeſtionis anticipatio fit, etſi non ſtatim contra, ſemper tamen præter, Eccleſiæ mentem eſſe incipit, ac propterea omnem culpam non excludit; inde ex Eccleſiæ mente, ac jejunii natura ſumpta diſcretio attendi omnino debet. Quia igitur per integram ferme horam comeſtionem anticipare, non ſecus ac de cibi parvitate quoad jejunii detrimentum n. 41. & 44. reſpective diximus, etſi jejunii detrimentum, jejunantis nempe pœnam non tollat, nec Eccleſiæ menti contradicat, & conſequenter nec fines a præcipiente ſub ratione coactiva intentos deſtruat, quatenus tamen, jejunii detrimentum diminuit, ac proinde præter Eccleſiæ mentem exiſtit; inde per integram ferme horam comeſtionem anticipare etſi jejunium non ſolvat, venialem tamen culpam involvet.

Durationis parvitas, quæ venialem culpam involvat relate ad comeſtionis anticipationem deſignatur.

XLVIII. Et ſicuti quoad vetitum cibum, quæ ſupra ſemiunciam ſit portio, & quoad non vetitum cibum, quæ ſupra unciam portio ſit, jejunii detrimentum tollere incipens Eccleſiæ menti (vide n. 42. & 45.) contradicere, ac jejunium frangere, ac proinde venialem culpam excedere incipit; ita ſimiliter quæ ſupra horam comeſtionis anticipatio fit, jejunii detrimentum tollere, ac proinde Eccleſiæ menti contradicere incipit, nec non & fines, ſub vi coactiva a legiſlatore intentos deſtruere; inde quæ ſupra horam comeſtionis anticipatio fit, jejunium ſolvere, ac venialem culpam excedere jam incipere fatendum eſt.

Duratio quæ jejunium ſolvat ac lethalem culpam involvat relate ad comeſtionis anticipationem deſignatur,

XLIX.

Qualitatis culpæ discerniculum in parvitatis augumento ab unius ad alterius progressum discutiendum in genere proponitur: ejusdemque culpæ progressus generales designantur rationes.

XLIX. Et quoniam in materiæ parvitate a culpæ exclusione ad venialis culpæ contractionem, & a veniali culpa ad lethalem culpam contrahendam latitudo admitti debet; Idcirco quoad vetitum cibum, qui supra unius unciæ quartam partem, italicæ nempe libræ quadragesimam octavam partem contingit excessus, non statim venialem culpam involvet; sicut nec statim lethalem, quæ supra semiunciam existit ejusdem vetiti cibi portio; ac similiter qui unius libræ italicæ quoad non vetitos cibos semiunciæ contingit excessus, non statim venialem culpam involvet; sicut nec statim lethalem, quæ supra unciam non vetiti cibi existit portio; nec absimiliter: qui supra horæ dimidium quoad comestionis anticipationem contingit excessus, non statim venialem culpam involvet; sicut nec statim lethalem, quæ supra horam comestionis anticipatio fit. Ad id autem determinandum, doctorum sententiis prætermissis, ex Ecclesiæ mente, ac jejunii natura sumptis rationibus, sic ratiocinari videor: Quia igitur ex parvo, vel magno jejunii detrimento, a præcipientis mente sub vi coactiva intento, venialis, vel lethalis culpæ ratio ex præjactis principiis pensari debet; inde a non culpa ad venialem culpam transitum contingere fatendum erit, cum in jejunante sive quoad vetitum cibum, sive quod non vetitum, sive etiam quoad horæ anticipationem, assignatis proportionibus respective servatis, vires augeri, ac proinde detrimentum pati jejunium inciperet: Ac similiter tunc a veniali ad lethalem culpam contingit transitus, cum in jejunante sive quoad vetitum cibum sive quoad non vetitum, sive etiam quoad horæ anticipationem, servatis similiter respectivis proportionibus, vires augeri, jejuniique detrimentum tale esse inciperet, ut jejunans jejunium nec sentiret.

L. Ple-

L. Plenius autem discussuri, an, quando, & quomodo in jejunii solutione sub aliis spectata rationibus, peccetur; rem istam primum ex rei visceribus, secundum se considerata jejunii natura, per omnes deinde jejunii conditiones aggredimur explicandam. Et certe Caetanus 22. q. 147. art. 3. quoad præsens sic habet. *In jejunii Ecclesiastici, de quo est sermo, observatione duplex virtus invenitur, scilicet obedientia & abstinentia: nam jejunando exequitur homo Ecclesiæ præceptum, & per hoc obedit; & medium, ab Ecclesiastica prudentia determinatum, in cibo, & potu servat, & per hoc abstinet. Juxta dictas autem virtutes duo quoque vitia contrariantur jejunio, scilicet inobedientia, & gula. Ex parte siquidem inobedientæ non est peccatum mortale transgredi simplicia statuta juris positivi, nisi propter contemptum: quoniam solus contemptus est formaliter inobedientia mortalis ... Ex parte vero abstinentiæ, quæ ut medium quoddam præcepta est, non est peccatum mortale, nisi impediatur finis intentus per talem abstinentiam*; nisi scilicet impediatur finis, ab Ecclesia, seu a præcipiente sub vi coactiva intentus. Ad discernendum igitur quandonam ex jejunii transgressione peccetur, discutere oportet, pergit ibidem Caetanus: *quæ, aut qualis est transgressio jejunii, impediens finem; secundo si talis transgressio constituit peccatum mortale. Requiruntur igitur ad primum*, ut scilicet jejunii transgressio impediat finem, ab Ecclesia sub vi coactiva præceptum, *duæ conditiones, una est, ut sit transgressio medii statuti ab Ecclesia; altera est, ut sit impediens finem. Ob defectum primæ conditionis comedens nimis quasi usque ad crapulam in die jejunii, non incidit in casum istum; quia talis excessus non est transgressio medii, ab Ecclesia statuti; nam Ecclesia non obligavit ad quanti-*

Quandonam ex jejunii conditionum excessu peccetur, sub aliis rationibus, virtutis medium lædentibus, in genere ab intrinsecis discutiendum suscipimus.

titatem cibi in die jejunii, sed quoad quantitatem reliquit unumquemque in jure naturæ. Quod si hujusmodi excessus contrarietur statuto Ecclesiæ, per hoc nempe quod *habeat alteram conditionem, scilicet quod impediat finem*, jejunantis nempe detrimentum, ac pœnam, ab Ecclesia intentam, & quoad executionem præceptam, quia *venter plenus spumat libidinem, & mentem deprimit, & vitium facit, aut auget, sequeretur, quod esset solutio jejunii cum peccato mortali*. Unde tali excessu comedens etsi semel comedat, ut jejunii finem, quoad executionem ab Ecclesia præceptum, impediat, corporis nempe pœnam omnino subtrahens, jejunii transgressor ex Caetano existeret; licet cæteroquin hora consueta, ac semel comederet, & a vetitis cibis abstineret. Non quidem jejunii transgressor existeret sub ea ratione, sub qua nimis comederet, cum ciborum quantitas non sit ab Ecclesia in una comestione taxata, sed sub ea ratione jejunii transgressor existeret, sub qua per nimiam comestionem jejunii finem, jejunantis nempe pœnam, quoad executionem ab Ecclesia præceptam, servare renueret. Quod sane intelligi debet, si nimis comedens, servata licet unica comestione, præcipientem, vel præceptum parvi faceret; vel per hoc scilicet, quod parum curaret legislatori obedire quoad pœnam, in jejunante intentam, ac præceptam; vel per hoc quod detrimentum ex jejunio sentire nollet, unde & semel comedendo excederet. Siquis igitur nimis comedens, jejunii finem, carnis nempe macerationem, ab Ecclesia quoad executionem intentam ac præceptam impedire non intenderet, nec renueret, jejunii quidem meritum minuere posset, ejusdem tamen transgressor, si jejunii conditiones ciborum nempe delectum, & unam comestionem

apto

apto tempore faciendam, servaret, existere non videtur.

LI. Quæ discretio est omnino attendenda: Etsi enim debeat a jejunante servari finis, corporis nempe pœna, ab Ecclesia quoad executionem intenta, attendendus quoque erit nimis comedentis finis. Unde eadem 22. q. 147. art. 3. idem Caetanus ad quæsitum respondens, sic habet: *Solvens Ecclesiæ jejunium sine caussa rationabili tam absolute*, Ecclesiæ nempe menti in suo facto contradicens, *quam secundum æstimationem suam*, si scilicet rationabilem illius transgressionis caussam non putaret, sic comedens *peccaret mortaliter, quoniam talis*, scilicet nimis comedens, *& transgreditur medium abstinentiæ, statutum ab Ecclesia, & transgreditur sic, ut impediat legislatorem a fine intento in ipso homine, potente jejunare, dum sine omni rationabili causa medium renuit in se ipso ad finem. Hoc namque est evidenter impedire intentionem legis talis, ut perveniat ad finem, ac per hoc est directe legi obviare. Solvens autem illud ex causa rationabili secundum æstimationem suam*, ab ipsomet scilicet ut tali putata; *absque fraude, vel aliorum, melius judicantium scrupulosos, non peccat mortaliter: quoniam infra latitudinem causæ rationabilis continetur uterque modus rationabilitatis in hac materia, ut communis opinio, & conscientia hominum timentium deum approbare videtur*. Uterque enim modus, vel scilicet per propriam æstimationem, & nulla interveniente fraude; vel per aliorum judicium, melius, ac rectius scrupulosos judicantium putare esse rationabilem causam solvendi jejunium, excusaret a peccato, jejunium solventem. vide n. 24. & 25. ac passim supra.

Prædicta discretio, sub aliis rationibus ulterius explicata, roboratur.

LII. Non placet autem, quod subjungit idem Emus Caetanus, dicens: *Et scito; quod, nisi com-*

In eo præsertim, quod Cae-

T

tanus dicit, vim nempe præceptivam ex interpretatione pendere, discutitur, ac resolvitur.

communis christianæ Ecclesiæ interpretatio susciperet statutum jejunii non esse simplex statutum, sed habere vim præceptivam, stricte sumendo præceptum; verum procul dubio esset, quod non nisi propter contemptum transgressio jejunii esset peccatum mortale: quoniam in simplicium statutorum materia transgressio medii, & impeditio finis, licet sit mala, non tamen mortale inducit peccatum, nisi materia illa ad charitatem dei, aut proximi necessaria sit, quod in proposito constat non habere locum: quia jejunium hujusmodi constat nec ad dei, nec ad proximi dilectionem esse necessarium. Et hæc dixerim, quia ex vi verborum nullibi jejunium Ecclesiasticum invenitur præceptum, loquendo de præcepto stricte. Non placet, inquam; multa enim congerit vel explicanda, vel corripienda. Et sane jejunii præceptum ab acceptatione, seu interpretatione non pendet; quod si ab acceptatione, vel interpretatione penderet, communis æstimatio sufficeret. Et quoniam per ipsum communis æstimatio est legis interpretatio, ac per hoc ad discernendum, utrum sub ratione simplicis statuti, an sub ratione præcepti jejunium ab Ecclesia imponeretur, communis æstimatio de jejunii præcepto sufficeret, sequeretur, quod, ut sit præceptiva lex, a communi existimatione penderet; darique proinde non poterit, nec præceptivam habere vim, si communis æstimatio, seu interpretatio adversetur. Quia igitur communis æstimatio, quatenus per ipsum etiam juridica legis interpretatio est, præceptum vel agnosceret, vel declararet, vel induceret, vel de medio tolleret; inde sequeretur, juxta communem existimationem jejunii legem simplex statutum, vel præceptum reputari. Si igitur a communi existimatione penderet, jejunii legem sub ratione simplicis statuti, vel sub ratione præcepti in.

intelligi; utique, nisi communis æstimatio illud sub ratione præcepti intelligeret, sub ratione præcepti non existeret; Cumque tunc lex non existeret, ejus contemptus dari non posset. Falso igitur supponit, communi existimatione, jejunium sub ratione præcepti non suscipiente, ejus contemptum dari posse. Sibimet igitur contradicere videtur, dicens: *Nisi communis christianæ Ecclesiæ interpretatio susciperet, verum procul dubio esset, quod non nisi per contemptum, transgressio jejunii esset peccatum mortale.* Communi enim deficiente de præcepto jejunii existimatione, ejus lege tunc similiter deficiente, hujus contemptus dari non posset. Quod autem addit, *Jejunium hujusmodi constat nec ad dei, nec ad proximi dilectionem esse necessarium* expositione indigere videtur. Cum enim jejunium ad reprimendam concupiscentiam, ad deo satisfaciendum, & ad mentis elevationem ordinetur; inde tamquam medium removens prohibens, ad deum diligendum ordinatur, non quidem secundum se, sed ex suppositione impedimenti, scilicet peccati. Quod autem in fine subjungit: *Ex vi verborum nullibi jejunium Ecclesiasticum invenitur præceptum, loquendo de præcepto stricte*: omnino fallitur; patet namque contrarium ex Innocentio III. in rubrica de observatione jejuniorum; patet etiam ex Angelico 22. q. 147. art. 3. dicens: *cadit sub præcepto juris positivi, quod est a Prælatis Ecclesiæ institutum*, quod ipse Caetanus scire debuerat; & quoniam ipse vim præceptivam legis in communi æstimatione in sensu exposito collocat, & ex ipsamet communi æstimatione vim legis præceptivam agnoscere intelligit, scire quoque debuerat, communem in Ecclesia æstimationem semper fuisse, ut ex Patrum sententiis constat, jejunium sub Ecclesiæ præcepto existere.

Generales quoad jejunii solutionem assignatæ regulæ singulis jejunii conditionibus applicantur

Et I. Quoad vetitum cibum, an toties jejunii solutio contingat, quoties sumpti cibi moraliter diversa sit comestio proponitur, ac resolvitur.

LIII. Jejunii autem solutione, sub ratione peccati in genere n. 50. & 51. & passim discussa, ejusdem solutionem quoad particulares conditiones discutiendam aggredimur. Quoad hoc autem quærens Caetanus, an quis toties peccet, quoties in die jejunium franget, in 22. q. 147. art. 8. sic procedit: *Ad hoc dicitur, quod, licet diversæ sint in hac quæstione opiniones, rationabiliter distingui potest, quod, cum jejunium contineat tres negationes, scilicet non vesci carnibus; Non comedere plusquam semel in die; Et non comedere ante horam consuetam; non eodem tamen modo se habent ad jejunium istæ negationes, sed duæ ultimæ cadunt sub præcepto jejunii, non nisi ut partes, vel quasi partes constitutivæ jejunii; prima autem* (scilicet non vesci carnibus) *cadit sub præcepto absolute, durante tamen tempore illo, puta quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum. Et propterea quoties quis comedit carnes, aut alios prohibitos cibos in die, toties de novo peccat mortaliter juxta regulam transgressionis præceptorum negativorum. Cadit namque sub Ecclesiæ præcepto, quod in toto illo die non comedantur carnes, sicut cadit sub præcepto dei, quod in toto tempore hujus vitæ non furemur. Et sicut qui commisit semel, vel bis furtum, non excusatur, quin tertio peccet, si tertio furetur: ita qui jam semel & bis comedit carnes, durante tempore prohibitionis, non excusatur, quin tertio peccet, si tertio comedat carnes.* Et paulo post idem refricans, subdit: *quia absolute, & non solum ut conditio jejunii cadit sub præcepto illius temporis. Unde & diebus dominicis Quadragesimæ viget præceptum illud. Et per hoc patet communis opinionis veritas & ratio.* Unde patet quod impotens jejunare, potens vero comedere esuriales cibos, tenetur abstinere a carnibus, etsi non jejunet; se-

secus vero vice versa per Caetanum. vide supra num. 16.

LIV. Quoad peccatum autem per jejunii solutionem sub ratione comestionis cibi non vetiti, idem Caetanus loc. cit. sic prosequitur: *Non quoties autem quis comestiones multiplicat in die jejunii, toties peccat: quia non cadit sub præcepto Ecclesiæ non multiplicari comestionem absolute, sed ut requiritur ad jejunium. Ex quo autem negatio comestionis non potest amplius pro illo die esse conditio jejunii*, post secundam scilicet comestionem, *quia jam jejunium*, per secundam comestionem, *solutum est, sequitur quod*, negatio comestionis post secundam comestionem amplius, *non cadat sub præcepto jejunii. Non fit ergo exceptio in materia hac a regula præcepti negativi, sed declaratur, sub qua ratione hujusmodi negationes cadunt sub præcepto, scilicet ut sunt conditiones jejunii. Et quia prima solutio jejunii*, scilicet per secundam comestionem, *facit, has conditiones non posse pro illo die induere conditionem jejunii; ideo non cadunt amplius sub præcepto jejunii*. In idem recidit Navarri opinio in suo Manuali cap. 21. n. 14. sic asserentis: *sola autem secunda comestio peccatum est, non autem tertia, nec quarta &c. quia illa sola jejunium frangit secundum* Durandum in 4. dist. 16. *quam sequitur recte* Ang. *Sylvest.* verb. *jejunium quæsito 8. dicto 4. quicquid disputet Joannes Major in dicta dist. 15. quæst. 6. modo in tertia, vel ulteriore non edantur cibi vetiti, quia quoties quis edit illos, toties mortaliter peccat secundum omnes*. Et cardinalis Turrecremata inquirens, an sit peccatum toties, quoties quis comedat, can. *Non licet*, sic ratiocinatur: *Sicut viget præceptum, ita & votum. Sed ille, qui vovit virginitatem, & postea contrahit, in primo actu carnalis copulæ peccat, & non in aliis. Ergo simi-*

Et II. Jejunii solutionem quoad non vetitum cibum non nisi per secundam comestionem contingere aliquorum est opinio.

militer in proposito, qui tenetur ad jejunium in prima (illicita, scilicet in secunda comestione post primam licitam comestionem) *comestione, quia jejunium solvit, peccat, & non in aliis.* In eo autem quod asserit, non adeo sana doctrina est quoad votum virginitatis, ut videre est infra n. 57. Ex pluribus autem, quæ subjungit, apparet, eum non mordicus sustinere, jejunium frangi per solam primam comestionem, quæ scilicet sit secunda illicita post primam licitam comestionem, sed anceps est, & meticulosus, nec ejus animus videtur esse definire tamquam certum, quod revera per solam secundam comestionem, & non per tertiam, &c. jejunium frangatur. Ideo autem sentit in secunda comestione peccari, secus vero in tertia, &c. quia durum ipsi videtur, quod Ecclesia ita unicam comestionem permittat, ut plures, seu singulas præter primam sub gravi prohibeat. Per alios vero licet non pluries peccet, pluries comedens, gravius tamen peccare censent comestiones multiplicantem, sicque sentire videtur Durandus apud s. Antoninum part. 2. Tit. 6. cap. 2. §. 9. sic referentem: *sed Durandus dicit in 4. hoc esset tantum unum peccatum mortale, quia fractio unius præcepti pro una die; sed tanto gravius, quanto pluribus vicibus comedit illa die, & istud communius tenetur; & hoc, nisi novo contemptu pluries comederet; quia tunc verum est dictum Joannis*, toties scilicet per comestionem peccari, quoties per contemptum moraliter diversa multiplicaretur comestio. vide supra n. 24. & 25. ac passim.

Jejunii solutionem, ac peccatum, quoad non vetitum cibum,

LV. Contra vero alii nec inferioris notæ doctores, quos inter Franciscus Sylvius; quærens enim, an post secundam comestionem peccet, quoties comederet, in 22. q. 147. art. 6. sic habet: *Responsio affirmativa, & probabilior est, ac omni-*

omnino videtur vera: quia præceptum jejunii, etsi videatur affirmativum quoad formam verborum, in se tamen continet hanc negationem: Non pluries comedes: aut: Non sumes plures refectiones. Atqui contra alia præcepta negativa peccatur toties quoties. Ergo etiam per quascunque post primam multiplicatas comestiones. Idemque sentiens Covarruvias, lib. 4. variarum resolutionum cap. 20. subjungit: *Hinc etiam subsequitur eum peccare contra legem, & præceptum jejunii, qui jam violato jejunio, ea in die per secundum prandium, tertio, aut quarto cibum adsumpserit; denique toties peccare novo peccato, quoties post primum, a jure permissum prandium, comederit*. Cui opinioni favere dicit Joannem Medinam, & Joannem de Neapoli. Et ratio, cui innititur, est; quia enim in die jejunii abstinentia tenetur, ideo *quamvis*, pergit ibidem, *semel violata jejunii lege, non possit illo die abstinentia perfecta uti, poterit tamen ea uti nihilominus quoad reliquam diei partem, atque ideo partim legi satisfacere: nec video qua ratione qui non possit præsertim ejus culpa, totam servare legem, sit exemptus ex hoc ab ejusdem legis vinculo quod eam partem, in qua legem adimplere commode valeat*. Et Prosper Fagnanus de Pactis cap. *Cum pridem* occasione capta simoniæ dubium exponendi, quoad præsens n. 28. dicit: *Qui comedit pluries in diebus jejunii, non solum peccat peccato inobedientiæ, sed etiam peccato intemperantiæ, sive gulæ, quia sobrietas attendit medium, non solum pensatis circumstantiis, quæ sæpe occurrunt, sed etiam quæ tunc accidunt, quando agendum est*, ubi ex Soto sic prosequitur: *dum*, Ecclesia, *abstinentiam quadragesimalem indicit, jejunium illud constituens in virtute abstinentiæ; & ideo non solum ille contra obedientiam peccaret, qui jejunium ex contemptu fran-*

toties contingere, quoties post primam moraliter diversa contingeret comestio, Ecclesiæ menti, jejuniique naturæ conformius videtur.

frangeret; *verum & ille*, post primam comestionem, alteram, vel tertiam &c. addens, *contra abstinentiam*, *qui non ex contemptu*, *sed præ gula id faceret*. In idem inclinat s. Antoninus in summa part. 2. Tit 6. cap. 2. §. 9. *Item*, inquit, *diebus jejuniorum pro qualibet vice*, *qui comedit ultra unam vicem*, *peccat mortaliter secundum Joan. de Neap. in qualibet*, *quia reducitur istud præceptum ad negativa*. Et alii multi sunt præsertim e Religiosorum familiis, mordicus asserentes, nedum per secundam, verum & per tertiam, quartam, &c. comestionem, usque dum scilicet jejunii finis, ab Ecclesia intentus, & quoad executionem præceptus saltem quoad partem perseverare poterit, peccari, non secus ac de præcepto negativo sentientes; etsi cæteroquin, ut per cibi non vetiti comestionem peccetur, major quam per cibi vetiti sumptionem requiratur quantitas, ut supra, præsertim num. 37. & deinceps de materiæ parvitate agentes, introspeximus, discussimus, ac resolvimus. Quin & extra comestionem comedens, duplici posset ratione peccare, & jejunium solvere; sub ratione scilicet comesti cibi vetiti, & sub ratione comesti cibi non vetiti, si vetiti, & non vetiti cibi comestio ratione quantitatis, culpam includentis, una ab alia moraliter diversa, ac prohibita extra scilicet legitimam comestionem perficeretur; secus vero si in permissa esurialium ciborum comestione vetiti cibi quantitatem, quæ culpam includeret, copularet comedens; tunc enim non sub ratione duplicis quoque comestionis, ut patet, sed sub ratione tantum admissi cibi vetiti peccaret comedens. Extra legitimam igitur comestionem sub duplici ratione peccare videtur comedens, si eam cibi vetiti portionem sumeret, quæ a legitima comestione moraliter diversa existens, non eam solam con-

contineret quantitatem, quæ sub cibi vetiti, verum etiam eam contineret, vel compleret, quæ sub non vetiti cibi ratione culpam involveret: Unde quia quarta unciæ pars cibi vetiti in ratione disquirendæ culpæ, eadem est ac non vetiti cibi semiuncia; Et unius unciæ vetiti cibi dimidium idem est ac integra non vetiti cibi uncia; Et una vetiti cibi uncia idem reputatur, ac duplex non vetiti cibi uncia; sequitur, quod, sicuti per duplicem non vetiti cibi unciam jejunium sub ratione duplicis comestionis frangeret comedens; ita per duplicem vetiti cibi unciam, extra legitimam comestionem sumptam nedum sub vetiti cibi ratione, verum & sub non servatæ unicæ comestionis ratione peccaret comedens; secus vero si in legitima comestione sumeretur; tunc enim sub vetiti tantum cibi ratione peccaret comedens. Sub utraque similiter ratione peccaret comedens, si extra comestionem partim ex cibo vetito sub ea quantitate, quæ culpam involveret, partim ex cibo non vetito duas integras uncias comederet; secus vero si eam tantum carnis, seu vetiti cibi portionem sumeret scilicet unam tantum unciam, quæ ratione cibi vetiti jejunium frangeret; tunc enim sub una tantum ratione, non servati scilicet ciborum delectus, secus vero non servatæ unicæ comestionis peccaret comedens. Licet enim una carnis, seu vetiti cibi uncia sub ratione nutritionis duarum unciarum non vetiti cibi substantiam contineat; quia tamen duplicis comestionis ratio majorem requirere videtur cibi quantitatem, quam eam, quæ ad jejunii solutionem sub cibi tantum vetiti ratione sufficeret; idcirco quæ ad jejunii solutionem sub ratione cibi vetiti sufficeret quantitas, ad ejusdem solutionem sub ratione duplicis comestionis sufficere non videtur. Nec mirum si per eam-

eamdem actionem sub una, vel sub duplici ratione peccaret comedens, non secus ac sacerdotem occidens, homicidium, & sacrilegium perpetraret; nec non usque ad meridiem in die festo laborans, sub duplici ratione similiter peccaret, a servili nempe opere non abstinens, & Sacrum omittens. Et notandum, quod nemo ex illis, qui ante Benedictum XIV. sustinebant, quod vetitum cibum, seu carnem comedens, a pluribus comestionibus abstinere non teneretur; vel qui nunc sustinent, quod, fracto per secundam comestionem jejunio, ab aliis comestionibus abstinere non tenetur, dicere ausus fuerit, quod parvam carnis quantitatem, quæ tantum sub cibi vetiti ratione jejunium frangeret, comedens, a pluribus comestionibus abstinere non teneretur. Quod si parvam carnis quantitatem, quæ sub ratione tantum cibi vetiti, ad frangendum jejunium sufficeret, comedens, etiam per illos ab unica comestione non eximeretur; sequitur, quod licet, si tanta esset extra legitimam comestionem carnis quantitas, quæ comesta ad frangendum jejunium sub ratione cibi vetiti sola sufficeret, illud sub ratione tantum cibi vetiti, secus vero sub ratione duplicis comestionis frangeret; secus vero si cibi vetiti quantitas tanta esset, quæ cibi non vetiti quantitatem, ad jejunii solutionem sufficientem, compleret: tunc enim eam cibi vetiti quantitatem comedens, etiam sub ratione duplicis comestionis peccaret. Quod sane in superioribus dictum, discussumque est, non solum scilicet sub ratione delectus ciborum, verum & sub ratione unicæ comestionis jejunii præceptum secundum se, ac juxta Ecclesiæ mentem, veluti sub duplici ratione procedere, ac fidelium conscientiam constringere. Ex quibus eorum hallucinatio dignoscitur, communem esse opinonem di-

dicentium, solum in secunda, secus vero in tertia, quarta, &c. comestione peccari. vide supra n. 24. & 25. ac passim.

LVI. Hanc autem secundam sequi volentes opinionem, non tamquam strictiorem, sed quia Ecclesiæ menti, jejuniique naturæ conformiorem sic subjungimus: Fatemur quidem valde inter doctores disceptari, an qui secundo, vel tertio comederit, toties jejunium frangeret, quoties post legitimam primam comestionem comederit? Quia tamen non comedere nisi una vice, præcipimur, verius sentire videmur cum aliis nec inferioris notæ theologis, sustinentibus, etiam per secundam comestionem fracto jejunio, toties peccari, quoties moraliter diversa repeteretur comestio: sicuti, quia carnium abstinentia sub negativa ratione ab Ecclesia præcipitur, toties peccaret comendens, quoties cibi vetiti, culpam includentis, comestio fieret. Jejunii namque finis, ipsimet intrinsecus, & ab Ecclesia sub vi coactiva præceptus, etiam post secundam, tertiam &c. cibi sumptionem saltem quoad partem obtineri, ac perseverare poterit: Idem autem est præcipere, seu potius unicam permittere comestionem, ac prohibere quamlibet præter unam; qua peracta etiamsi finis ab Ecclesia intentus, & quoad executionem præceptus, per secundam, &c. comestionem perseverare quoad totum non poterit, obtineri tamen poterit quoad partem. In qualibet ergo comestione, præter illam, ab Ecclesia permissam, non præter, sed contra Ecclesiæ mentem ageret, ac peccaret comedens.

Jejunii solutionem per quamcumque, ab unica legitima, moraliter diversam contingere, & peccari comestionem eligitur, ac statuitur.

LVII. Qui autem contra sentiunt, solidis rationibus inniti non videntur; sic enim, vel simili modo ratiocinari solent: Si cui præciperetur, ne vas aliquod frangeret, vel qui virginitatem voveret. Semel fracto vase, vel amissa, etiamsi per

Contraria diluuntur, ac prædicta sententia stabilitur.

si per unum culpabilem coitum, virginitate, præcepti transgressor existeret, secus vero illius fracti vasis partes ulterius comminuens, vel. iterum, etsi culpabiliter, coiens. His autem, aliisque omissis paritatibus, utique in nostro casu diversimode procedendum est. Semel enim fracto vase, cum ad nullum usum inservire possit, illius finis omnino cessat, nec secundum partem perseverat: paritas autem quoad virginitatis votum nos non ferit, immo potius favet, ut ex Angelico observari poterit, 22. q. 88. art. 3. ad 2. dicente: *Mulier, quæ vovit virginitatem, si postea corrumpatur, non solum debet servare quod potest, scilicet perpetuam continentiam, sed etiam de eo, quod amisit, peccando, pænitere.* Unde falsum dignoscitur, quod ibidem dicit Turrecremata: *ille, qui vovit virginitatem, & postea contrahit, in primo actu carnalis copulæ peccat, & non in aliis*: Et primo quidem errat quoad priora verba: etsi enim qui virginitatem voverit, peccet, contrahere volens, legitimo tamen post simplex votum contracto matrimonio, viro voti inscio, nedum non peccat in posterioribus actibus debitum reddens, verum & nec in primo actu carnalis copulæ, si tantum reddat, & non petat; Unde peccavit quidem contra votum, contrahere volens, sed legitime reddens, ne per primum quidem carnalis copulæ actum peccaret, si tantum redderet, & non peteret. Et secundo errat quoad posteriora verba: *Et non in aliis*, non quidem errat, dicens, mulierem, quæ virginitatem voverit, cum viro voti inscio contrahentem, post primum carnalis copulæ actum, debitum reddentem, non peccare; sed quatenus ejus mens est, ita per primum coitum, amissa virginitate, ad nihil aliud sub ratione fracti voti obligationem remanere, ut omnino extinctum post primum coi-

coitum, votum ponat: ita ut consequenter ad ejus mentem si qua virginitatem voverit, fornicetur, amissa per primum coitum virginitate, nedum non peccaret, matrimonium contrahens, verum & nec ulterius fornicatura peccaret, scilicet contra votum: quod esse falsum ex Angelico dignoscitur; tenetur enim facere quantum potest. Licet igitur vota virginitas per culpabilem coitum semel amissa, secundum se irreparabilis sit; quia tamen tenetur facere, quantum potest; inde etiam per secundum, tertium &c. coitum in eo, quod contra votum agere; quodque non facere potuisset, peccaret. Non absimiliter in casu nostro: Licet enim secundo comedens, facere non possit, quod non comederit, jejuniique transgressor non extiterit; quia tamen adhuc post secundam comestionem jejunii finis, qui carnis maceratio est, ac pœna, ab Ecclesia intenta, & quoad executionem præcepta potest quoad partem perseverare, tenetur facere quantum potest, ne penitus jejunii finis sub Ecclesia præceptus, destruatur. Licet igitur aliorum sententia, quia blandior, communior videatur, præterquam quod autem communiorem esse falsum sit, ut n. 55. observavimus, etiamsi tamen communior esset, non proinde verior reputari deberet; Communior quidem putabatur sententia, quod a carne dispensatus, & a jejunio dispensari intelligebatur, non tamen proinde verior, ut ex pluribus a jejunii natura sumptis principiis, a nonnullis etiam ante Benedict. XIV. supra n. 13. ad 16. comprobatis, ac passim a nobis in superioribus demonstratis, ac præsertim ex ejusdem Benedicti XIV. Encyclicis innotescere potest. Per tertiam igitur quoque peccari comestionem omnino teneri debet, nisi ex Ecclesiæ benignitate certo innotesceret, eam, humana pensata fragilitate, ad grave pec-

catum obligare non intendere, nisi ad secundæ comestionis abstinentiam, secus vero, secunda quomodocunque admissa, ad tertiæ quartæ, &c. comestionis abstinentiam: contra tamen: constante præcepto, non comedendi scilicet nisi una vice, ne ad alia etiam transgredienda præcepta sub benignitatis prætextu viam sternere velimus, hujusmodi benignitas præsumi non poterit, nec debebit. vide supra n. 24. & 25. ac passim.

Electa sententia, supra n. 56. posita ex legislatoris mente, jejuniique præcepto explicatur, & confirmatur.

LVIII. Quoad præsens igitur legislatoris mens disquirenda est, ad quid nempe obligare intendat per præceptum non comedendi pluries, obligarene intendit ad non comedendum secundo tantum, an vero ad non comedendum simpliciter nisi semel? Si enim hoc secundum; toties peccatur, quoties præter unicam legitimam comestionem comeditur. (vide supra n. 55.) Et quia aliqui ponunt, præceptum tendere ad non comedendum secundo, (vide n. 54.) inde per istos secundo comedens peccaret; tertia vero, vel quarta vice &c. comedens, ecclesiastici præcepti transgressor non esset. At alii longe melius dicunt, præceptum jejunii non tendere vel ad unam quidem permittendam, vel præcipiendam comestionem, sed ad plures, quam unam, prohibendas comestiones. Una proinde comestio ex vi præcepti jejunii non præcipitur, nec prohibetur, sed permittitur; unica tamen peracta comestione, ulterior comestio, ab illa una moraliter distincta, sub ratione negativa prohibita intelligitur. A secunda igitur inclusive comestione, ac deinceps toties peccabit comedens, quoties comestiones moraliter multiplicaret. Licet enim per secundam comestionem jejunii finis a sua integritate defecerit; quia tamen præcipientis finis quoad partem servari poterit; inde ad illum, saltem quoad partem servandum, ex vi præcepti remanet obli-

obligatio. Quis enim diceret, quod, si aliquis lethaliter hominem vulneraret, a nova lethali culpa esset immunis, si iterum aggrediens, & adhuc vivum reperiens, per aliam moraliter a prima distinctam percussionem, iterum repercuteret, ex eo scilicet quod primum vulnus ad caussandam mortem certissime sufficeret? Etsi enim prima percussio, utpote gravis contra charitatem actio, per omnes lethalem culpam involveret, nemo tamen diceret, quod repercutiens, per secundam percussionem etiam sub acceleratæ mortis ratione iterum non peccaret. Licet enim per primam certissime, ac brevi tempore esset moriturus, deberet tamen facere, quantum posset, ne vitam illius destrueret, immo nec accelераret, ne dicere velimus repercussionem in sensu exposito contra quintum decalogi præceptum non existere. Non secus quod jejunium videtur dicendum: Licet enim posita secunda comestione, vel tertia &c. perfecta jejunii forma amplius reparari, ac præcipientis finis, quoad executionem præceptus in sua integritate servari amplius non possint; ne tamen jejunii finis, pœna scilicet omnino impediatur, a quacunque alia, præter unam, comestione abstinentiæ præceptum perseverare dicendum est: Sicut celebrare, nisi semel in die, prohibitus, nedum secunda vice eodem die celebrans, peccaret, verum & tertio celebrare non posset; nec quarta vice eodem die celebrans, ulterius celebrare poterit: cum enim præcepti finis per singulas vices, perseveret, eumdem per singulas missas, præterquam in prima, transgrederetur eodem die celebrans: Item: qui alicujus vestem laceraret, ita ut ad eumdem usum servire posset; quia tamen quæ remaneret fracta, ad alium usum utilis existeret, ac proinde substantialis prohibitio adhuc in lacerata veste persevera-

rat.

rat; inde eam amplius lacerans, & per hoc proximi damnum adaugens, novamque injuriam faciens denuo peccaret, si altera ejusdem vestis laceratio sit a prima moraliter distincta, ac diversa. Non absimiliter in casu nostro: Etsi per secundam, post primam licitam, comestionem, jejunii finis, ab Ecclesia intentus, ac præceptus, jejunantis nempe pœna, in sua integritate sub jejunii forma reparari non possit, ne tamen penitus destruatur, potest, ac debet per aliarum comestionum abstinentiam impediri. vide supra n. 24. & 25. ac passim.

Contrariis explicatis, & confutatis, electa sententia roboratur.

LIX. Per hoc igitur quod Contra-sentientes respondere poterunt, Ecclesiam non prohibere plures absolute comestiones, sed plures, ne sint contra jejunii formam, quæ per unicam servatur comestionem; ita ut per secundam comestionem destructa substantiali forma, ab Ecclesia præscripta, quia amplius post factum instaurari non potest, non esset amplius peccatum comestiones repetere: vel refricare poterunt fracti vasis, & amissæ virginitatis paritatem; per has, inquam, aliasque hujusmodi sive similitudines, sive paritates, sive theoreticas speculationes, ingenii quidem specimen præbere videntur, veritatem autem assequi non videntur. Nihilque aliud ad summum per hæc, ac similia probare possent, nisi quod potuisset Ecclesia ita plures prohibere comestiones, ut a secunda tantum abstinere obligare intendisset: quod autem ita sentiat, sub judice quæstio est, præceptum autem possidet: Et multo magis ex eo possidere videtur, quod, licet finis legis, ut plurimum non cadat sub lege, secus tamen si finis legis sit ipsamet lex, neque a lege distinguatur, immo & sub lege cadat, sicut ipsa lex cadere intelligitur. Quia igitur jejunii finis, sub vi coactiva a præcipiente intentus, carnis ma-

maceratio est; & multiplicatæ comestiones carnis macerationi contrariantur; inde semper in quacunque, præter unam, comestione jejunii transgressor existeret, ac præcipientis menti contradiceret, comestiones repetens. Ecclesiæ autem mens qualis quoad præsens sit, ex eo venari poterit: Irrationabile enim videtur quod Ecclesia, seu Pontifex a jejunio eximere velit bis comedentem. Quis enim rationabiliter credat, quod Ecclesia, seu summus Pontifex, sive inferior Ecclesiastica, ac legitima potestas, ad macerandam carnem jejunia instituens, ac præcipiens, audiens, me bis comedisse, carnisque macerationem non servasse, non prohibitura, immo & permissura sit tertio comedere? quin & ab aliarum sequentium comestionum abstinentia omnino me eximeret? Potius igitur ex eo, quod carni indulsi, bis comedens, jejunii præceptum veluti explicans, quod carnis macerationem pro fine habet, ne ulterius carni indulgerem, utque substantialem jejunii finem, qui semper in præcepto viget, servarem, ne transgressor ulterius existerem, ab ulteriori comestione præciperet abstinere, non quasi de novo præceptum inducens, sed potius exponens. cum præsertim jejunii essentia, ac natura, ut moralis, ac divisibilis, non ut metaphysica, & indivisibilis intelligi debeat.

LX. Quoad autem ab aliquibus tamquam certum reputatur, quod semel per secundam comestionem fracto jejunio, non amplius ad jejunandum obligatio subsistit; id certe ex eo provenit, quod jejunii finem ab ipsamet jejunii lege distinguunt; Et quoniam finis legis non cadit sub lege; inde arguunt, quod, etsi tertia, quarta, &c. comestio jejunii quidem fini, seu carnis macerationi contrarietur, non tamen ipsimet jejunii præcepto contrariari dicunt. Miror au-

Idem pro electa sententia prosequitur argumentum

autem etiam sapientes, ac doctos, quandoque hallucinari, non secus ac elapsis temporibus quorumdam invaluerat propositio, ordine 14. ab Alexandro VII. damnata dicens: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Absolute enim, ac nulla adhibita discretione, dicentes, *finem legis non cadere sub lege*, non distinguunt inter fines, a legislatore quidem intentos, at sub vi coactiva non præceptos; Et inter fines sub vi coactiva ab ipsomet intentos, & quoad executionem præceptos: ex quibus illi, qui intenduntur, & sub vi coactiva non præcipiuntur, non cadunt sub lege; illi vero fines, qui nedum a legislatore intenduntur, verum & sub vi coactiva præcipiuntur, omnino cadunt sub lege, cum sint ipsamet lex (vide supra n. 24. 25. & passim.) Cum igitur annuæ confessionis, jejuniique finis, justificatio nempe, & cum deo reconciliatio; & carnis maceratio respective nedum a legislatore intendantur, verum & sub vi coactiva precipiantur, cum hujusmodi finis ipsiusmet legis naturam induat, sub lege cadere intelligi omnino debet. Annua igitur valida confessio, ac jejunii observantia in sensu exposito, sub vi coactiva a legislatore, seu ab Ecclesia intentæ, & quoad executionem præceptæ, ab ipsamet validæ annuæ confessionis, jejuniive lege respective non distinguuntur. Si igitur, adhuc secunda posita comestione, jejunii finis, carnis nempe maceratio, a legislatore intenta, & quoad executionem præcepta saltem quoad partem obtineri poterit, sicque quoad partem legi satisfacere; consequenter, etiam posita secunda comestione, & ipsamet jejunii lex respectu illius saltem quoad partem perseverare, & ad illius quoad poterit observantiam, constringere dicenda est. Unde & post tertiam, vel quartam comestionem, jejunii fine

fine quoad executionem ab Ecclesia intento, saltem quoad partem perseverante, jejunii transgressor existeret comestionem repetens. Neque valet dicere, quod, sicuti prohibente Ecclesia potum ante Eucharistiæ sumptionem, non videtur plus peccare communicaturus, qui bis biberit, quam qui semel, ita & in præsenti; non valet, inquam; id etenim esset, quia fracto per primam potionem, sive portionem naturali jejunio, finis cessat, & instaurari impossibile est; nisi forte dicere velimus per ulteriores potiones sive portiones, ratione irreverentiæ, sive intemperantiæ culpam augeri: contra vero in casu nostro: quia adhuc post secundam, tertiam &c. comestionem jejunii finis, ab Ecclesia quoad executionem intentus, ac præceptus, saltem quoad partem perseverat, & reparari potest, per subsequentium scilicet comestionum abstinentiam; inde præceptum non amplius comedendi, seu comestiones non multiplicandi semper vigere dicendum est. Quantum autem ad intemperantiam attinet relate ad jejunii præceptum, si jejunii forma cum suis conditionibus, ab Ecclesia prescriptis, servetur, jejunium sub ratione statuti non solvi ex Angelico eruitur 22. q. 147. art. 6. ad primum dicente. *Quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari propter corporum complexiones, ex quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo indiget; sed ut plurimum omnes possunt naturæ satisfacere per unicam comestionem*. Et licet naturæ jejunium per quamcunque minimam potus, vel cibi quantitatem solvatur, secus vero jejunium jejunantis, scilicet ecclesiasticum; *istud* enim juxta eundem Angelicum loc. cit. ad secundum *non solvitur nisi per ea, quæ Ecclesiæ interdicere intendit, instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, &*

 di-

digestionem ciborum assumptorum; quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat: Et ideo licet pluries jejunantibus bibere. Apposite autem, ac sapienter subjungit: *Si autem quis immoderato potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam, si immoderate cibum in una comestione assumat*; ageret enim contra jejunii perfectionem Ecclesiæ statuto quoad vim coactivam, extrinsecam; & per hoc non sub ratione fracti jejunii, sed sub alia ratione peccaret. vide supra n. 24. & 25. ac passim.

Et III. Jejunii solutionem ex comestionis anticipatione, rationalibus innixa motivis, non contingere, si cum probata præsertim consuetudine societur, probandum assumimus.

LXI. Quoad horæ autem anticipationem an, & quomodo peccetur, explicandum suscipimus. Et certe juxta S. Antoninum part. 2. Tit. 6. cap. 2. §. 10. *Vitiatur jejunium ex horæ nimia anticipatione; circa quod Petrus de Plaude* in 4. dist. 15. *dicit sic: Jejunium frangitur notabili horæ anticipatione sine causa scilicet rationabili*. Et Magnus Tostatus in cap. 6. Matt. q. 172. sic habet: *considerandа tamen sunt in hoc multa: primo ipsa consuetudo regionis: nam si sit consuetudo generalis in aliqua regione jejunantes comedere ante meridiem, non solvetur per hoc jejunium, quia si consuetudo potest facere cibos licitos in jejunio, qui sunt alias illiciti, a fortiori poterit circa tempus facere licitum, quod tali, vel tali hora comedatur, cum nihil istorum sit secundum se malum*. Unde cum loci consuetudo ab Ecclesia probetur; si anticipatio ex rationabili loci consuetudine fit, comestionis anticipatio loci consuetudini conformis contra Ecclesiæ mentem non esset. Ex probata ergo consuetudine comestionem anticipans, jejunium non solveret, nec proinde peccaret. Et pergit ibidem prælaudatus Alphonsus: *Secundo consideranda est conditio regionis: nam, quædam regiones sunt, quarum dies sunt valde magni, scilicet pervenientes ad* 18. *vel* 20,

ho-

horas, & *siquis in his terris cogeretur usque post meridiem expectare ad cibum, natura valde debilitaretur; ideo isti ante meridiem possunt comedere*; Neque consequenter sic comedentes, jejunium solverent, vel peccarent. Et pergit ibidem: *Tertio consideratur in qualibet regione conditio temporis, & hoc propter magnitudinem caloris, vel dierum prolixitatem, aut propter aliqua accidentia, contra quæ male se habet homo jejunus; nam in talibus non oportet expectari horam nonæ, nec meridiem, sed tunc cibum sumi, quando natura potest conservari sine nocumento: Nam licet Ecclesia per jejunia intendat aliqualiter nos affligere, ut sic satisfaciamus pro peccatis; non tamen intendit debilitare naturam, nec nocere: quia istud esset contra charitatem, & tamen jejunia non sunt charitati præponenda*; sicque anticipans nec jejunium solveret, nec peccaret. *Quarto*, pergit ibidem Abulensis, *consideranda est conditio personarum, quia quibusdam est valde nocivum diu manere jejunos scilicet cholericis, & omnibus valde resolubilibus: tamen si ista posset esse causa sufficiens ad excusandum istos totaliter a jejunio, poterit a fortiori esse caussa ad anticipandum tempus cibi, ut tunc comedant, quando eis expedierit*. Et sequitur: *Quinto consideranda est varietas officiorum, vel operationum, & aliarum opportunitatum, ut secundum varias conditiones negotiorum, & operationum ita jejunantes comedant diversis temporibus, sicut eis occurrerit, quia non debent per jejunium impediri alia opera pia, quæ homo facere potest, cum interdum potius jejunium quam opera pia, relinquendum est*, ut dicit Hieronymus relatus de consecr. dist. 5. can. *Non mediocriter*: *Quia rationabilis homo dignitatem amittit, qui jejunium charitati, aut vigilias præfert sensus integritati, ut propter immoderatam psal-*

psalmorum decantationem amentiæ, vel tristitiæ notam incurrat. Et pergit Alphonsus loc. supra cit. *A fortiori Ergo poterit tempus anticipari ad sumendum cibum, exigentibus causis piis, vel honestis, & tunc anticipare tempus nec tollit meritum, nec jejunium aufert; sed quando quis notabiliter anticipet horam ab Ecclesia constitutam sine aliqua causa legitima perdit meritum, & peccat, & forte, ut rationabiliter creditur, jejunium solvit*. Utque ex aliis refert Azorius cap. 11. *Potest quis, præsertim superioris auctoritate, ante horam consuetam comedere causa legendi ad mensam, docendi, iter faciendi, vel suscipiendi, vel ob adventum hospitum, vel alia justa ex causa*; & subdit: *Hæc est communis sententia, & probabilior, & verior, & videtur colligi ex can. solent de consecr. dist. 1. aut saltem ex consuetudine approbata*. vide supra n. 24. & 25.

Jejunii solutionem per comestionis anticipationem rationabilibus non innixam motivis, ea ratione dari, vel non dari continget, qua de durationis parvitate discussimus.

LXII. Quod si causa non subsit; tunc ad discernendum, an jejunium solvatur, ad materiæ parvitatem, in superioribus discussam, recurrendum erit; ubi ex intima jejunii natura, ac rationabili Ecclesiæ mente spectata, satis comprobavimus, per horæ dimidium comestionem anticipare, nec jejunium frangere, nec venialem culpam involvere; per integram vero horam comestionem anticipare, eo quod præter Ecclesiæ mentem sit, etsi jejunium non solvat, venialem tamen culpam involvere; & quia quæ supra horam comestionis anticipatio fit, nedum jejunii finem secundum se destruere, verum & contra Ecclesiæ mentem esse incipit, præsertim si horæ cum dimidio perficiatur duratio; inde quæ sine rationabili caussa supra horam comestionis anticipatio fit, jejunii finem destruere, & contra Ecclesiæ mentem esse incipiens, nedum venialem culpam includeret, verum & passim ad le-

lethalem culpam accederet. vide supra n. 46. ad 48. & passim in superioribus, & n. 24. & 25.

LXIII. Post consuetam autem horam in die jejunii comedens, etiam sine caussa, nec jejunium solveret, nec peccaret, nec meritum amitteret. Unde Angelicus in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. q. 3. sic habet: *Ad primum ergo dicendum quod omittere præceptum Ecclesiæ non licet, sed supererogare licet. Et ideo cum tardatio horæ ad pœnalitatem jejunii faciat, licet tardare horam, sed non anticipare*. Cui consonans Navarrus in suo manuali cap. 21. n. 27. *Licet autem*, inquit, *pro libito proferri horam, modo sine superstitione fiat*, sine fine scilicet synagogæ usum introducendi, vel evangelicæ Ecclesiæ usum contemnendi, cujus rationem assignans Emus Bona in sua Psalmodia cap. 9. §. 3. n. 3. sic eloquitur: *Subtractio prandii ad jejunii integritatem spectat; quare esurialibus diebus (ut Plautino vocabulo utar) quæ fit comestio, cœna, non prandium esse debet: quæ quo amplius differtur, eo amplius abstinentiæ districtio observatur*. vide n. 24. & 25.

Jejunii solutio per comestionis postpositionem non contingit.

LXIV. Jejunii autem solutione in genere n. 23. ad 26. explicata; nec non quoad singulas ejusdem jejunii conditiones n. 27. ad 36. quin & quoad materiæ parvitatem in superioribus n. 37. ad 39. ad 48. discussa; eamdem jejunii solutionem per prandii, seu cœnæ interruptionem, sub quacunque ratione contingentem, discutiendam suscipimus: quæ certe nedum sub parvitatis materiæ, verum & sub ratione finis, ac motivi comestionem interrumpendi, consideranda videtur. Sub ratione quidem parvitatis materiæ, parvæ scilicet durationis considerari poterit, an ea durationis parvitas in comestionis interruptione dari possit, quæ nec jejunium frangat, nec venia-

Jejunii solutio quoad comestionis interruptionem sub quacunque ratione contingentem, discutienda proponitur.

lem culpam involvat? Ac similiter, an ea detur, quæ, etsi jejunium non solvat, venialem tamen culpam involvat? Nec non an ea detur, quæ in comestionis interruptione & jejunium solvat, & lethalem culpam involvat? Ad quæ sane discutienda, non illæ parvæ durationis rationes relate ad comedendi horam supra num 46. ad 48. explicatæ, valere poterunt: quæ enim, relate ad comedendi horam, parva temporis duratio est, nullam, vel saltem venialem culpam involvens, hic, sub ratione scilicet interruptæ comestionis reassumendæ, lethalem fortasse includeret. Ad eam igitur interruptæ comestionis disquirendam durationis parvitatem, sub aliis principiis innixis rationibus, ejusdem interruptionis rationes disquirere, discutere, ac distinguere oportebit; utrum scilicet ex placito; an ex negotio, vel aliquo rationabili motivo? Item: utrum ex fine iterum reassumendi comestionem, vel ab ea omnino cessandi interruptio contigerit?

Durationis parvitatem in comestionis interruptione, non ex rationabili motivo, sed ex placito, ac sine fine illam reassumendi, contingente, ab omni culpa excusantem, vix assignari posse sentimus.

LXV. Et certe parva duratio, quæ precisive a quocunque fine iterum reassumendi comestionem, ac præcisive a quacunque necessitate, vel negotio, licitam faciat interruptæ comestionis prosecutionem, assignari vix poterit; nisi forte sub illa generali regula, sub cujus ratione incœpta comestio, ejusdemque interruptæ reassumptio unam, moraliter intellectam, faciat comestionem. Durationis namque parvitas, quæ præcisive a quocunque fine iterum reassumendi comestionem, ac præcisive a quacunque necessitate, vel negotio licitam reddat interruptæ comestionis continuationem, non ex proprio cerebro, sed ex Ecclesiæ mente, legalibusque principiis innixa intelligi, ac præsumi debet. Ecclesia autem annuere non videtur, neque ratio-

tiones, legalibus principiis innixæ, adinveniri poterunt, quæ nos inducant ad tenendum, quod ex placito, & non ex fine iterum reassumendi, neque ex negotio, vel necessitate comestionem interumpens, mutata voluntate, comestionem reassumens, licite continuare posset. Unde ex Ecclesiæ mente, legalibusque principiis nulla durationis parvitas ab omni culpa illum excusare videtur, qui ex placito, & non ex negotio, vel necessitate comestionem interrumpens, ac surgens cum intentione non amplius illam reassumendi, mutata deinde voluntate, illam reassumat. Hac ratione ductus ex Archidiacono Martinus finem non reassumendi considerans, in suo manuali cap. 21. n. 14. sic habet: *Qui, facta cœna, de mensa surrexit, voluntate amplius non comedendi, & postea redit ad eam, & comedit, videtur frangere jejunium secundum Archidiaconum* in can. *Non licet de consecr. dist.* A culpa igitur non excusabitur reassumens, si ex placito, & absque rationabili motivo, immo absque fine reassumendi, comestionem interruperit. Et Azorius de 2. Ecclesiæ præcepto cap. 9. jejunium frangere asserit, qui comestionem interrumpens, animo non amplius ad illam redeundi, iterum tamen rediens, illam reassumat; nisi forte, & quidem meo videri sustineri poterit, adeo sit parva duratio, ut omnino eadem reputetur moraliter comestionis reassumptio: in qua certe comestionis reassumptione, etsi perpauca intercepta fuerint minuta, in sensu tamen exposito, si animo scilicet non reassumendi, & non ex negotio, vel alia rationabili caussa interruptio facta sit, ac sine rationabili caussa reassumeatur comestio, venialem saltem culpam non excluderem. vide n. 22. & 25.

Unius quadrantis duratio in comestionis interruptione, non ex placito, sed ex rationabili motivo licet cum fine illam non amplius reassumendi, contingente, ab omni culpa excusare videtur

LXVI. Contra vero ex Ecclesiæ mente videtur dari posse durationis parvitas, siquis cum intentione licet amplius non comedendi, e mensa surgit non ex placito, sed ex negotio, vel necessitate; vel si iterum reassumere velit, ex indigentia, quam e mensa surgens, etsi cum intentione non amplius comedendi, non præviderat; vel si præviderat, re melius considerata, reassumere judicet. Hujusmodi autem durationis parvitas, quæ ex Ecclesiæ mente in sensu exposito per comestionis reassumptionem nec jejunium solvat, nec venialem culpam involvat, non ea erit, quæ supra n. *46.* assignata est, sed per dimidii subtractionem, non plus scilicet, quam uno quadrante extendi posse videtur. Licet enim qui e mensa surgit cum intentione amplius non reassumendi, etsi cæteroquin ex negotio, vel necessitate surgat, ut iterum, etsi infra quadrantem reassumat, secundum Ecclesiæ mentem non agat; quia tamen ex ejusdem Ecclesiæ benignitate nec præter, nec contra ejus mentem esse videtur infra quadrantem iterum reassumere comestionem; inde ex negotio, vel ex necessitate surgens cum intentione licet non amplius comedendi, infra quadrantem tamen, mutata voluntate, comestionem reassumens, nec jejunium ex Ecclesiæ mente solvere, nec venialem culpam incurrere videtur, & multo magis, si non bene saturatum surrexisse dignoverit. vide n. *64.* & *69.*

Quæ supra quadrantem infra mediam horam est durationis parvitas, in comestionis interru-

LXVII. Quia vero, quæ supra quadrantem est temporis duratio, quantum ad comestionis reassumptionem in sensu exposito attinet, nedum secundum Ecclesiæ mentem non est, verum & præter, vel contra ejus mentem existit; inde elapso quadrante, iterum reassumens, culpam incurrere incipit. Qui igitur cum intentione amplius non reassu-

men-

mendi comestionem, ex negotio, vel necessitate interrumpit, si elapso quadrante, comestionem reassumit, præter Ecclesiæ mentem agere incipiens, a veniali saltem culpa immunis non existeret. Etsi enim quatenus Ecclesiæ menti non contradicat, nec jejunii finem destruat, jejunium non solveret, nec lethalem culpam involveret, quia tamen illa comestionis reasumpto in casu posito jejunantis detrimentum, ac pœnam qui est finis sub vi coactiva ab Ecclesia intentus, & quoad executionem præceptus, diminuit, ac proinde præter Ecclesiæ mentem esse incipit, sequitur, quod in casu posito infra horæ dimidium elapso quadrante, comestionem reassumens, venialem saltem culpam inccurrere incipit. vide in superioribus, ac præsertim n. 24. & 25. & infra n. 69.

ption, non ex placito, sed ex rationabili motivo, cum fine tamen illam non reassumendi, contingente, non quidem a veniali, sed a lethali tantum culpa reassumentem excusare videtur.

LXVIII. Quod si absque intentione iterum reassumendi, licet ex negotio, vel necessitate aliave rationabili caussa comestionem interruperit, media tamen elapsa hora, voluntate mutata, eam iterum reassumat, quia sic jejunii finem destruere, & contra Ecclesiæ mentem agere incipit, jejunii detrimentum, ac pœnam, sub vi coactiva ab Ecclesia præceptam impediens; inde in casu posito reassumens, lethalem culpam incurrere, ac jejunium solvere incipit. n. 69.

Media elapsa hora, in casu posito reassumens, lethaliter peccare incipit.

LXIX. Quod si ex placito, sive ex necessitate, ac negotio e mensa surrexerit cum intentione non amplius comedendi, non advertens indigere ulteriori comestione; infra mediam tamen horam non bene saturatum surrexisse advertens, ulterioris comestionis indigentiam recognoverit; quia sic posito casu, comestionem iterum reassumens, contra Ecclesiæ mentem agere non videtur, immo & illa cibi reassumptio quasi complementum unius comestionis, ab Ecclesia permissa re-

Quo sensu ex placito, sive ex negotio, vel ex necessitate surgens e mensa, cum intentione non amplius comedendi; iterum tamen

pu-

reassumens a culpa excusari possit, proponitur, ac resolvitur.

putatur; inde infra mediam horam, in sensu exposito, iterum reassumens, nec jejunium solvere, nec lethalem culpam incurrere videtur. Grave etenim onus sustinere cogeretur, si non plene saturatum se recognoscens, usque ad sequentem diem comedere prohiberetur. Cumque, sic posito casu, illa comestionis reassumptio nedum non contra, verum & nec præter Ecclesiæ mentem præsumatur; inde in casu posito nedum non lethalem, verum & nec venialem culpam involveret.

Lectoris præjudicium prævenitur.

LXX. Subire tibi forte poterit, benevole lector, quasi me corripiens, dicens, materiæ, seu durationis parvitatem in necessitate locum habere non posse, cum necessitas a quacunque jejunii conditione, quin immo ab omnibus simul excusare possit, & a culpa etiam veniali eximere. Si id opponis, verum quidem dicis, at mentem meam non assequeris. In præsentiarum namque sermo non est, an plures ex necessitate liceant in die jejunii comestiones? Sic enim inter unam, & aliam comestionem durationis parvitatem inquirere non oporteret. Sermo igitur procedit ad inquirendum, quænam, & in quo casu temporis duratio parva dicatur, ut infra eam comedens, etsi comestionem interruperit, iterum tamen reassumens, non bis sed semel comedere moraliter dici possit? Cum enim in omni ferme præcepto ad illius excusandam transgressionem, materiæ parvitas ut plurimum adinveniri possit, etiam in temporis duratione parvitas inquiri posse videtur, quæ in jejunii transgressione vel a quanto, vel a toto quoad peccatum excuset. Sub ratione autem parvitatis durationis non excusantur comestionem reassumens, a jejunii transgressione, si illa comestionis reassumptio duplicem moraliter faceret cum pri-

prima comestionem, sed potius sub ratione necessitatis excusari poterit. Durationis ergo parvitas locum habere non poterit, si de duplici comestione sermo procedat. Si enim duplex futura esset comestio, durationis parvitas non esset, sed magna temporis duratio, vel secundum se, vel quatenus non moraliter una esset cum reassumptione comestio. Si ergo sub ratione parvæ durationis considerari poterit moralis interruptio, datur locus dicendi, illam comestionis reassumptionem, quasi prioris complementum, unam cum prima moraliter efficere comestionem; quam comestionis unitatem moraliter consideratam, nedum ex motivo, verum & maxime ex fine iterum reassumendi considerari oportebit.

LXXI. Quodsi cum intentione iterum reassumendi e mensa surrexerit, distinguere oportet, utrum ex placito, an ex rationabili motivo surrexerit, comestionem iterum reassumpturus: Si enim ex placito surrexerit, comestionem iterum reassumere intendens, & sic, si nondum plene saturatus fuerit, ex quocunque fine surrexerit, etiam ne jejunii detrimentum plene sentiret, infra mediam horam reassumens, nec jejunium solvere, nec lethalem culpam incurrere videtur: infra mediam namque horam reassumens (vide n. 24. & 25.) contra temperantiam peccare quidem poterit, ac jejunii meritum perdere, vel saltem diminuere; quia tamen Ecclesia, etsi unicam permiserit comestionem, cibi tamen quantitatem non taxavit, quin & in una comestione saturari, quantum ad jejunii præceptum, sub vi coactiva servandum, attinet, contra Ecclesiæ mentem non sit; inde, quia non plene saturatum e mensa surrexisse ponimus, cum intentione iterum reassumendi, & media hora, utpote parva du-

Qua ratione durationis parvitas culpam involveret, vel non includere dicenda sit, in eo, qui ex placito, ve ex rationabili motivo comestionem interruperit, cum intentione eam reassumendi proponitur, discutitur, ac resolvitur.

duratio, respectu illius, qui cum intentione continuandi comestionem interruperit, moraliter unam cum prima reassumptionem facit; hinc in sensu exposito infra mediam horam comestionem reassumens, jejunii finem, ab Ecclesia quoad executionem præceptum, non destruit; & consequenter nec contra Ecclesiæ mentem ageret, nec jejunium solveret, nec lethalem culpam quoad jejunii læsionem incurreret. A veniali tamen culpa in casu posito excusari non videtur, non quatenus media elapsa hora, comestionem reassumit, sed quatenus ex placito, & non ex necessitate, nec aliquo rationabili motivo interruperit. Etsi enim, media tantum interposita hora, per illam intentionem iterum reassumendi, quatenus parva duratio est, moraliter una efficiatur cum prima comestionis reassumptio, propter quod, cum nec jejunii finis destruatur, nec contra Ecclesiæ mentem sit, nec jejunantis pœna tollitur, jejunium non solvitur, nec lethale peccatum involvitur; quia tamen illa comestionis interruptio, cui infra mediam horam succedit reassumptio, ex placito procedit; inde, etsi jejunii fines non destruat, nec præcipientis intentioni contradicat, quia tamen aliquo modo jejunii detrimentum, ac pœnam, ab Ecclesia sub vi coactiva intentam (vide n. 24. & 25.) diminuit, propter quod præter Ecclesiæ mentem facta sit illa ex placito reassumptio, & interruptio, consequenter ex placito interrumpens, & in sensu exposito comestionem reassumens, venialem culpam incurret. Quod si ex rationabili causa, absque pravo fine, & cum intentione comestionem reassumendi, eam interruperit, etiam infra horam cum rationabili causa reassumens, a veniali quoque culpa ex Ecclesiæ benignitate excusari poterit. vide n. 24. & 25. & 65.

LXXII.

LXXII. Et quia inter peccata major, vel minor sub eadem peccati ratione intervenire poterit culpa; inde fit, quod, licet, ſiquis ex placito comeſtionem interrumperet, eam iterum reaſſumpturus in ſenſu n. 71. expoſito, eamque reaſſumens, jejunii pœnam minueret, tamen ob durationis parvitatem, ac finem reaſſumendi, præcipienti non contradicens, nec jejunii finem deſtruens, non lethaliter, ſed venialiter tantum peccare videatur; attamen finem ſuperaddens minuendi, vel non ſentiendi jejunii detrimentum, ac pœnam, ab Eccleſia ſub vi coactiva intentam, ac præceptam, venialem culpam augeret, comeſtionem reaſſumens: quin immo ſi ex placito interrumperet, etſi cum intentione iterum reaſſumendi, quia tamen ex placito comeſtionem interrumpenti, & ultra mediam horam reaſſumenti Eccleſiæ benignitas ſuffragari non videtur; inde fit, quod, etſi animo reaſſumendi comeſtionem interruperit, ſi tamen ultra mediam horam reasſumat, lethalem culpam incurrere incipit. vide n. 24. & 25. & 65.

Sub qua ratione, ex placito facta comeſtionis interruptione, venialem culpam includeret reaſſumptio, finem tamen contra Eccleſiæ mentem addens, culpam augeret, diſcutitur, ac reſolvitur.

LXXIII. Aliter autem ratiocinandum erit, ſi non ex placito, ſed ex negotio, vel alio rationabili motivo, & cum intentione iterum comeſtionem reaſſumendi, contingat interruptio. Cum enim, rationabili interveniente motivo, contra Eccleſiæ mentem non ſit comeſtionem interrumpere; inde fit, quod in caſu poſito illam interrumpens, & iterum reaſſumens, nec jejunium ſolveret, nec peccaret. Inquirendum autem hic eſt, quanta in caſu poſito temporis duratio aſſignari poterit, ut una moraliter dicatur cum prima comeſtionis reaſſumptio, ſive ut non peccet, ſic agens; ſive ut venialem tantum, vel lethalem culpam incurrat? certum quidem eſt majorem debere admitti durationis parvitatem, ſi non

Quo ſenſu, & quanta ſit culpa, ſi non ex placito, ſed ex rationabili motivo cum fine reaſſumendi comeſtionem, facta interruptio contingat, peculiaribus rationibus diſcutiendum aſſumimus.

ex

ex placito, ſed ex negotio, vel alio rationabili motivo cum intentione iterum comeſtionem reasſumendi, illam interrumpat: quam ſi ex placito, ac ſine rationabili motivo cum intentione ſimiliter illam reaſſumendi, interrumperet; & multo minorem, ſi ex placito, vel rationabili motivo cum intentione tamen non amplius comedendi, interrumperet.

Qua ratione durationis parvitas in comeſtionis interruptione, cum intentione iterum reaſſumendi, relate ad culpam conſiderari debeat, diſcutiendum proponitur.

LXXIV. Unde ſi, ut diximus n. 65. ex placito e menſa ſurgens, cum intentione iterum non reasſumendi, infra quadrantem tamen illam reaſſumens, vix a veniali culpa excuſabitur; Et ut diximus n. 66. ex negotio e menſa ſurgens, cum intentione iterum non reaſſumendi, infra unum tamen quadrantem reaſſumens, præſertim ſi ſaturatus non fuerit, præter Eccleſiæ mentem non agens, venialem culpam non incurreret: & ut diximus n. 67. Et rationabili motivo interrumpens, etſi cum fine illam non reaſſumendi, infra mediam tamen horam in ſenſu expoſito reasſumens, venialem culpam contraheret, vel eam augeret; inde ſi non ex placito, ſed ex negotio, vel rationabili alio motivo cum intentione iterum reaſſumendi, comeſtionis interruptio fiat, major durationis parvitas ad culpam, ſive ad jejunii ſolutionem requiritur, quamſi ex placito. Ad quod explicandum, diſcutiendum videtur, qua ratione durationis parvitas in comeſtionis interruptione cum intentione iterum reaſſumendi, ab omni culpa excuſat, vel venialem includat; quod ſane per comparationem ad interruptionem cum fine non reaſſumendi, primo proponitur.

Qua ratione durationis parvitas infra horam in comeſtionis

LXXV. Unde in ſenſu expoſito una ferme hora parva videtur, ut ſcilicet comeſtionis reaſſumptio moraliter unam cum prima efficiat comeſtionem. Cum enim comeſtionis quantitas ab Eccleſia non taxetur; inde ſicuti contra Eccleſiæ

men-

mentem non ageret, si in una physica comestione ulterius comedisset per majorem scilicet durationem inceptam comestionem produxisset; ita nec contra Ecclesiæ mentem esse videtur primam comestionem, ex rationabili motivo cum intentione illam reassumendi, interruptam, infra horam continuare, & moraliter unam per illius reassumtionem complere comestionem. Etsi enim absque rationabili motivo mortificationi, jejunio annexæ, non adeo conforme videatur, nec sit, una hora cum dimidio comestionem continuare; quia tamen jejunii substantiam non destruit, contra præcipientis mentem non existens, illud non frangeret; quanto magis illud non frangeret, non quidem una hora cum dimidio physice comedens, sed ex rationabili motivo, & cum intentione reassumendi comestionem, una hora cum dimidio primam comestionis partem, ejusdemque reassumptionem, inter posita quoque interruptionis duratione, absolute complens? Unde si, ut n. 71. diximus, ex placito cum fine tamen reassumendi, comestionem interrumpens, et infra mediam horam reassumens, dempto saltem pravo fine, non nisi venialem patraret culpam; Inde si non ex placito, sed ex rationabili motivo, cum intentione reaussumendi interrumperet, etiam media elapsa hora, reassumens, a veniali quoque culpa excusari videtur: cum sic posito casu, infra horam reassumens, nec contra, nec præter Ecclesiæ mentem agere videatur; præsertim, si non bene saturatum se dignosceret. vide supra n. 24. & 27. & 70.

interruptione, non ex placito, sed ex rationabili motivo, & cum fine reassumendi, contingente, etiam a veniali culpa excuset, secundum se per contrapositionem ad superiores doctrinas declaratur.

LXXVI. Quia vero in casu posito ultra horam reassumens, etsi cum intentione iterum reassumendi, comestionem interruperit, si cum sufficientia saturatus surrexerit, contra Ecclesiæ mentem agere, jejuniique finem destruere incipit, ac forte de-

Durationis parvitas in casu exposito, etiam cum fine reassumendi, ultra ho-

rem licitam reddere reassumptionem si saturatus surrexerit, non intelligitur.

destruit; inde comestionem interrumpens ex rationabili licet motivo, & cum intentione iterum reassumendi, hora tamen elapsa reassumens, etiamsi cum sufficientia saturatus, ad negotium surrexerit, jejunium solvere, ac lethalem culpam incurrere videtur. Intervenit enim tacitus quidam consensus non sentiendi jejunii detrimentum, ac pœnam, ab Ecclesia sub vi coactiva intentam, & quoad executionem præceptam. vide n. 24. & 25. & passim in superioribus.

Contra evenit in casu posito, si non sufficienter saturatus surrexerit.

LXXVII. Quod si in casu posito ex rationabili scilicet motivo surrexerit, cum intentione iterum reassumendi non tamen cum sufficientia saturatus emensa surrexerit; quia sic, concurrentibus nempe rationabili interruptionis motivo, ac intentione iterum reassumendi, & quod non plene saturatus surrexerit, elapsa hora reassumens nec contra Ecclesiæ mentem, nec contra jejunii finem agere videtur; inde ex rationabili motivo, & cum intentione iterum reassumendi, non plene saturatus interrumpens, elapsa hora reassumens, jejunium nec solvere, nec lethalem culpam incurrere videtur. Et licet si specialem indigentiam non agnosceret, ultra horam reassumens, quatenus præter Ecclesiæ mentem ageret, & jejunii fines infringeret, venialem saltem culpam non effugeret; ab ea tamen in casu posito excusari videtur, si, non plene saturatus cum surrexerit, ulterioris cibi indigentiam pro sui sustentatione recognosceret. vide n. 24. 25. & passim, ac n. 70.

In comestionis interruptione duplici elapsa hora non amplius sub

LXXVIII. Quodsi duabus elapsis horis, reassumere velit, etiamsi ex negotio, vel alio rationabili motivo, & cum intentione iterum reassumendi, comestionem interruperit, tunc non amplius sub parvæ durationis ratione, nec con-

ſequenter ſub ratione unius moralis comeſtionis, ſed ſub duplicis comeſtionis ratione conſiderari oportebit. Unde nullo habito reſpectu ad negotium, ac rationabile motivum interruptæ comeſtionis, neque ad intentionem iterum reaſſumendi, quin immo neque an plene, vel non plene ſaturatus interruperit; eodem modo duobus elapſis interruptionis horis, quoad comeſtionis reaſſumptionem diſcurrendum erit, ac ſi inquiratur, an duplex neceſſaria eſſet comeſtio; an ſcilicet ab unica comeſtione pro illo die eximeretur, & altera permitti poſſit; quæ certe ſolutio non eſt hujus loci, in quo de obligatione jejunandi agimus, ſed ad caput quartum pertinet, in quo de exemptionibus agere conſtituimus.

ratione parvæ durationis, & conſequenter non amplius ſub unius moralis comeſtionis, ſed ſub duplicis comeſtionis ratione ſermo procedit.

LXXIX. Quoad mediam autem noctem multa congerunt doctores; diſtinguentes enim aliqui mediam noctem jejunium antecedentem, & mediam jejunium ſubſequentem, ſic ratiocinantur. Eo quod in media nocte, jejunium antecedente, libertas poſſidet, & non jejunii præceptum; in media vero nocte, jejunium ſubſequente, jejunii præceptum poſſidet, & non libertas; inde in dubio mediæ noctis, jejunium antecedentis, comedere poſſe dicunt ad jejunium die craſtina obligatum. Melius vero procedunt de media nocte, jejunium ſubſequente. Qui certe, quiqui ſint, etſi non in eo errent, quod dicunt præceptum poſſidere relate ad mediam noctem, jejunium ſubſequentem; errant tamen in eo, quod dicunt, libertatem, non jejunii præceptum in dubio de media nocte poſſidere, relate ad mediam noctem, jejunium antecedentem. In poſitivo namque dubio circa mores, præceptum, non libertatem poſſidere tenendum eſt; in dubiis namque facti, ad mores præſertim ſpectantibus, ſemitam debemus eligere tutiorem.

Opinionum diſcretio quoad dubium de media nocte proponitur.

Adversariorum præjudicium quoad possidentem libertatem in dubio de media nocte, jejunium antecedente, discretione adhibita, demonstratur, & confutatur.

LXXX. Quod autem sub diversis terminis dicunt libertatem obligatione dubia non ligari, id intelligi non potest, quando constat dari præceptum de jejunio, sed ad summum, quando dubium est pure negativum, ut in similibus cap. 2. n. 24. part. 1. statuimus; ut esset, si me Romam transeunte, nullo fundamento, nullaque habita cognitione de jejunio die prima Februarii sive ex præcepto, sive ex obligante consuetudine inducto; mea tunc libertas non ligaretur obligatione negative dubia, si me invincibiliter tale jejunium ignorare pono, sicut & de singulis anni diebus jejunio non addictis, de quibus etiam sub negativo dubio superfluum putarem alios interrogare, & multo magis si non haberem, quem interrogarem. Cum enim per dubium negativum dubitare possem, an quocunque die ante festum in loco mihi ignoto, ac transeunti, jejunii obligatio esset, valde onerosum foret in his, ac similibus negativis dubiis de singulis inquirere, quin & valde sophisticum: inde ex rationabili Ecclesiæ mente, tale onus per singula inquirendi, nisi oblata occasione, vel saltem ad sedandam, si forte esset, conscientiæ anxietatem, dari non præsumitur. Contra vero si præceptum constat, dies nempe jejunio addictus; constat item a vetitis cibis abstinendum, & non nisi semel hora debita, comedendum: Et tunc sicut in dubio, an aliquis cibus sit de genere prohibitorum, vel non, durante dubio, comedere non possem; ita similiter, etiam si in die, jejunium antecedente dubium sit, an media nox transierit; quia tamen a media nocte antecedente, jejunii præceptum possidere incipit; inde non jejunium, sed libertas jejunii præcepto accommodari debet. Quod non intelligent, qui suo videri speciosi theologi reputantur; quin & veritatis criterii inventores se-

ſe jactitantes, ab aliis non intelligi judicabunt.

LXXXI. Aliud autem eſſet dubitare de horologiorum varietate, quorum certe, niſi notabilis coſtaret error, ſingula etiam ultimum, ſecuram conſtituerent conſcientiam. Unde in ordine divini officii, Romæ recitandi, in tabulis prepetuis in ultimis ante primam tabulam lineis ſapientiſſime declaratur: *ſi alicubi plura ſint horologia, poterit quiſque eo uti, quod maluerit, etiam ſi cæteris citius, vel tardius pulſet; dummodo inæqualitas talis non ſit, ut errorem notabilem indicet*. Et licet iſtæ tabulæ non omnes mundi plagas, ſed Italiam, Neapolim, Romam, & circumſtantem Eccleſiaſticum ſtatum, Umbriam, Anconam, ſtatum Urbini, Hetruriam, Corſicam, & Sardiniam, quantum ad mediæ noctis tempus taxandum pertinet, dirigant; quantum tamen ad doctrinæ veritatem ſpectat, a quacunque provincia aſſumi poterunt, habito ſemper reſpectu ad proprium determinatum mediæ noctis tempus, uniuscujusque provincia, ac loci proprium, & ad mediam noctem indicandam ordinatum. Quid in dubio de horologiorum varietate tenendum ſit, diſcutitur, ac reſolvitur.

LXXXII. Sicubi autem horologia non ſint, ut in villis quibusdam, & inferioribus oppidis contingit, quorum incolæ per ſigna quædam, communemque æſtimationem, mediam noctem aſſe qui ſolent; in his, ac ſimilibus ruſticorum locis ſigna illa, ex communi, & probata æſtimatione, mediam noctem indicantia, pro horologio haberi poſſunt, ac debent, quibus tranſactis, non ſecus ac ultima ultimi horologii pulſatio data fuerit, reputari debet. Unde ſicuti ultima elapſa in cultioribus locis horologii pulſatione, ita & in villis, & ruſticorum locis, mediæ noctis ſigno, qualecunque ſit, tranſacto, jejunii finis, ſive terminus contigit, ſi media nox illud ſubſequatur; nec non & jejunii initium erit, ſi media nox illud præcedat. Quo ſigno uti liceat, ubi horologia deſint, proponitur, ac reſolvitur.

LXXXIII.

Eorum confutatur opinio durationis parvitatem contra Ecclesiæ præceptum relate ad mediam noctem admittentium

LXXXIII. Nec audiendi sunt asserentes, quod media nocte jejunium antecedente, per dimidium quadrantis, vel per quadrantem, vel per quadrantem cum dimidio elapsa, dummodo media hora non transierit, comedens, subsequens jejunium non frangeret, ac posset mane missam celebrare, vel Eucharistiam sumere; in eo innixi, quod incertum sit mediæ noctis punctum; & cum libertas, ut dicunt, obligatione dubia non ligetur, posset quis in casu posito sua uti libertate; item in eo, quod media hora est parva temporis quantitas. Quam temere autem sentiant, siqui forte hanc opinionem sustinent, ex eo dignoscuntur: Quia enim media nox physice, seu astronomice considerata, ab eo pendet, quod sol in illius loci puncto *Nadir*, ex diametro *Zenith* puncto respondente, relate ad diei elapsi meridiem existat; quod sane punctum pro rei veritate assequi, quod in instanti consistit, ut plurimum nemo poterit; ob irregulares enim, ac variabiles instrumentorum, quibus metiri solet motus, regulas; punctum illud invenire moraliter impossibile reputatur; hinc Ecclesia ad astronomicum punctum, pro rei veritate in singulis locis proprium, assequendum minime attendens, mediam noctem ex peritorum Astronomorum observationibus in suis respective provinciis grosso modo dignoscens, præcipit, ut a tali puncto, scilicet a mediæ noctis, jejunium antecedentis, dato puncto, per signa quædam manifestato, ad punctum usque sumendæ Eucharistiæ, vel quoad jejunium, ad punctum usque mediæ sequentis noctis, per artificialia signa dignoscendum naturale, vel ecclesiasticum jejunium respective servetur. Adeo autem verum est, Ecclesiæ mentem esse non ad physicum, seu astronomicum punctum, sed ad artificialia signa, astronomicis

fun-

fundata obſervationibus, ac peritorum innixa doctrinis, mediam noctem indicantia, attendere, ſicque fidelium conſcientiam conſtringere, ut, licet ab hyemali ſolſtitio, quod die 21. decembris in vigeſimam ſecundam incidit;quando ſcilicet ſol in circulo tropico capricorni ſuo ultimo declinationis gradu circa auſtrum declinat, ad æquatorem iterum reverſurus, ac hyemem, dierumque longitudinem, noctium autem brevitatem generare incipit, pendeat, ut nox decreſcere incipiat: Ac ſimiliter, ab æſtivo ſolſtitio quod die 21. Junii in 22. incidit; quando ſcilicet ſol tropicum cancri tangens, ſuo ultimo declinationis, ſeu aſcenſionis gradu circa ſeptentrionem, ſeu boream declinat, ad æquatorem ſimiliter iterum reverſurus, æſtatem, dierumque brevitatem, noctium autem longitudinem generare incipit, pendeat, ut nox creſcere incipiat: ac proinde hora noctis ſeptima, media nox menſe decembri non ſit, niſi completo 21. die; ac ſimiliter hora noctis quarta, media nox non ſit, niſi completo 21. die Junii: & conſequenter a die prima decembr. ad 21. niſi facto per ſingulos dies unius minuti augmento, media nox ad horam ſeptimam non pervenit, ac 22. elapſa die, ante horam ſeptimam iterum eſſe incipit; ac ſimiliter a die prima Junii ad 21. niſi facto per ſingulos dies unius minuti decremento, media nox ad diem uſque 21. completam poſt horam quartam erit, ac 22. elapſa die, iterum poſt horam quartam eſſe incipit: Tamen Romanus ordo a die 1. dec. ad diem uſque 12. incluſive Januarii; & a die 1. Junii ad uſque 12. incluſive menſis Julii horam noctis ſeptimam, vel quartam reſpective ſive in favorem, ſive in odium, mediam noctem dijudicandum declarat; ſequitur quod per mediam noctem Eccleſia non phyſicam, ſeu aſtronomicam, quæ ſecundum rei veritatem,

ſpe-

ſpectato ſolis motu appropinquationis, vel remotionis in ſingulis provinciis per ſingulos dies uno minuto creſcere, vel decreſcere reſpective deberet, ſed per artificialia, per horologiorum ſcilicet inſtrumenta, ſive per electa quædam ſigna, a veritate moraliter non diſtantia, mediæ noctis regulam præſcribere intelligit. Contra Eccleſiæ igitur præceptum agerent, qui diverſimode ſentiendum incautis propinare ſatagerent.

Contra ſentientium error ulterius demonſtratur, & confutatur.

LXXXIV. Introſpecta autem eccleſiaſtici præcepti virtute, horum theologorum ratio corruit, immo & falſo ſuppoſito niti dignoſcitur, libertatem nempe, certo poſito præcepto in dubiis non ligari, ſupponentium: Utrobique enim errare dignoſcuntur, libertatem ſcilicet in caſu poſito poſſidere, obligationem vero dubiam eſſe ſupponentes: cum potius e contra accidat, præceptum nempe poſſidere, ſecus vero libertatem. Quin & aſtronomiæ innixo ſic ratiocinari placet: Ex eo quod mediæ noctis punctum phyſice, ſeu aſtronomice ut plurimum dignoſci non poſſit, quis ſcit, quandoque evenire poſt quadrantis dimidium, poſt quadrantem, poſt quadrantem cum dimidio, vel etiam poſt mediam horam poſt phyſicum ſeu aſtronomicum mediæ noctis elapſum punctum, horologia, ſive alia quæcunque ſigna mediam noctem indicare? Sicut igitur artificiale mediæ noctis ſignum, quod cæteroquin ex Eccleſiæ mente mediæ noctis indicium eſt, phyſicum, ſeu aſtronomicum mediæ noctis punctum prorogare, ſeu, eo licet fortaſſe elapſo, indicare contingit, vel ſaltem contingere poterit, & tamen artificialibus ſtando ſignis, comeſtione, vel refectione completa, nondum elapſis, Euchariſtia ſumi abſque ullo ſcrupulo die craſtino poterit, vel jejunium ſervari; vel e contra ſi jejunium media nox ſubſequatur, uſque ad illud artificiale punctum

ctum, & non ultra, astronomico forte non elapso puncto, ad jejunium constringit Ecclesia: ita similiter: Si per accidens præter Ecclesiæ mentem per illa artificialia signa aliquid temporis imminuatur, subjacere debemus. Licet igitur in multis, ut in superioribus patet, media circiter hora durationis parvitas reputetur, secus vero relate ad mediæ noctis punctum. Temporis namque moralitas quoad præsens juxta Ecclesiæ mentem non est tempus prorogare ad quadrantem, ad quadrantem cum dimidio &c. relate ad physicum, seu astronomicum mediæ noctis punctum; sed mediæ noctis punctum per artificialia signa suis fidelibus indicare volens, ne scrupulis angantur, prioribus horologiis, sive aliis artificialibus signis stare non constringit, sed ea libertate uti permittit, ut posterioribus, immo & ultimis, sive horologiis, sive aliis quibuscunque artificialibus signis, nisi a vero mediæ artificialis noctis tempore sensibiliter aberrare constaret, nedum relate ad naturale, vel ecclesiasticum jejunium, mediam noctem subsequens, verum & relate ad abstinentiam, sive jejunium mediam noctem antecedens, stare indulgeat. Non licet ergo in dubiis de media nocte proprio innixos judicio sententiam sequi, sed illam, quæ Ecclesiæ menti conformior dignoscitur, & ad quam servandam sub præcepto constringimur. Unde Leo Magnus in altera Epist. ad Rusticum Narbonensem ait: *In his, quæ dubia sunt, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum*. Qui autem positæ doctrinæ contraria sentiunt, probatæ Ecclesiæ consuetudini adversari dignoscuntur.

LXXXV. Huc spectare videtur, quod in vigilia Nativitatis domini quarta hora noctis coram summo Pontifice officiorum solemnitas incipit, & ab Emo

Quorumdam hallucinatio relate ad na-

turale jejunium, in pervigilio Nativitatis, coram summo Pontifici celebrantis, demonstratur, ac confutatur.

Emo Cardinali missa celebratur, ut moris est, quæ ante mediam noctem absolvitur; licet cæteroquin ante meridiem vigiliæ, missam, minime susceptis purificationibus, eodem die more solito celebraverit. Non defuit autem, qui aliquando sustinuerit, Emum, qui in vigilia Nativitatis coram summo Pontifice, ut supra, missam celebraturus, ante mediam noctem absolveret, posse eadem vigiliæ Nativitatis die mane missam vigiliæ celebrare, & more solito purificationes sumere, immo & ante meridiem comedere, dummodo a meridie, ac deinceps nihil sumeret, & sero post quartam noctis horam aliam missam coram summo Pontifice ut supra celebrare, ex ante mediam noctem consumare, & sacrificium perficere. Quod esse falsum, nec sustineri posse sentimus. Quod si forte aliquis insurgere velit, quasi delitescentem adaperiens veritatem dicens, tempus missæ, elapsa hora quarta noctis, per juris fictionem diem crastinam reputari, vel alia congerere, ut suæ opinionis tenacissimus propugnator perseveret: hæc, vel similia contra naturale jejunium, ante Eucharistiæ sumptionem præceptum, & ab universa Ecclesia acceptatum, & in suo rigore observatum, sustinere volens, ingenii specimen exhibere poterit, nullis tamen solidis innixus principiis, nullisque adductis irrefragabilibus auctoritatibus, prout in re tanti momenti oporteret, sani Theologi specimen exhibere non poterit. *Quo circa*, inquit Benedictus XIV. in sua synodo lib. 6. cap. 8. n. 12. *improbanda est illorum opinio, qui ex privilegio missam celebrandi ante dimidium noctis Nativitatis domini, inferunt, ipsam quoque jejunii servandi legem, quæ a dimidio præcedentis noctis sacerdoti imponitur, fuisse sublatam*. Neque nos ferit, de missa in vigilia Nativitatis coram summo Pontifice ante mediam noctem persolvenda, num.

10.

20. subjungens: *ex hactenus dictis colligitur, privilegium celebrandi missam in pontificia capella, ante noctis dimidium non quidem per necessariam connexionem secum ferre aliud privilegium exemptionis a lege jejunii, imo vero posterius hocce privilegium esse repetendum a tacita Pontificis dispensatione*: Cum enim privilegium celebrandi in vigilia Nativitatis ante mediam noctem coram summo Pontifice non trahat naturalis jejunii dispensationem, neque tácita Pontificis dispensatio intelligatur; inde, nisi istæc tacita Pontificis dispensatio constet, non jejunus ante mediam noctem etiam coram Pontifice celebrans, perficere sacrificium non poterit. Quam futilis igitur, ac ridicula sit illorum opinio, dicentium: *dummodo a meridie, ac deinceps nihil sumat, posse absque expresso privilegio missam coram Pontifice celebrare, & ante mediam noctem sacrificium perficere, etiamsi ante meridiem comestionem sumpserit*, quisque sapiens dignoscet.

Jejunii solutio quoad cœnulam relate ad ciborum præsertim qualitatem discutienda proponitur, ac generalis regula designatur.

LXXXVI. Quoad jejunii autem ex serotina refectione solutionem, servata proportione, non åliter ac de jejunii solutione per indebitam comestionem, multa brevi calamo consideranda, ac discutienda veniunt; Ciborum nempe qualitas; quantitas; & hora. Et sane quoad ciborum qualitatem nedum attendi debet, an, eorum spectata natura, in die jejunii permitti possint, verum etiam, an ita in comestione permittantur, ut etiam in cœnula præter, vel contra Ecclesiæ mentem eorum usus non existat? Si enim præter Ecclesiæ mentem sit, licet, eo quod jejunii finis non destruatur, jejunium nec solvatur, talia tamen comedens, venialem culpa incurreret; si vero contra Ecclesiæ mentem sit, eo quod sic comedens, jejunii finem, quoad executionem ab Ecclesia sub vi coactiva præceptum destruit, illud solvere dicen-

cendus erit. (vide supra n. 24. & 25. ac passim in superioribus.) Ad quod disquirendum, præ oculis habere oportet, cœnulam, seu serotinam refectionem, secundum se consideratam, vel præter, vel contra jejunii rationem existere; ideo autem nec præter, nec contra jejunii rationem existit, quia, cum de jejuniis sermo sit, humano jure inductis, potuit humana consuetudo, rationabilibus innixa fundamentis, eam inducere jejunandi rationem, quæ nec præter, nec contra jejunii rationem existat. Quia igitur ad eam inducendam, non ciborum delectabilium comestionem, neque nutritionem secundum se, sed naturæ indigentiam, ne scilicet per inediam nimis debilitetur, rationabilia inductæ consuetudinis fundamenta respiciunt; inde ciborum qualitas, quæ relate ad cœnulam, nec præter, nec contra rationabilem consuetudinem existat, ea admitti debet, quæ nec delectet, nec nutriat, sed quæ naturæ indigentiæ in sensu exposito satisfaciat. Quæ ergo ciborum qualitas ab exposita indigentia recedit, a rationabili proinde consuetudine similiter recedens, jejunium vel infringeret, vel solveret; & consequenter vel præter, vel contra Ecclesiæ mentem ageret comedens. vide part. 1. cap. 4. n. 22. 23. 25. ac passim.

In serotina refectione ciborum etsi permissorum qualitatis portio nimis nutritiva, venialem saltem culpam involvere dicenda est.

LXXXVII. Quia igitur magnæ substantiæ piscium, vel tali artificio conditorum, vel calidarum herbarum, ac similium comestio a naturæ indigentia, ne nimis debilitetur, recedit, & potius nutrit, ac delectat, quam naturæ necessaria sit; inde talia in refectione comedens, etsi illorum spectata qualitate ciborum, jejunii finem omnino non destrueret, nec sub ratione quantitatis rationabili inductæ consuetudini talis portio contrarietur; quia tamen præter rationabilem consuetudinem ageret, ac jejunii finem infringeret, venia-

niale peccatum non effugeret. Et quia cocta legumina, vel coctus panis, vel cocta simila, etsi refectionis quantitate servata, delectant, vires augent, ac sustentant; inde licet, horum ac similium spectata natura, in die jejunii in comestione adhiberi prohibita non sint, in serotina tamen refectione admitti omnino non debent. vide part. 1. cap. 4. præsertim n. 22. 23. 25. &c.

LXXXVIII. Et multo magis de ovis, ac lacticiniis dici debet. Quæ enim ova, ac lacticinia ex consuetudine, privilegio, dispensatione, sive exemptione in comestione permissa sunt; eo quod autem delectant, ac nutriunt, vires nempe augent; quorum proinde comestio in cœnula ex rationabili consuetudine non permittitur; idcirco eorum comestio in serotina refectione contra rationabilem consuetudinem existens jejunium solveret. Sicubi igitur talia in refectione comedendi consuetudo sit, non consuetudo, sed abusus reputari debet; nisi fortasse, pensatis hominum temperamentis, & complexionibus, ac regionum qualitatibus, aeris, ac similium, eorum in refectione usus non ad delectamentum, vel nutritionem, ad augendas nempe vires, ne jejunii pœna sentiatur, sed ad naturæ indigentiam, non secus ac in aliis regionibus, in quibus talium usus ex rationabili consuetudine prohibitus intelligitur, per aliorum minus delectabilium ciborum usum naturæ indigentiæ, ne nimis debilitetur, satisfit, inductus existat. vide part. 1. cap. 4. n. 22. 23. & passim.

Quæ nuper dicta sunt, multo magis de ovis, ac lacticiniis, in cœnula prohiberi intelligi debent.

LXXXIX. Ad culpam autem quoad hoc discutiendam non modicum juvant, quæ relate ad cibos, etiam in comestione vetitos, de materiæ parvitate in superioribus exagitavimus. Quia igitur supra num. 40. 41. & 42. respective discussimus, quartam unciæ partem, seu quadragesimam

Ea ciborum portio in die jejunii vetitorum, se sola, vel refectionem complens,

omnem culpam excluderet, aut venialem, sive lethalem involveret, quæ juxta materiæ parvitatem, a nobis adinventam, culpam excluderet, vel involveret.

simam octavam italicæ libræ partem, quatenus nec præter, nec contra Ecclesiæ mentem sit, nedum non lethalem, verum & nec venialem culpam includere; item quia unciæ dimidium, seu vigesima quarta italicæ libræ pars, quatenus præter Ecclesiæ mentem existens, venialem culpam includit; una autem uncia, seu duodecima italicæ libræ pars, jejunii finem destruens, ac proinde contra Ecclesiæ mentem existens, lethalem culpam involvit, ac proinde sub ratione cibi vetiti jejunium solvit; inde, his positis principiis, tunc in serotina refectione vetitorum ciborum portio, quibus nec in comestione uti liceat, sive se sola, sive permissam in refectione quantitatem complens, jejunium non infringeret, nec frangeret, nec venialem scilicet, nec lethalem culpam involveret, si quartam unius unciæ italicæ libræ partem non excederet; quod si sive se sola, sive permissam in refectione quantitatem complens, dimidium unciæ sit portio, tunc venialem culpam involvit, ac jejunium infringit; si vero una sit vetiti cibi uncia, duodecima scilicet italicæ libræ pars, sive se sola, sive permissam in refectione quantitatem complens, lethalem culpam involveret, ac proinde jejunium frangeret.

Idem dicendum, si cibi vetiti portio ex privilegio, dispensatione, consuetudine, vel necessitate in comestione permitteretur, secus vero in refectione.

XC. Quoad illam similiter ciborum quantitatem, quæ in comestione admissa, in serotina tamen refectione prohibita intelligitur, distinguere oportet; Si enim de ovis, ac lacticiniis, etiam si ex peculiari consuetudine, sive ex privilegio, dispensatione, vel exemptione in comestione admissis, sermo procedit: Et tunc illa hujusmodi ciborum, in die jejunii vetitorum portio, sive se sola, sive permissam in cœnula quantitatem complens, culpam excluderet, vel venialem, aut lethalem includeret, quæ respectu ciborum, secluso titulo, in comestione prohibitorum, jejunium non infrin-

ge-

geret, five infringeret, vel folveret, ut fuperiori n. 89. diximus. Unde lacticiniorum, five ovorum quarta unciæ libræ italicæ pars, five fe fola, five permiffam in refectione quantitatem complens, nullam culpam involveret: unciæ autem dimidium five fe fola, five permiffam in refectione quantitatem complens, utique fub ratione cibi vetiti venialem culpam involveret; integra vero uncia, five fe fola, five permiffam in cœnula quantitatem complens, lethalem culpam involveret, & fub ratione cibi vetiti jejunium frangeret.

XCI. Quoad illam vero ciborum qualitatem, qui, nec carnes fint, neque ex carne originem ducant, in ferotina tamen refectione non admiffam, ea videtur effe regula defignanda, quæ per duplam cum non vetitis cibis rationem quoad materiæ parvitatem convenire dignofcatur. Unde fi unciæ non vetiti cibi dimidium (vide fupra n. 43.) omnem culpam excludit; inde una non vetiti cibi uncia, five fefola, nulla fcilicet adhibita alia refectione, five permiffam in refectione quantitatem complens, omnem culpam fimiliter excluderet: Si item (vide fupra n. 44.) una non vetiti cibi uncia fub ratione parvæ quantitatis venialem culpam, fub ea ratione, fub qua præter unam comeffionem effet, includeret; inde duæ unciæ, five fe folis, nulla fcilicet alia adhibita refectione, five permiffam in refectione quantitatem complentes, venialem fimiliter culpam non excederent; Si item duæ unciæ (vide fupra n. 45.) lethalem culpam involverent, ac jejunium folverent; inde quatuor unciæ, five fe folis, nulla fcilicet alia adhibita refectione, five permiffam quantitatem complentes, lethalem culpam involverent, ac jejunium fimiliter folverent. Ne autem implicantia loqui videamur, rem hanc per exemplum explicare placet: Si coctus panis, vel coctæ, & ca-

Ea autem efurialium ciborum portio in refectione vetitorum, omnem excluderet culpam, vel venialem, aut lethalem involveret, quæ fe fola, vel refectionem complens, cum parva non vetiti cibi quantitate fub dupla convenire ratione dignofcatur.

& calidæ herbæ (secus vero si sint solum coctæ, & non calidæ herbæ) vel piscium qualitas, vel pulmenta, sive polenta in comestione tantum permissa, in serotina refectione sive se solis, nulla scilicet alia adhibita refectione, sive permissam quantitatem compleant; per unam solam unciam omnem culpam excluderent; per duas autem uncias venialem culpam traherent; per quatuor vero uncias lethalem culpam involverent, ac jejunium sub ratione vetiti cibi solverent.

Auctoris mens quoad præsens relate ad esuriales cibos ulterius explicatur, quin & relate ad vetitorum in refectione ciborum permissam consuetudinem regula ad culpam discernendam, ex intrinsecis designatur.

XCII. Id autem, ut exposuimus, intelligendum est, si portiones istæ esurialium ciborum, in refectione vetitorum, permissam in refectione quantitatem compleant, vel si nulla alia adhibita refectione sumantur, secus vero si permissæ in refectione quantitati superaddantur; vel si solæ absque alia cibi portione, extra refectionem sumerentur. Unde permissæ in refectione quantitati ex hujusmodi cibis superaddita portio, vel extra refectionem sumpta, si unciæ italicæ libræ dimidium non excedat, venialem culpam excludet; si vero unciam excedat, venialem culpam includet; quod si hujusmodi ciborum portio duplex uncia sit, lethalem culpam involvet. Non secus ac præcisive a refectione talium portio culpam excluderet, vel venialem, aut lethalem involveret, ut de materiæ parvitate quoad non vetitum cibum supra n. 43. 44. & 45. respective discussimus, ac nuper num. 91. commemoravimus. Legitima autem hujusmodi ciborum in serotina refectione vigente consuetudine, ea permissam quantitatem complens, licita reputari poterit portio, quæ pensatis (vide supra n. 88.) regionum aeris, personarum complexionibus, ac circumstantiis, nec præter, nec contra Ecclesiæ mentem rationabilis judicetur. Hujusmodi autem illa sola erit, quæ nec sustentaret,

nec

nec nutriret, ſcilicet, nec vires augeret, nec delectaret, nec jejunii detrimentum tolleret, ſed naturæ indigentiæ, ne nimis debilitetur, ſatisfaceret: quæ autem ultra indigentiam nutrimentum adderet, vel oblectamentum, etiamſi jejunii fines non deſtrueret, tamen præter Eccleſiæ mentem exiſtens, venialem culpam includeret: quæ vero hujuſmodi ciborum portio relate ad ſerotinam refectionem, vel extra refectionem, nedum jejunii fines diminueret, verum & pœnam, ab Eccleſia intentam tolleret, contra Eccleſiæ mentem exiſtens, lethalem culpam involveret, ac jejunium ſolveret. vide n. 24. 25. & paſſim.

XCIII. Per ciborum vero quantitatem relate ad eſuriales cibos, in refectione non vetitos, tunc jejunium ſolvi dicendum erit, quando ex rationabili conſuetudine admiſſam ciborum quantitatem p. 1. cap. 4. §. 3. n. 23. & 24. explicatam, ac diſcuſſam, nimis excederet comedens. Et quia pro perſonarum complexionibus, ac regionum qualitatibus, diverſa ex rationabili conſuetudine pro locorum varietate, ne nimis debilitetur natura, admitti ſolet in ſerotina refectione quantitas; inde particularium locorum ſpectata conſuetudine, non idem quantitatis exceſſus jejunium frangeret. Qua de re ſi Paulo Zacchiæ Romano medico ſtare velimus, qui duas, treſve uncias admittit, eas excedens, peccaret; Sic enim lib. 5. Tit. 1. q. 9. n. 16. ſe exprimit: *Quantitas cibi, in jentaculo aſſumendi, ne jejunium frangatur, tam reſpectu ſitis, quam ſomni, & conſuetudinis reſtringenda eſt ad modicum quid, quod uncias duas, aut tres ad ſummum non pertranſeat*. Quia tamen italicæ libræ unciarum circiter octo quantitas, ut, plurimum in refectione admittitur; inde Zacchiæ opinio, ſi de Italicæ libræ unciis intelligatur, nimis

Nimius ſupra indigentiam permiſſæ quantitatis exceſſus in refectione adhibitus, culpam involvere, ac jejunium ſolvere incipit.

ſcrupuloſa videtur; cum legitima conſuetudo pro majori, quam ipſe admittit, quantitate, ſtare rationabiliter dignoſcatur, ut part. 1. cap. 4. n. 24. diximus; niſi forte Zacchiæ mens, duarum vel trium unciarum quantitatem in refectione admittens, de ſolo pane intelligere voluerit.

Illa portio, permiſſam in refectione quantitatem excedens, culpam excludens vel venialem, aut lethalem involveret, cujus penſata quantitate, culpam excluderet, vel includeret.

XCIV. Quando nam autem per ciborum quantitatem, in refectione adhibitam, jejunium frangi dicatur, regulam ſtatuere volentes, ea præ oculis habere oportet, quæ n.43.44.& 45.ac paſſim ſupra quoad non vetitum cibum de materiæ parvitate diſcuſſimus. Ibi autem quoad non vetitos cibos, italicæ libræ unciæ dimidium culpam omnem excludere; unam vero unciam, duodecimam nempe romanæ libræ partem venialem culpam includere; duas vero uncias, ſextam nempe romanæ, ſeu italicæ libræ partem venialem culpam excedere, ac jejunium ſolvere diximus: quibus præſuppoſitis principiis, non omnis quantitatis exceſſus in ſerotina refectione adhibitus, jejunium frangere dicendus eſt. Unde relate ad non vetitum in refectione cibum, admiſſa ex rationabili conſuetudine in refectione quantitas, unciæ dimidium non excedens, non plus ſcilicet quam ſemiunciam ſuperaddens, ne venialem quidem culpam includere videtur; quod ſi unam unciam, italicæ, ſeu romanæ libræ duodecimam partem, ex rationabili conſuetudine admiſſa in refectione quantitas excedat, ſeu ſuperaddat, quatenus præter rationabilem conſuetudinem exiſtat, venialem culpam includeret; ſupra admiſſam vero in refectione quantitatem, duas uncias, quæ ſexta romanæ libræ pars eſt, ſuperaddere, nedum præter, verum & contra rationabilem conſuetudinem exiſtens, lethalem culpam involveret, Videtur tamen

men hic advertendum, quod, ubi octo unciarum pro serotina refectione, ex legitima licet consuetudine, admittitur quantitas, suppraddita quantitas, quæ omnem culpam excludat, admitti non videtur: Cum enim per minorem, quam per octo unciarum quantitatem, naturæ indigentiæ, ne scilicet nimis debilitetur, satisfiat; inde quantitas illa, quæ omnem culpam excluderet, in octo illis admissis unciis inclusa intelligi debet; ac proinde unciæ dimidium superaddens, venialem culpam incurreret; duodecimam vero romanæ libræ partem superaddens, lethalem videtur incurrere.

XCV. Quoad jejunii autem solutionem, ex indebita cœnulæ hora provenientem, sic ratiocinari videor: Etsi horæ determinatio relate ad comestionem, ut part. 1. cap. 4. n. 20. & 21. discussimus, ad jejunii rationem pertineat, quia tamen ejus in cœnula determinationem consuetudo, & quidem legitima, variabilem admittit; inde videtur dicendum, post solis occasum, finitis crepusculis, refectionem sumere nec præter, neque contra rationabilem consuetudinem existere; ut in illis præsertim rusticorum locis ac villis, in quibus hujusmodi viget consuetudo, contingere solet. Refectionem autem prope solis occasum sumere, nondum saltem inceptis crepusculis, quatenus contra rationabilem consuetudinem existit, jejunium solveret. Sicubi igitur absque rationabili caussa hujusmodi esset consuetudo, reprobanda potius esset, quam sequendam. Unde, etsi ut omnino licite, nondum finitis crepusculis, sumatur refectio, vix parva temporis duratio videatur admittenda, his tamen finitis, quacunque temporis duratione sumatur refectio, jejunium nec solvi, nec venialis culpa videtur involvi.

Cœnula post solis occasum, finitis crepusculis peracta, jejunium non solvet, secus vero ante solis occasum.

Ex quacunque ratione collatiunculam sine animo reassumendi interrumpens, licite non potest eam reassumere.

XCVI. Quoad cœnulæ autem interruptionem: siquis ex placito, sive ex negotio de mensa surrexerit, si animum habuerit non amplius comedendi, nisi statim voluntatem mutaret, vel continuaret, durationis parvitas quoad ejusdem cœnulæ reassumtionem non videtur admittenda. Cum enim quoad partem sese refecisse ponamus; & in refectione saturitas non permittatur; inde animo non reassumendi surgens, morali interruptam duratione illam continuare, seu reassumere amplius non poterit. Unde ex placito, vel ex rationabili motivo cum intentione non reassumendi collatiunculam interrumpens, per nullam durationis parvitatem licite reassumere poterit.

Interrumpens collatiunculam, licet non ex necessitate animum habens reassumendi per minorem durationem licite reassumet

XCVII. Quod si ex placito, sive non necessario motivo surgens, animum habeat refectionem iterum reassumendi, licet aliqua temporis parvitas, ne cœnulam (vide n. 70.) reassumens, jejunium frangat, videatur admittenda, minor tamen quam supra n. 71. & 72. in comestionis interruptione permitti diximus, per subductam scilicet ex triplo rationem admitti videtur. Unde ad omne, præsertim si non ex necessaria caussa interruptio contigerit, etiam veniale peccatum excludendum, non media hora, ut in comestionis interruptione, sed minor, quam unius quadrantis duratio; ad venialem autem culpam incurrendam, non infra horam, sed unius, vel elapsi quadrantis duratio; ad lethalem vero culpam incurrendam per elapsum horæ dimidium duratio sufficere videtur. In refectionis igitur interruptione, non ex necessitate contingente, cum intentione eam reassumendi, non nisi per subductam ex triplo rationem relate ad durationem in comestionis interruptione, durationis parvitas videtur admittenda,

XCVIII. Quod si rationabilis existat collationem interrumpendi caussa, ut cum priori refectionis portione ejusdem reassumptio moraliter una dicatur, illa durationis parvitas admitti posse videtur, quæ per subductam ex dimidio rationem illi durationis parvitati respondeat, quam in comestionis interruptione supra n. 73. ad 77. admitti posse diximus. Qui igitur ex rationabili caussa refectionem interrumperet, cum intentione illam reassumendi, durationis parvitas, quæ omnem culpam excluderet, non media hora, sed quadrans; quæ autem venialem culpam includeret, non una, sed vix media hora videtur assignanda; quæ vero supra mediam horam in casu posito duratio esset, lethalem culpam involveret reassumptio; Et multo magis si supra horam interruptionis duratio contingeret; ne velimus ultra comestionem, duplicem permittere refectionem. Rationabili igitur urgente necessitate; cum intentione reassumendi, interrupta refectione, tanta admitti videtur durationis parvitas, ut culpam involvat, vel non, quantam in comestionis interruptione per subductam ex diminio rationem in reassumenda comestione admisimus ac probavimus.

Ex rationabili caussa refectionem interrumpens, sub qua ratione durationis parvitas assignatur, ut licite reassumat, declaratur.

XCIX. Antequam autem ultra procedamus, quod supra n. 70. quoad comestionis interruptionem monuimus, ad refectionis interruptionem applicare judicamus; sermonem scilicet non eo sensu procedere, an ex motivo liceat alteram adhibere refectionem? ad hoc enim non temporis parvitas, sed naturæ necessitas attendi debet; sed sermo procedit, an refectionis portio cum altera post refectionis interruptionem portione, quæ simul cum prima unam compleat refectionis quantitatem, moraliter unam efficiat refectionem? si enim de duplici refectio-

Lectoris præjudicium prævenitur.

ne

ne sermo procederet non secus ac supra n. 70. discussimus, durationis parvitas locum habere non poterit.

Per comestionis inversionem, sive rationabili caussa factam venialem saltem culpam involvi, non contemnenda opinio est; secus vero rationabili existente caussa.

C. Quoad comedendi autem inversionem varia est doctorum opinio: Quos inter Fr. Milante Exercitatione 23. in prop. 23. Alex. VII. dicit: *Ex causa insuper licitum est invertere ordinem, nimirum mane jentando, sero autem prandendo: Sine causa vero ad summum erit venialis culpa, eo quia agitur contra communem consuetudinem in re levis momenti*; & per hoc non solveret jejunium, secus non venialiter sed lethaliter peccaret sine caussa ordinem invertere; Et quidem non sine rationabili fundamento; cum enim cœnula non nisi ex consuetudine licita sit; inde prandii, seu refectionis ordinem subvertere, sero scilicet prandere, in meridie autem refectionis quantitatem sumere, cum præter consuetudinem sit, multis doctoribus omnino licita non videtur. Unde nisi valetudinis, vel alia rationabili causa fiat, peccatum involvere sentire videtur Martinus ab Azpilcueta in suo Manuali cap. 21. n. 13. dicens: *Non licet tamen uti mane collatione usitata vesperi, & prandium in vesperum differre juxta Caetanum, ubi supra. Et merito, quia illa non fit medicinæ causa, nec fieri potest ratione illius*. Et addit. *Consuetudo, quæ contra jus est, non est amplificanda* cap. *Ad audientiam* de decimis: & cap. *odia* de Regulis juris in 6. *quamvis causa medicinæ, debilitatis, complexionis, vel necessitatis, aliqua necessaria agendi, juste id fieri posset*. Et Sylvius 22. q. 147. art. 6. sic habet. *Ob quam etiam causam, quia nimirum non invaluit consuetudo, non est licitum, si justa causa desit, mane sumere collationem, prandio in vesperam dilato*: Addit tamen: *Quamvis si ita fiat, quidam putant solum esse pec-*

ca-

catum veniale, propterea quod serventur essentialia jejunii ut Toletus, Lessius, Fernandez. Et pergit: *Ex causa autem rationabili, veluti complexionis, debilitatis, necessitatis, hoc licet,* ut esset ad capiendum somnum, ad laborandum &c. ut pergit ibidem Sylvius: *Multo autem magis licet eam collationem meridie sumere, & plenam refectionem in tempus vespertinum differre, si aliqua caussa subsit: veluti si non possit prandere ante vesperam, sive propter negotia, sive propter profectionem &c.* quod extendi poterit ob quodcunque rationabile motivum.

Jejunii natura, & Ecclesiæ mente introspectis, si, dempto contemptu, alioque pravo fine, ex prudenti motivo facta judicetur inversio, nullam culpam videtur involvere.

CI. Quod si judicium ferre licet, nunquam jejunii finem, ab Ecclesia intentum, & quoad executionem, sub vi nempe coactiva præceptum, destruere, nec contra Ecclesiæ mentem agere, nec consequenter jejunium solvere videtur, qui comestionem inverteret; si nempe comestionis hora servata, juxta cœnulæ proportionem, ciborum qualitatem, & quantitatem in meridie sumeret, & post solis occasum, elapsis omnino crepusculis, sero comederet. Cum enim toto jejunii die per illam inversionem non plus sumeret, quam Ecclesia permitteret; nec proinde corporis pœnam, in sensu exposito ab Ecclesia intentam, ac præceptam destrueret; quod sane ad jejunii solutionem, & consequenter ad lethale peccatum necessario requiritur; quin immo majorem forte pœnam, corporisque detrimentum sentiret, si usque post vesperas, seu post elapsa crepuscula prandium differret, & consueta comestionis hora, sola cœnula, cibique qualitate, & quantitate serotinæ refectioni congruis contentus esset; inde sic agens, dempto Ecclesiæ, vel jejunii contemptu, nec jejunium solvere, nec lethale peccatum videtur incurrere; etiamsi absque speciali motivo inversionem eligeret. Quia vero absque

rationabili motivo inversionem eligens, præter Ecclesiæ consuetudinem ageret; inde jejunii inversionem eligens; nulla rationabili causa motus, venialem culpam contraheret; a qua tamen omnino eximeretur, si prudentibus ductus rationibus, jejunium inverteret, ut supra n. 100. ex aliorum placitis innuimus. vide insuper n. 24. & 25. & passim.

Ex prædicta sententia aliæ jejunio favorabiles deducuntur illationes.

CII. Quam certe comestionis inversionem, si ex prudentibus procederet rationibus, jejunium non destruere, nec opponi, immo & ipsimet jejunio favorabilem esse teneri poterit. Etenim posita doctrina, adhuc jentaculum ex inadvertentia, vel ex culpa sumens, jejunium perficere posset, quin immo & ad illud perficiendum teneri concluditur. Unde Sylvius 22. q. 147. art. 6. de eo, qui mane sumpsit jentaculum, vel nesciens esse jejunium, vel hoc non advertens, reputans se foras iturum, cum tamen postea non eat, respondet: *quod pro modo suæ ignorantiæ, aut inadvertentiæ debet pænitentiam agere, & residua illius diei parte jejunare; ita tamen ut licitum ei opinemur plenam refectionem cum aliis sumere vel meridie, vel vespere, prout occasio fert, si alioquin sive gravi incommodo nequeat totum diem in abstinentia transigere: si tamen possit transigere, sola vespertina cænula deberet esse contentus; quia sic agendo, integre jejunium servabit quoad unitatem refectionis: tenetur autem integre servare, quando potest*, & post pauca subdit: *Ex his colligi potest, quid faciendum sit ei, qui post prandium die jejunii sumptum, inadvertenter manducat: debet enim jejunare, & a cænula vespertina abstinere.*

In jejunii fraudem agens, semper peccaret.

CIII. In fraudem vero agens, quia jejunii finem, ab Ecclesia intentum, & quoad executionem præceptum destruere intenderet, saltem ex

pravo agens affectu, jejunii pœnam, ac detrimentum impediendi, ab Ecclesia sub vi coactiva præceptum, semper peccaret. Unde exquisitos cibos in comestione, vel refectione, servata proportione, requirens, ac miro artificio conditos, non quidem ad vitæ sustentationem, corporisque congruum nutrimentum, ne scilicet hominis natura nimis debilitetur, ab Ecclesia in comestione, ac refectione respective permissum, sed usque ad delicias, ne jejunii pœnam, ac detrimentum sentiret, etiamsi ex contemptu non ageret, peccaret. Unde qui in jejunii fraudem, ne scilicet pœnam, ac detrimentum, sub vi coactiva præceptum sentiret, exquisitos cibos, vel majorem quam natura exigeret, quantitatem comederet, vel nimis anticiparet, vel inverteret, ex pravo saltem affectu non sentiendi pœnam, ac jejunii detrimentum, semper peccaret; nedum scilicet sub ratione intemperantiæ, verum & quia præceptam jejunii pœnam, ab Ecclesia sub vi coactiva intentam servare nollet, nec servaret. Quanta autem sit culpa, etiamsi, quisquis erit, a vetitis cibis abstineret, & unicam comestionem hora debita servaret, ac in cœnula ciborum quantitatem non excederet; ex animo, ac fine non sentiendi jejunii pœnam venari poterit; quod sane relate ad casus passim occurrentes, confessariorum sapientiæ, ac prudentiæ relinquimus discutiendum.

CAPUT SECUNDUM.

De Jejunii solutione, Quoad Medicamenta; Potus in genere; Potus mistos, & non mistos; Potus vinorum; Et chocolaten.

Hujus a superiori capite quoad jejunii solutionem discretio designatur.

I. Superiori capite non omnem, quæ ad jejunii solutionem spectat, doctrinam adduximus; sed eam relate ad jejunium, ac singulas ejus conditiones in genere; quoad culpam item in earum solutione contrahendam; quoad materiæ, vel durationis parvitatem; & quoad comestionis, ac cœnulæ interruptionem adducere conati sumus: Quoad medicamenta autem, ac potuum materiam relate ad jejunii solutionem in hoc capite complere statuentes, quinque paragraphos, prout in titulo inspiciuntur, assignabimus. De quibus singulis relate ad jejunia, ex naturali, divino, humanoque jure procedentia, an, quando, & quomodo jejunium solvant, discutiendum aggredimur.

§. I.

De Jejunii solutione, Quoad Medicamenta.

Medicinales potiones sive portiones, jejunia ex naturali jure procedentia, solvere non posse probandum assumimus.

II. Jejunii solutionem, ex medicamentorum sumptione oriundam relate ad jejunia, naturale jus spectantia, seu ex naturali practicæ rationis principio procedentia, disquirere superfluum videtur. Cum enim jejunia juris naturæ, ut part. 1. cap. 1. passim, ac præsertim num. 9. discussimus, ad corporis sanitatem acquirendam, vel conservandam, sive augendam ordinentur, quem etiam finem medicamenta respiciunt, inde, quia medicamentorum emergente caussa, jejunii ratio ex na-

naturali practicæ rationis principio non exoritur, necessario sequitur, quod, medicamentorum exurgente caussa, jejunii ratio, ex naturali jure procedens, relate ad medicamentorum abstinentiam amplius non subsistit, sed omnino cessare dicenda est. Et quatenus medicamentorum remedium dictante naturali jure, neque ad alia consequenda, vel fugienda, ut eodem cap. 1. n. 8. ad 10. ad 14. discussimus, jejunium ab eodem naturali jure dictaretur; inde quod non inveniunt, jejunium solvere medicamenta non possunt. Superfluum ergo erit, jejunii, ex naturali jure procedentis, solutionem per medicamentorum sumptionem inquirere; qua ratione enim illud solvere possent, quod natura neque ad animæ, neque ad corporis utilitatem ullo modo dictaret?

III. Quod si non de jejunio, quoad corporis, animæve bonum acquirendum, conservandum, vel augendum, sive ad malum avertendum; sed de naturali jejunio secundum se sermo procedat; cum hujusmodi jejunium cujuscunque sive cibi, sive potus abstinentiam requirat; et tunc quodcunque, et ex quacunque caussa sive per modum cibi, sive potus sumatur, naturale jejunium frangere tenendum est; de quo jejunio loquens Angelicus 22. q. 147. art. 6. ad 2. ait. *et hoc solvitur per quemlibet potum etiam aquæ*, ut est naturale jejunium, ad Eucharistiæ sumptionem ab Ecclesia præceptum, quod jejunium non jejunantis, sed naturale dicitur.

Si jejunium non sit jejunantis, sed naturale, etiam per medicamenta frangi declaratur.

IV. Utrum autem medicamenta jejunium solvant, ex divino jure procedens, diversa erit inquisitio. Cum enim deus vitæ, ac mortis sit dominus, sequitur, quod, si de jejunio sermo sit, quod a deo, etiam quacunque data corporis necessitate, præciperetur, per medicamenta jejunium

Quo sensu per medicinales potiones, vel portiones jejunium, ex divino jure proce-

dens, ſolvi poſſit declaratur.

um, ex divino jure ſic procedens, ſolveretur. Similiter dicendum, ſi jejunium ad impediendum proximum divinæ offenſæ periculum, neceſſarium judicetur; et talia eſſent medicamenta, ad corporis licet ſanitatem acquirendam, vel conſervandam, ſive augendam, quæ animæ periculum potius foverent, quam extinguerent. Eo quod enim animæ ſalus, divinuſque honor, corporis ſanitati præferendus, etiam ex rectæ practicæ rationis principio dictaretur, inde fieret, quod hujuſmodi jejunium ex divino jure in caſu poſito præceptum, per corporis medicamenta ſimiliter ſolveretur.

Sub qua alia divini juris ratione procedentia jejunia per medicamenta ſolvi, vel non ſolvi tenendum ſit, declaratur.

V. Quod ſi de jejunio, ex divino jure per ſimplex vel ſolemne votum, ſive juramentum, aut religioſam profeſſionem procedente, ſermo ſit; tunc diſtinguendum videtur: ſi enim medicamenta ad tuendam vitam omnino neceſſaria dignoſcantur; cum conſtet de tuenda vita divinum naturale præceptum; an vero votum, vel juramentum cum vitæ periculo ſervatum velit deus non conſtet; inde certo, & incerto concurrentibus ex divino jure præceptis, certius omnino præferri debere præceptum tenendum eſt; Unde ſi ad tuendam vitam omnino neceſſaria dignoſcantur medicamenta, tunc jejunium ex divino jure per ſimplex, aut ſolemne votum, aut juramentum, vel per religioſam profeſſionem procedens, per medicamentorum ſumptionem non ſolveretur. Quod ſi non omnino, ſed ad melius eſſe, ad tuendam vitam neceſſaria judicentur medicamenta; & tunc, quia præceptum ex divino jure per ſimplex, vel ſolemne votum, aut juramentum, vel religioſam profeſſionem procedens, obligare conſtat; an vero hujuſmodi obligatio pro levi neceſſitate a deo relaxetur, non conſtat, immo potius non relaxari judicari debet; inde jejunium

ex divino jure per simplex, vel solemne votum, vel juramentum, aut religiosam professionem procedens, per medicamentorum sumptionem in casu posito solvi tenendum est; si scilicet, contra jejunium, ex voto &c. ortum, sub ratione qualitatis, vel portionis medicamenta cum sint, ad tuendam vitam, ut ponimus, omnino necessaria non dignoscantur, vel in jejunii ex voto &c. procedentis fraudem sumantur, vide cap. 1. n. 10. & 11.

Ecclesiæ jejunia per medicamenta non solvi pluribus comprobamus.

VI. Quod si de jejunii solutione sermo sit, ex humano jure procedentis; per medicamenta ecclesiasticum jejunium non solvi communis sententia est: Unde Sylvius 22. q. 147. art. 6. desiniens, refectionis nomine eam intelligi cibi sumptionem, *quæ fit ad alendum corpus*, subjungit: *Et idcirco sumptio medicinæ, rerumque medicinalium, quæ non sumuntur causa nutritionis, sed medicationis, neque est refectio, neque solvit jejunium ecclesiasticum*. Et Paludanus apud s. Antoninum in summa part. 2. Tit. 6. cap. 2. §. 9. loquens de bina comestione, quæ jejunium frangit, *Excipitur*, inquit, *cum causa medicinæ sumuntur; tunc enim non solvunt jejunium Ecclesiæ, sed naturæ electuaria, & omnia alia hujusmodi, quæ consueverunt, sicut species sumi post prandium ad juvandam digestionem, etiamsi ex talibus confecta sint, quæ per se in cibum sumi consueverunt, dummodo sint alterata, sicut per decoctionem, vel confectionem, quæ non in cibum, sed in cibi adjutorium communiter ab utentibus assumuntur, ut in dactylis, nucibus, confectis, & pignolata similiter non solvunt jejunium: hæc ille*, scilicet Petrus de Palude. Et apud eumdem sic pergit Petrus de Palude in 4. *Quod si quis non propter famem, vel voluptatem, sed timore, ne deficeret, præ anxietate die jejunii ficus, vel porrectam, vel aliquid hujusmodi prælibaret ante horam*

ram comestionis quasi per modum medicinæ, non frangeret jejunium. Hoc autem, subjungit d. Antoninus, *non prædicandum est.* Et Fr. Concina, licet probabiliorismi acerrimus propugnator, rem tamen introspiciens lib. 2. de Ecclesiæ præceptis dissert. 2. cap. 8. n. 9. concludit: *Ex his colliges, omnia ea licite sumi posse die jejunii, quæ non ad delectationem, neque ad nutritionem, sed ad solam actualem infirmitatem repellendam per modum medicinæ, & juxta mensuram indigentiæ sumuntur.* Et addit: *Heinc concionatores eo die, quo concionantur, ad vocem pro concione necessariam conservandam, juvandamque quidquam per modum medicinæ capere valent. Idem dic de Cantoribus, qui chorum moderantur, quive hoc munus alioquin necessarium exercere minime possent, nisi vocem aliquo remedio adjuvarent. Horum omnium prudentia Evangelica regula sit, oportet.* Per hoc autem quod subjungit: *Atque pro majori securitate, & in legis obsequium, a superiore, dummodo fieri potest, licentia obtineatur*, meticulosum se ostendit, ut in similibus solet. Auctor enim iste ad aliorum discoperiendos errores aptissimus est; ad confutandos facilis; in conclusionibus vero probandis, sequendisque relate ad praxim minus quandoque efficax, & meticulosus, asylum requirens dispensationis; quæ sane dispensatio quoad præsens neque ex Angelico erui dignoscitur; clarissime enim, & absque ulla exceptione in sua 22. q. 147. art. 6. ad tertium docet: *Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio.* Quem sequens Fr. Joan. Duns Scotus in editione lugdunensi anni 1639. in lib. 4. Reportatorum parisiensium dist. 8. q. 3. asserit: *Jejunium Ecclesiæ non sol-*

solvit qualiscumque sit modica sumptio cibi; *patet de medicina, & speciebus sumptis cum tali jejunio*.

VII. Quod si electuariorum comestio non in naturalis indigentiæ levamen, sed ob delectationem fieret, etsi Ecclesiæ jejunium non solveret, contra temperantiam tamen ageret, electuaria sic comedens; & jejunii meritum perderet, vel minueret. In jejunii vero fraudem, ne jejunii pœnam, ac detrimentum, ab Ecclesia sub vi coactiva præceptum, sentiret, (vide cap. 1. n. 24. & 25.) electuaria, vel qualiacunque medicinalia comedens, jejunium, servata proportione solveret; cujus rei veritatem dignoscens Angelicus, in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. q. 1. ad tertium sic ratiocinatur: *Quidam doctores dicunt* (vide infra n. 65.) *quod si electuaria comedantur ad delectationem, solvunt jejunium; si autem causa medicinæ sumantur, non solvitur jejunium: sed statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum; eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti. Sed ea intentione potest aliquis mereri, vel demereri: Et ideo dicendum, quod electuaria etsi aliquo modo nutriant, non tamen hic est principalis usus eorum, unde nec loco manducationis sumi consueverunt. Et ideo talis sumptio jejunium Ecclesiæ non solvit. Et quamvis homo possit (totaliter, vel in parte) ex hoc meritum jejunii perdere, vel etiam mortaliter peccare, si sit immoderata libido, non tamen est transgressor præcepti Ecclesiæ*; scilicet sub ratione jejunii; peccaret autem tunc contra temperantiam juxta damnatam ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. prop. 8. dicentem: *comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis acti-*

Quo sensu Ecclesiæ jejunia infringi, vel solvi per medicamenta possint, declaratur.

actibus frui. Subjungit tamen loc. cit. Angelicus. *Nisi in fraudem sumeret, aut si eis, quasi aliis cibis, uteretur, ad famem extinguendam*. Item in suo 22. q. 147. art. 6. ad 3. postquam dixerat, electuaria jejunium non frangere, addit: *Nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi*.

Qua ratione medicinalia aliquando jejunium frangere, aliquando vero non frangere, dicenda sint, disparitas assignatur.

VIII. Cujus rei disparitas hæc assignari poterit: Licet enim finis præcepto extrinsecus non cadat sub præcepto; & delectationis abstinentia non sit finis jejunio intrinsecus, vel ab Ecclesia præceptus, sed præcepto extrinsecus: ac proinde ciborum delectationis abstinentia ab Ecclesia sub ratione jejunii non præcipiatur; unde electuaria, etsi ob delectationem sumpta Ecclesiæ jejunium non frangant; contra vero: quia finis pœnæ, seu detrimenti corporis est jejunio intrinsecus, ac proinde ab Ecclesia intentus, & quoad executionem præceptus; inde fit, quod, etsi electuaria secundum suam naturam spectata, jejunium non frangant, quia tamen in magna quantitate in jejunii fraudem sumpta, ne scilicet jejunii pœna, ac detrimentum, ab Ecclesia sub vi coactiva intentum, & quoad executionem præceptum sentiatur, finem jejunio intrinsecum destruerent; inde in jejunii fraudem ad famem extinguendam per modum cibi sumpta medicinalia jejunium frangerent; secus vero si cum moderatione non ob finem non sentiendi pœnam, sed ob puram voluptatem, vel ad captandam ciborum delectationem sumerentur: qui certe finis etsi ut jejunio extrinsecus, illud non frangeret, ejus tamen meritum imminueret, & sub alia ratione peccatum involveret, ut superiori numero diximus. vide cap. 1. n. 24. & 25. ac passim: Idemque sentiunt doctores, quos inter Turrecremata de consecr. dist. 3. *Non licet* fere eisdem, ac divi Thomæ ver-

verbis ſic habet: *Electuaria etiamſi aliquo modo nutriant, non tamen ſumuntur principaliter ad nutrimentum, ſed ad digeſtionem ciborum. Vnde non ſolvunt jejunium; ſicut nec aliarum medicinarum ſumptio niſi ſorte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate aſſumat per modum cibi*. Idemque, quod ſupra, confirmat, ac declarat Angelicus, in 4. diſt. 15. q. 3. art. 4. inquirens, utrum per binam comeſtionem jejunium ſolvatur, quoad electuaria concludens, ſic reſpondet: *Alio modo ſolvitur jejunium, ſecundum quod eſt ab Eccleſia inſtitutum: ex qua ſolutione homo efficitur transgreſſor ſtatuti Eccleſiæ de jejunio ſervando, vel non ſervando, ſi ex diſpenſatione, vel cauſa legitima dimittat; & de hac ſolutione jejunii nunc quærimus. Ad hoc autem præcipue valet conſiderare intentionem ſtatuentis. Intendit autem Eccleſia certum modum ſtatuere manducandi, ut ſcilicet ſemel in die jejunans, manducet, & ideo ſi aliquorum ſumptio, ſecundum quæ manducatio ſolet compleri, iteretur, jejunium, prædicto modo acceptum, ſolvitur; ſi autem aliqua ſumantur, quæ ad manducandum de ſe ordinata non ſunt, ſed ad alium uſum, qui uſus communiter manducatio non vocatur, talis cibi vel potus ſumptio poſt manducationem unam, ante, vel poſt, non facit eſſe binam manducationem; & ideo talis ſumptio jejunium non ſolvit*. Et ibidem ad tertium ſic concludit: *Et ideo dicendum, quod electuaria, etſi aliquo modo nutriant, non tamen hic eſt principalis uſus eorum. Vnde nec loco manducationis ſumi conſueverunt; Et ideo talis ſumptio jejunium Eccleſiæ non ſolvit. Quamvis homo poſſit totaliter vel in totum, vel ex parte ex hoc meritum jejunii perdere; vel etiam mortaliter peccare, ſi ſit immoderata libido: non tamen eſt tranſgreſſor præcepti jejunii, niſi in fraudem ſumeret, & eis*

quasi aliis cibis uteretur ad famem extinguendam.

Solvi doctrina videtur quoad præsens restringenda.

IX. Et quia quodcunque, ex necessitate sumptum, quatenus illius sumptio medicamenti naturam induit, contra jejunii finem, ab Ecclesia sub vi coactiva intentum, non existit; inde Sylvius 22. q. 147. art. 6. postquam dixerat, quod potus, licet aliquo modo nutriat, non tamen per se ad nutriendum ordinatur, subdit: *Et propterea*, Ecclesia, *non prohibet sæpius bibere in die jejunii, etiam extra tempus refectionis*: quia vero, etsi nostram quoad præsens ex divo Thoma erutam, sequatur doctrinam, subjungit tamen; *Immo nec unum, alterumve bolum panis sumere quando bibendum est, modo solum eo animo sumatur, ne potus noceat; quia illud modicum magis tunc sumitur loco medicamenti quam cibi*; quæ sane quoad panis bolum opinio, ad agendum jejunii fraudem, & ad innovandum prop. 29. ab Alex. VII. damnatam, viam sternit, sic dicentem: *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, non frangit jejunium*; inde nisi duplex adsit necessitas, bibendi scilicet, & panis bolum sumendi, prædicta Sylvii opinio, ne ad laxitatem, & ad jejunii transgressionem viam paret, quoad panis sumptionem in sensu posito omnino sequenda non videtur.

§. II.

De Jejunii solutione, quoad potus in genere:

Quo sensu per potus sumptionem jejunium, ex naturali jure procedens, solvi

X. Potus, sub ratione medicinæ consideratus, an jejunium, ex naturali jure procedens, frangat, ex iis, quæ §. 1. diximus, satis dignoscitur; eodem enim modo tenendum erit, ac de medicinis, seu quibuslibet medicamentis §. 1. discussimus. Unde oritur, quod ex necessitate potum su-

ſumens, naturale jejunium juxta ejus notionem cap. 1. §. 1. diſcuſſam, non frangeret; non enim jejunium frangere poterit, quod non invenit; ut in præſenti cap. n. 2. dignoſcitur. Quod ſi e contra ad corpus, animæque ſalutem, loc. cit. expoſitam, acquirendam, vel conſervandam, ſive augendam, vitamque tuendam, naturale jus, ſeu naturale practicæ rationis principium potuum abſtinentiam dictaret; tunc potuum abſtinentiam non ſervans, vel in fraudem ſumens, jejunium, ex naturali jure, ſeu ex naturali practicæ rationis principio procedens, frangeret: Cujus transgreſſionis culpa venialis, vel lethalis pro damni qualitate, vel neceſſarii boni amiſſione, quam ex hujuſmodi jejunii transgreſſione natura pateretur, penſari debet, ut cap. 1. n. 2. ad 7. discuſſimus. Jejunium autem naturale, ſeu *naturæ* dictum, ſecundum ſe per quamcunque potionem ſolvi, ibidem n. 8. explicatum eſt.

vel non ſolvi dicatur, exponitur.

XI. Utrum autem jejunium, ſub quacunque ratione ex divino jure procedens, per potum frangatur, ſi ſub ratione medicinæ ſumatur, eodem modo ac ſupra n. 4. & 5. diximus, tenendum eſt. Quod ſi potus ſumptio non ſub ratione medicinæ, vel alterius indigentiæ conſideretur; tunc ad dignoſcendum, an potus jejunium frangat, ex divino jure procedens, facilis erit reſponſio: Si enim jejunium, ex juramento, vel voto ſimplici, vel ſolemni, ſive ex religioſa profeſſione procedens, juxta voventis, ſive jurantis mentem conſcientiam ſub ea ratione, ſub qua juraſſet, vel voviſſet, ad potus abſtinentiam non conſtringeret, & tunc licet ad plurimorum abſtinentiam ex eodem divino jure ponatur adſtrictus, per potus tamen ſumptionem tale jejunium, ſic ex divino jure procedens, non frangeret; Quod ſi ſub quacunque ratione, etiam ad potus abſtinentiam ſeſe

Per potuum ſub ratione medicinæ aliave ratione ſumptionem jejunia, ex divino jure procedentia, frangi, vel non frangi declaramus.

constrinxerit, tunc per quamcunque potus sumptionem jejunium, ex divino jure sic procedens, frangeret. Eodemque modo discurrendum est, si non ex voto, vel juramento, neque ex religiosa professione, sed ex speciali divino præcepto ad jejunium adstrictus existeret: Si enim divinum illud præceptum potus etiam abstinentiam extra comestionem, sive extra determinatum tempus, includeret; & tunc per potus sumptionem jejunium, ex divino præcepto in sensu exposito procedens, frangeret; idemque dicendum, si in jejunii fraudem sumeret: aliter vero, si ad potus abstinentiam divinum præceptum non extenderetur, non secus ac supra cap. 1. n. 9. ad 11. proposuimus; cujus culpæ ratio ibidem observari poterit.

Ad Ecclesiastici jejunii solutionem, per potuum sumptionem indagandam, potus natura, ejusque multiplicitas proponitur, ac discutitur.

XII. Utrum autem Ecclesiæ jejunium per potuum sumptionem solvatur, rem hanc ab ipsamet potus natura discutere volentes, quid, & quotuplex potus sit, primo inquirimus; quæsitam deinde solutionem assignabimus. Quoad hoc autem Aristoteles in problematibus ex editione Sylvestri Mauri tom. 5. de Temperantia problemate quinto idest n. 5. sectionis 28. pag. 724. sic habet: *Cur minus sitim quam famem tolerare possimus? an quia sitis rerum duarum libido est, potionis, inquam, & cibi, fames autem cibi tantummodo est?* & n. 6. post princip. *Qui sitit res duas desiderat, cibum, atque refrigerationem: isthæc enim ambo potio exhibet: at qui esurit alterius tantum* (scilicet cibi) *appetens est.* Triplex autem potus distingui poterit naturalis, artificialis, medicinalis. Naturalis a natura sic dictus, quatenus nullo hominum artificio, vel industria consurgit, ut e. g. aqua ex mari, fluminibus, fontibus, nubibus, sive ex terræ meatibus exurgens: Artificialis autem potus hominis arte, & industria

ad

ad eumdem finem, atque ad eosdem effectus inducendos, quos naturalis potus causat', imo & quos naturalis potus non producit, ad impediendam scilicet naturalis potus cruditatem consurgit, ut vinum, vel aqua, cui aromatum quidquam misceatur: Medicinalis vero potus hominis arte, & industria ad expellendos, sive impediendos morbos ordinatus consurgit. Principalis autem cujuscunque potus effectus est, sitim extinguere, cibos digerere, ac distribuere, etsi cæteroquin secundario nutriendi, alendique virtutem habeat. Potus igitur, quicunque sit, secundum suum principalem effectum dicitur omne illud, quod juxta communem hominum existimationem non ad solidas partes enutriendas, sed ad sitim potius extinguendam ordinatur, licet etiam nutriat, ut aqua, vinum, cervisia, seu cerevisia, potus nempe ex hordeo, vel avena, &c. & aqua confectus; hi enim, ac similes liquores secundum suum principalem effectum non ad sedandam famem, sed ad extinguendam sitim, ad recreandos spiritus, ad refrigerationem, ad purificandum sanguinem, ac similia ordinantur. Quæ ergo juxta communem existimationem ad extinguendam sitim non ad solidas corporis partes nutriendas ordinantur, pro potibus haberi debent, etsi cæteroquin aliquo modo nutriant.

XIII. Potus igitur, qui ad alios secundum sui substantiam, ac juxta communem existimationem ordinantur effectus, quam ad sitim extinguendam, non secundum se, sed secundum denominationem tantum potuum rationem induunt; nec hominis arte effici potest, ut, qui ad extinguendam sitim ad digerendos cibos, ad purificandum sanguinem, ad recreandos spiritus principaliter non ordinantur, potus nominentur, ac sint, ut lac, jus carnis, &c. licet enim omnes potus sint liquores, non ta-

Quid sub potus specie potus non sit declaratur.

tamen omnes liquores sunt potus, etsi cæteroquin secundario sitim extinguant, sanguinem purificent, &c. Unde Hurtadus de potione chocolatica cap. 4. n. 55. *Quare*, inquit, *si substantia talis sit, quod sitim extinguere ex sua natura non possit, homines non possunt illam, potum per artem constituere, sed semper cibus manebit*. Rationemque assignare volens, ut rei substantia hominum arte potus efficiatur, subdit: *Ut homines potus artificiales conficiant, debet res, quæ potus efficitur, & vim sedandi sitim, & vim sedandi famem habere, ut homines institutione sua illam vim eligant, quæ magis relucet; & hominum institutio non dat rationem potus alicui substantiæ liquidæ*, si scilicet potus naturam substantia illa induere non possit, ut lac, jus carnium, &c.

Liquorem illum, qui potus naturam habet, Ecclesiæ jejunium non frangere comprobamus.

XIV. Potionem autem, quæ in sui ratione considerata potus naturam habet, etsi aliquo modo nutriat, Ecclesiæ jejunium non frangere ex d. Thomæ ratiocinatione apertissime colligitur, in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. q. 1. ad primum sic procedentis: *Ad primum ergo dicendum, quod, quamvis aliquis potus aliquo modo nutriat, tamen de se non ordinatur ad nutriendum, sed magis ad dispositionem bonam eorum, quæ nutriunt, ut scilicet per membra deducantur, & in stomacho non comburantur: Unde sumptio potus manducatio non dicitur*; Et concludit: *Et ideo ille, qui potat extra horam unicæ comestionis, non dicitur bis manducare; & propter hoc nec statutum Ecclesiæ frangit*, quod scilicet sub vi coactiva præcipit non plus quam semel in die jejunii manducare: idque confirmans in sua 22. q. 147. art. 6. ad 2. postquam jejunium naturæ illud esse declaraverit, quod excludit etiam quemcunque potum, de quo jejunio hic sermo non est, sed de ecclesiastico jejunio, subjungit: *Est autem aliud je-*

ju-

junium Ecclesiæ, quod dicitur jeiunium jejunantis: & istud non solvitur, nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat: & ideo licet pluries jejunantibus bibere. Videtur autem ex d. Antonino notandum in summa part. 2. Tit. 6. cap. 2. §. 9. quod sequitur: *Posset tamen ita immoderate sumere potum, quod peccaret, & perderet meritum jejunii. Petrus de Palude idem dicit, scilicet, quod potus non solvit jejunium, sive post prandium sumatur, sive ante. Sumere autem sine causa magna malum est, etsi non frangitur jejunium.*

XV. Quod autem dicit Sylvius in 22. q. 147. art. 6. *Neque vero hinc inferendum est, jejunium nunquam solvi per potum. In primis enim jejunium naturæ solvitur per quantulumcunque potus, etiam aquæ*, ut supra præoccupavimus; & pergit: *Jejunium autem Ecclesiasticum ordinarie quidem non solvitur per potum etiam ante meridiem sumptum, quamvis fortasse quispiam eum sumeret ad famem non nihil levandam juxta Navarrum cap. 21. num. 13. quod tamen nos tunc demum admitteremus, quando & modicum acciperet, & nullo modo in fraudem faceret*; Per hæc, inquam, videtur Sylvius non recte quoad omnia procedere. Cum enim potus, qui revera potus rationem habeat, ex Angelico, ut n. 14. observavimus, Ecclesiæ jejunium non frangat; inde fit, quod in quantacunque quantitate sumatur, nullo modo Ecclesiæ jejunium frangeret; nisi forte artificialis potus talis esset naturæ, ut secundum qualitatem, quantitatemque, sumendique vices ex rationabili hominum more sic & sic, ne jejunium frangeret, su- Qua ratione Sylvii doctrina procedere, vel corripi possit, discutitur.

ſumendus taxaretur. Et licet per immoderatum potum ratione intemperantiæ peccare poſſit illum ſumens; quia tamen potus ab Eccleſia non prohibetur; inde, etſi immoderate bibens ex intemperantia peccare poſſit, jejuniique meritum perdere, Eccleſiæ tamen jejunium non frangeret. Et mirum! Cum enim ipſe Sylvius Angelici doctoris ſummam exponat, Angelicæ doctrinæ oblitus ſit. Forte autem veteris diſciplinæ hallucinatus exemplo, aliter tenere ſuſtinuit; ut a S. Fructuoſo Epiſcopo Tarraconenſi, quæ Catalauniæ Civitas metropolis eſt, potus aquæ jejunii fractio reputabatur; cum enim S. Fructuoſus anno 262. ad martyrium raperetur, poculum, aromatibus conditum, chriſtianis propinantibus, recuſavit, dicens: *Nondum eſt hora ſolvendi jejunium*; ob eam nempe cauſſam, quod illo die jejunium ageretur, cujus ſolvendi tempus nondum advenerat: quem ſane morem, abſtinendi ſcilicet a potu abrogatum eſſe, neque ex Eccleſiæ mente amplius vigere, ex nuper dictis, ſatis conſtat.

Potum, etſi concretum, Eccleſiæ jejunium non frangere, comprobamus.

XVI. Ad eamdem doctrinam ſpectare videtur nivis, grandinis, glaciei, ac ſimilium ſumptio. Cum enim nix, grando, glacies aqua ſint, quæ ex ſui natura potus eſt; per hoc, quod in aere plus, minusve condenſetur, ut nix, vel grando efficiatur, ac ſimiliter per hoc, quod in terra conſiſtens, vi frigoris lapideſcat, & glacies fiat, non ſubſtantialis, ſed accidentalis mutatio videtur, cum præſertim in ſtomachum trajiciendæ partes, aquæ naturam omnino retineant, immo & quandoque in ore liqueſcant. Aquam autem Eccleſiæ jejunium non frangere ab Angelico docemur in 4. diſt. 15. q. 3. art. 4. dicente: *Aqua aliquo modo nutrit, non tamen ſolvit jejunium Eccleſiæ, quia Eccleſia non attendit in ſtatuendo jejunio id, quod quomodocunque nutrire poteſt, ſed id quod*

quod principaliter ad nutriendum ordinatum est.

XVII. Potum autem, in fraudem sumptum, jejunium solvere communis opinio est. Et quidem Angelicus, loc. nuper cit. quæstiunc. 1. ad 1. postquam dixerat, per potum Ecclesiæ jejunium non solvi, subjungit: *Nisi in fraudem faciat*, potum sumens, *quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit*. Et d. Antoninus in sua summa part. 2. Tit. 6. cap. 2. §. 9. postquam dixerat, immoderatum potum, etsi jejunii meritum perdere faciat, vel minuat, illud tamen non solvere; subjungit: *Nisi in fraudem hoc faceret, ad subveniendum scilicet fami, biberet*. Idem sentit Sylvius in 22. q. 147. art. 6. postquam enim dixerat, moderatum potum Ecclesiæ jejunium non frangere, addit: *si nullo modo in fraudem faceret*, bibens. In fraudem autem facere dicitur, qui quod lex sub vi coactiva intendit, & expresse non prohibuit, facit. vide cap. 1. n. 24. & 25. & passim. Unde FF. de legibus, & senatus Consult. L. *Contra Legem*, sic habet Paulus: *Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: In fraudem vero legis facit, qui salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit*. Ulpianus antem loc. cit. L. *Fraus*. sic explicat: *Fraus enim legi fit, ubi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit*. Et merito quidem: Etsi enim potus sumptio, quia ab Ecclesia non prohibita, jejunium non frangat; quia vero Ecclesia jejunii finem quoad executionem intendit, ac præcipit, corporis nempe pœnam, ac detrimentum; qui autem in jejunii fraudem biberet, ne scilicet jejunii afflictionem sentiret, præsertim si non de naturali potu sermo sit, finem illum jejunio intrinsecum, ab Ecclesia intentum, ac præceptum affectu, effectuque destrueret; inde sic bibens, contra Ecclesiæ mentem agens, peccaret.

Potum, sub quacunque ratione consideratam, in jejunii fraudem sumptum illud solvere, secus vero sine fraude, discutitur, ac resolvitur.

Positæ doctrinæ ratio etiam relate ad necessitatem, ulterius explicatur, confirmatur, ac roboratur.

XVIII. Nec mirum, si potus in jejunii fraudem & in magna quantitate sumptus, jejunii finem destruens, illud frangeret, secus vero sine fraude; sicut nec novum est, ejusdem rei comestionem in uno Ecclesiæ jejunium frangere, si scilicet sine necessitate fiat, secus vero in alio, in quo cibi illius necessitas, ut cap. 1. n. 36. diximus, urgeat. Cum enim Ecclesia per jejunii conditiones non occidere, nec naturam nimis debilitare intelligat, sed pœnam tantum ac detrimentum sub vi coactiva sentire intendat, ad spiritualem finem ordinatum; inde fit, quod, siquis naturæ indigentia urgente, non tantum cibi sumeret, quantum omnem pœnam, ac detrimentum excluderet, sed tantum, quantum ad indigentiam levandam sufficeret, pœna, ac detrimento, seu corporis afflictione, sicut in aliis jejunantibus, & non indigentibus, servata proportione, remanentibus, tunc Ecclesiæ finis, sub vi coactiva intentus, etiam post illud necessitatis levamen, remanens, in eo, qui sub ratione necessitatis comedit, non destruitur; non enim contra Ecclesiæ præceptum agit sic comedens, & consequenter nec peccat, nec jejunium solvit: nedum ex eo, quod Ecclesia cum gravi necessitate obligare non intendit; verum & ex eo, quod non ultra indigentiam comedens, sed soli necessitati satisfaciens, omnem pœnam, ac detrimentum ab Ecclesia quoad executionem præceptum, non excludit. Unde superiori cap. n. 36. diximus, ex necessitate in sensu exposito comedentem nec jejunium frangere, nec meritum perdere. Ad fraudem autem quod attinet, si difficile tibi videtur, eumdem potum sine prava intentione, ac sine fraude sumptum, jejunium non solvere, secus vero ex prava intentione, in jejunii nempe fraudem in sensu exposito sumptum, etsi cæteroquin rei naturam non mu-

mutet intentio: facilis erit responsio: vel enim ille ad explendam famem, & per hoc in jejunii fraudem bibens, ne scilicet afflictionem, ab Ecclesia sub vi coactiva intentam, sentiret, revera famem extingueret, vel aliquo modo levaret, vel non: si extingueret vel impediret, vel aliquo modo levaret; & tunc, cum potus ille respectu illius in illo casu cibi rationem habeat: jejunii finem, sub vi coactiva intentum destruens, vel minuens, sic bibens, contra, vel præter Ecclesiæ præceptum agens, pro culpæ modo etiam ex Ecclesiæ mente peccaret: Quod si per potum, in jejunii fraudem sumptum, famem non extingueret, nec minueret; etsi non peccaret, nec jejunium frangeret ex eo, quod jejunii pœna remaneret, peccaret tamen ex eo, quod Ecclesiæ finem jejunio intrinsecum, pœnam scilicet, sub vi coactiva ab Ecclesia intentam destruere, vel minuere, & consequenter contra vel præter Ecclesiæ mentem agere tentaverit: quod certe in eo non contingit, qui ex necessitate, vel rationabili aliquo fine bibit, etsi cæteroquin aliquo modo jejunii afflictionem præter intentionem diminueret. Pro conclusione tandem hujus §. videtur advertendum, quod si potus sit multum nutritivus, ad comestibilium potius naturam accedens hujusmodi potum sive in fraudem, sive non, in magna quantitate sumptum jejunium frangere videtur certum. Unde cum Sylvio in 22. q. 147. art. 6. ab Angelico non dissentiente, concludere placet: *verum si aliquis potu copiosiore, qui non est merus potus, sed multum nutritivus, uteretur extra tempus refectionis causa nutriendi, videtur, quod jejunium frangeret; idque juxta mentem B. Thomæ hic ad 3.* ubi relate ad electuaria postquam Angelicus docuerit, electuaria, aliasque medicinas, etsi aliquo modo nutriant, je-

jejunium non solvere, subjungit: *Nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi*. Ex quibus apparet, eamdem rem in fraudem sumptam, culpam involvere, secus vero sine jejunii fraude.

§. III.

De Jejunii solutione quoad potus mistos & non mistos.

Mistorum, & non mistorum potuum ratio aperitur.

XIX. Mistorum potuum nomine non illos, qui ex olerum, herbarum, pomorum, uvarum, & quorumlibet fructuum succis, vel arborum lacrymis, earum nempe humore, qui sponte fluit, earumve liquore, qui scilicet, secto cortice, emanat, nulla admissa aquæ quantitate intelligimus; hi enim per singulas secundum se considerati succi species, nullum scilicet alterius speciei succum admistum habentes, simplices potus dicendi sunt potius; sed illos potus mistos intelligimus, ac nominamus, qui ex prædictis succis, aqua immistis, vel per diversas illorum species compositis, sic & sic per hominis artem vi caloris, aliove artificio digestis, potus naturam induentes, communi existimatione potus efficiuntur ac nominantur; Cujusmodi sunt ex vitreo, vel æneo vase instillatæ aquæ, ex herbis, corticibus aliisque similibus, aqua immistis, vi caloris, aliove artificio effusæ; uti sunt aquæ cynnamomi, aliarumque herbarum, sive fructuum, florum, vel arborum corticum, aut lignorum succi, sive humores, aqua immisti, vi caloris expressi liquores effecti, qui potus dicuntur; ut herba thè, caffè, aliisque similibus confectæ aquæ; vel ex sectis fructibus humor decidens, aqua immistus, ac solutus, ut potus vulgo *Li-*

mo-

monea, *aliique* nullo adhibito calore, similis artificii potus; sive frigoris vi concretus liquor, qui in sensu exposito mistus, potus fit, ut sorbitiuncularum potus, nivis vi concretus, ejusque deficiente virtute, facile solubilis.

XX. His positis, discutiendum hic est, an potus sive misti, cujusmodi sunt stillantes aquæ ex herbis, corticibus, aliisque similibus chymica arte effusæ; uti sunt herbarum, fructuum, corticum, lignorumque succi, aquæ immisti, vi caloris expressi; ad quorum potuum species reducuntur aquæ ex herbarum thè, caffè &c. in fusione confectæ; vel ex sectis fructibus humor decidens, aqua immistus, ac solutus, ut potus limonea dictus, aliique similes; vel vi frigoris concreti potus, ex aqua, & aromatibus, &c. cujus generis sorbitiunculæ dici solent: sive non misti, seu simplices, cujusmodi sunt herbarum, pomorum, vel fructuum succi, vel arborum lacrymæ, aut liquor emanans, aqua non immisti: discutiendum inquam, hic est, an hujusmodi potus naturale jejunium solvant? Et sane si hujusmodi, cujuscunque rationis sint, potus, sub ratione medicinæ considerentur, jejunium, ex naturali jure procedens, non frangere eodem ac §. 1. n. 2. probavimus, argumento confirmamus: Quod si ad corporis, animæve salutem hujusmodi potuum abstinentia a natura dictetur; & tunc per hujusmodi potuum contra naturæ leges sumptionem jejunium ex naturali jure, ex naturali scilicet practicæ rationis principio procedens, ex naturali divino præcepto frangi eodem modo tenendum est, quo supra cap. 1. n. 2. discussimus.

Potus mistos, & non mistos naturale jejunium frangere, vel non frangere, ut superiori paragrapho, tenendum est.

XXI. Jejunia autem ex divino jure, ex voto scilicet, vel juramento simplici vel solemni, sive ex religiosa professione, aut ex peculiari divino præcepto procedentia, per hujusmodi potuum

Qua ratione per hujusmodi potuum sumptio-

nem, divini juris jejunia frangentur, remissive declaratur.

um sumptionem, sive sub ratione medicinæ considerentur, sive non, eodem modo frangi, vel non frangi, dicenda sunt, ac supra n. 4. 5. & 11. nec non & cap. 1. n. 9. ad 11. consideravimus, ac discussimus.

An Ecclesiæ jejunia per simplicium potuum sumptionem frangantur, discutitur, ac resolvitur.

XXII. An vero Ecclesiæ jejunia, quocunque modo hujusmodi succi, seu potus intelligantur, sive simplices, sive misti, sive etiam sub ratione medicinæ, frangant, discutiendum est. Si enim de simplicibus potibus sermo sit, non aqua scilicet immistis, cujusmodi sunt herbarum, pomorum, vel fructuum succi, vel arborum lacrymæ, aut liquor emanans &c. Si hujusmodi, inquam, succi, seu lacrymæ, vel liquores potus naturam induant, ut succus, seu humor ex uva expressus, quod *vinum* dicimus, & ad explendam sitim, ad purificandum sanguinem, ad digerendos cibos ordinentur, jejunium non frangere ex superioribus num. 12. &c. patet: Quod si non ad sitim, sed ad famem explendam secundum suum principalem effectum, ac juxta communem existimationem ordinentur; & tunc per hujusmodi succorum seu potuum sumptionem contra, vel præter Ecclesiæ mentem agens, lethale, vel veniale peccatum incurreret. Hinc sæculo 11. Græcorum usus, qui extra casum necessitatis, pomorum sive herbarum succis in diebus quadragesimæ pro refectione utebantur, a Cardinali Humberto, qui eodem sæculo floruit, in suis græcis collationibus reprobatur; quia scilicet undecimo sæculo extra unam comestionem refectio, seu collatiuncula ubique locorum, nondum invaluerat; idque etiam habetur in Biblioth. Patrum Tom. 4. part. 2. pag. 247. *Nec licet*, inquit Hubertus, *cuiquam apud nos sicut apud vos post unam refectionem quidquam pomorum, vel herbarum diebus jejuniorum percipere.* Unde qui

qui vel herbarum ſuccis per modum refectionis utebantur, reprobabantur. Non abſimiliter igitur; quia noſtro hoc tempore præter comeſtionem ac refectionem, apto tempore faciendas, aliæ nutritivæ, quæ ſcilicet potus naturam non habeant, prohibentur potiones; inde potiones, ad ciborum naturam accedentes, extra comeſtionem ac refectionem in die jejunii prohibitæ intelligi debent; quarum ſumptionem, nullam, ſeu venialem, aut lethalem culpam involvere ex ſuccorum quantitate, & qualitate juxta ſuperius dicta dignoſcere quiſque poterit. vide interim cap. 1. n. 24. & 25. & 43. ac paſſim ſupra hic §. 2. a num. 10. ac deinceps.

Idem continuatur argumentum.

XXIII. Huc etiam ſpectant uvarum, peponum, cæparum, cucumerum, aliorumque ſimilium fructuum ſucci; quos certe omnes, ſi in ſua comeſtibili materia ſumantur, jejunium frangere omnino tenendum eſt, ſicut de quibuslibet herbis, fructibus &c. quod ſi in ſuis ſuccis ſub ratione potus ſumpti, jejunii finem non deſtruerent, ſed minuerent, præter Eccleſiæ mentem ſic ſumens, jejunium quidem non frangeret, venialem tamen culpam incurreret; cujus culpæ diſcretio ex iis patet, quæ n. 10. ac deinceps ſupra diſcuſſimus, vide inſuper cap. 1. n. 24. & 25. & 43.

Quo ſenſu per miſtorum potuum ſumptionem Eccleſiæ jejunium frangi, vel non frangi dicendum ſit, aperitur.

XXIV. Quod ſi de potibus miſtis ſermo procedit; videtur dicendum, quod, ſi hujuſmodi miſti potus parum ſucci, aquæ vero multum habeant admiſſum, & potus naturam induant, jejunium frangere non videntur, dummodo præter ſuccus, ex herbis, fructibus, pomis &c. aqua immiſſos, alia comeſtibilis materia non addatur, vel ſi addatur, materiæ parvitatem, quæ culpam excludat, non excedat, & ſimul cum aqua, ac ſuccis illis, in ſenſu expoſito ſimul miſtis, miſcea-

ſceatur, ac potus naturam induat. Unde, licet apud Thomam Hurtadum tract. 10. in appendice n. 57. doctor Ramirez dixerit, aquas inſtillatas, ex herbis, vel aliis rebus liquidis potabilibus jejunium trangere, ſiquis eas, in ſanitate exiſtens, biberet, etiamſi cæteroquin omnes naturalis potus utilitates habeat, *quia*, ut inquit idem Ramirez, *ſunt potus medicinales*, & *non ordinati primo ad finem potus*, *ſed ad finem medicinæ*, ſubdit tamen Hurtadus ibidem cap. 3. n. 57. *Mihi non placet*, *quia hujuſmodi aquæ inſtillatæ*, & *aqua viva*, *aqua ardiente*, & *aliæ*, *vere habent finem potus proximum*, *ſicut* & *vinum*: *quare ſiquis eo fine utatur*, *cum ſit manifeſtus*, *ad extinguendam ſitim*, *non franget jejunium*, *quamvis communiter*, *quia non ſunt in tanta abundantia*, *illis non utamur*. Non prætereundum autem cenſeo, prædictum Ramirez, in præcitata ſua opinione Theologiæ principia, communiter admiſſa, atque ex Angelico num. 7. ac ſæpius expoſito, confirmata non ſapere. Ex eo enim, quod prædicti potus medicinales ab ipſomet reputentur ac declarentur, quomodo per eorum ſumptionem jejunium frangi abſolute, & abſque ulla diſcretione teneat, non intelligo. vide interim hujus capitis §. 1.

Prædicta doctrina quoad potus miſtos ulterius explicatur, & extenditur.

XXV. Aquas ſimiliter ex herbarum decoctione ſumptas, ut caffè, thè, &c. vel etiam alias potiones, nullo adhibito calore, ad miſtorum potuum genus pertinentes, ut aqua ſaccharo admiſta &c. jejunium non frangere tenendum videtur. Unde etiam ipſe Daniel Concina lib. 2. de Eccleſiæ præceptis diſſert. 2. cap. 8. ſic habet: *Colliges quoque non adverſari integritati jejunii potionem aquæ ſaccharo*, *cedro*, *balſamo*, *quæ vulgo limonata dicitur*, *conditæ ad ſitim extinguendam ſumptam*, *dummodo*, *parum horum condi-*

di-

dimentorum aquæ immiſceatur, ut ſcilicet ab illa cruditas auferatur, & ſtomacho aptetur: quamquam poſtea medicina ſit, quæ guſtui etiam apta & congrua eſt. Idem videtur dicendum de liquoribus, ex cymini, cynnamomi, aliorum florum, ſeu ſeminum, vel corticum ſuccis, aquæ miſtis; hos enim jejunium non frangere videtur omnino certum. Quod ſi per comeſtibilis materiæ additionem potus ille, ſeu liquor a potus natura deficiat, & rei comeſtibilis naturam induere incipiat; tunc, quicunque ſit hujuſmodi potus, penſata quantitate, & qualitate, illum ſumens contra, vel præter Eccleſiæ mentem ageret, & conſequenter venialem, vel lethalem culpam incurreret. Cujus culpæ diſcretio ſupra n. 10. ac deinceps, & cap. 1. n. 24. 25. & 43. obſervari poterit.

An per ſorbitiunculas, vi frigoris concretas Eccleſiæ jejunium frangatur diſcutitur ac reſolvitur.

XXVI. Quoad illas vero ſorbitiunculas, quæ ex iiſdem herbarum, corticum, fructuum, pomorum &c. ſuccis, aquæ immiſtis, & vi frigoris concretis, conſurgunt, an jejunium frangant, ambigitur. Cæterum ſi hujuſmodi potuum compoſitio talis ſit, ut, ea ſervata, revera potus naturam induat, eodem modo, ac nuper diximus, videtur reſpondendum. Per hoc enim, quod nivis virtute humor ille concreſcat, non proinde comeſtibilis efficitur, niſi tantum in ore, cum in ſtomachum ſicut potus deglutiatur; non ſecus ac aqua vi frigoris concreta, ut in ſtomachum trajiciatur, oportet in ore conteri, nec proinde tamen comeſtibilis efficitur. Eo quod igitur durities illa, vi frigoris acquiſita, quiddam ſubſtantiæ extrinſecum ſit, & omnino accidentale; inde utrum hujuſmodi ſorbitiunculæ jejunium frangant, non ex earum duritie, ſed ex compoſitione attendi debet. Si igitur liquores illi, antequam concreſcant in ſua natura ſpectati, non ad famem

extinguendam, sed ad sitim levandam, ad purificandum sanguinem, ad digerendos cibos ordinentur, ac proinde potuum naturam per hominis artificium induant, dummodo hujusmodi compositio ex prohibitis in die jejunii liquoribus non constet, juxta præjacta a nobis de artificialibus potibus principia, hic §. 2. n. 10. & deinceps exposita, in die jejunii sumi possunt.

Prædictæ doctrinæ prosequitur expositio.

XXVII. Quocunque autem casu hujusmodi sorbitiunculæ pœnam sub vi coactiva ab Ecclesia intentam, minuerent, vel omnino impedirent, vel tollerent, sive ex earum compositione, aut quantitate, & multo magis si ex vetitis succis, seu liquoribus constarent, vel, etsi ex esurialibus tantum cibis compositio efficeretur, non tamen potus, sed cibi naturam haberent; & tunc hujusmodi sorbitiunculas sumentem, jejunium frangere tenendum est; cujus culpæ discretio ex prædictis §. 2. & cap. 1. n. 10. 11. 24. 25. & passim innotescit.

Quicunque potus, sive simplices, sive misti, in fraudem sumpti, peccatum involvunt.

XXVIII. In jejunii autem fraudem sumptæ sorbitiunculæ, ad impediendum nempe finem, seu pœnam, sub vi coactiva ab Ecclesia intentam, semper peccatum involverent; unde ratione quantitatis, vel saltem ex pravo affectu non sentiendi pœnam, ac detrimentum, ab Ecclesia præceptum, peccaret sumens; cujus culpæ discretio observari poterit supra n. 7. & 17. & passim in superioribus, præsertim cap. 1. n. 24. 25. 43. &c.

§. IV.

De jejunii solutione quoad potus vinorum.

Quo sensu per vinorum potum naturale

XXIX. Etsi vinorum potus ad potus simplices, vel mistos præcedenti §. expositos, spectent, propter specialem tamen mistionem, quæ in diver-

versis vinorum speciebus contingere solet, specialem paragraphum instruere placuit; ac juxta servatam methodum, primo relate ad jejunia juris naturæ, ac divini, deinde paulo fusius relate ad jejunia juris humani, an scilicet per eorum sumptionem jejunia solvantur, agere instituimus. Enim vero vinorum potum, sub ratione medicinæ sumptum, jejunium, ex naturali jure procedens, non frangere, iisdem ac supra n. 1. 10. & 20. discussimus, innotescit argumentis. Quod si ad corporis, animæve bonum prosequendum vel malum auferendum, sive impediendum, vinorum abstinentia a naturali jure, a naturali scilicet practicæ rationis principio dictaretur; & tunc, vinorum non servata abstinentia, jejunium, ex naturali practicæ rationis principio procedens frangi; ac pro damni sive illati, sive orituri qualitate venialiter, vel lethaliter peccari ex iis, quæ cap. 1. n. 2. ad 7. discussa sunt, certissimum reputamus. Quatenus autem naturæ jejunium, secundum se consideratum, cujuscunque sive cibi sive potus omnimodam exigit abstinentiam; inde per quantulamcunque etiam vinorum potionem frangi, non secus ac superiori cap. n. 8. diximus, confirmamus.

jejunium frangi, vel non frangi possit, explicatur.

XXX. Jejunium autem sub quacunque ratione ex divino jure procedat, per vinorum potus frangi, vel non frangi eodem modo, iisdemque argumentis, ac supra n. 11. & 21. discussimus, tenendum est. Si enim ad vinorum abstinentiam per votum, vel juramentum cum deo obligatio contracta non sit; neque sub alia ratione a deo præcipiatur; cum tunc hujusmodi jejunium, vinorum abstinentiam exigens, non existat, per vinorum sumptionem frangi non poterit; Contra vero si ad vinorum abstinentiam per votum, vel juramentum cum deo obligatio contracta sit,

Sub qua ratione jejunium, ex divino jure procedens, per vinorum potionem frangi, vel non frangi teneri debeat, declaratur.

vel vinorum abstinentia a deo præcipiatur; & tunc jejunium, sub quacunque juris divini ratione, sive scilicet ex voto, vel juramento simplici, vel solemni, sive ex religiosa professione, sive ex divina lege, vel peculiari præcepto procedens, vinorum abstinentiam exigens, per vinorum potum frangi, eorumque abstinentiam non servando peccari tenendum est. Quale autem per vinorum potum in casu posito, vel in fraudem agens, peccatum incurreret, tale jejunium non servans, ex iis, quæ cap. 1. n. 9. ad 11. ac. n. 103. relate ad fraudem, in Ecclesiæ jejuniis adhibitam, diximus, facili negotio dignosci poterit.

Ad ecclesiastici jejunii solutionem ex vinorum potu provenientem, discutiendam, eorum natura, ac multiplicitas primo proponitur.

XXXI. Ad discutiendum autem, utrum per vinorum sumptionem Ecclesiæ jejunium frangatur, plura examinanda sunt, ut nostra deinde conclusio clarius innotescat. Et sane apud Emum Franciscum Mariam Brancatium Portuensem Episcopum in editione Rom. 1672. in sua dissert. de potu chocolatis plura vinorum genera enarrantur; de chocolatico enim potu loquens quoad vinorum genera ad secundum hæc verba subjungit: *Apud Aristotelem, & Rhodiginum habetur, ita crassiora arcadica vina reddi, quod comedi posse videri affirment, nisi aqua diluantur*. Et subdit: *docet Galenus vinum nutrire, concoquere, roborare, & inter ea numerari, quæ nostrum corpus alunt; adeo ut pergamenum æque ac suillam carnem, qua Athletæ, & Palestritæ vescuntur, nutrire affirmet*. Et Petrus de Apono antiquus Aristotelis commentator, notandum infert apud eumdem Brancatium, quod: *per potum intelligatur ille, qui est cibus, & potus simul, ut vinum: nutrit enim, refrigerat, & humectat*. Quin immo & per vini sumptionem famem sedari apud eumdem Brancatium ex Hippocrate in-

inferunt, ac sustinent Athenæus, Cardanus, Matthiolus, Grossus, & Baccius, *& hoc*, pergit Brancatius ibidem, *non tantum de antiquis, vinis, de quibus supra nempe Chiis, Coiis, Thasiis, Cretis, & aliis, sed de nostris hodiernis intelligit, videlicet de Maciaverris, Lachrymis, Vernaciis, & similibus*; quidquid dicat doctor Mercurialis, vir cæteroquin reconditæ eruditicnis, vinum non nutrire contendens: Et apud eumdem Emum in decursu dissertat. de potu chocolatis habetur, quod in Hispaniis, Galliis, atque utraque Germania usus est vini, quod *Cervisia* dicitur, cujus compositio ab eodem sic exponitur: *Hanc cervisiam, ex tritico concinnatam, alii bibunt, ut observant Baccius, Nonnius, & noster Caldera cumulate, & apud eum Manardus, & nuper idem Plempius valde erudite*; & immediate de eadem cervisia subdit: *Alii ex Bacci narratione componunt ex hordeo; alii frugibus, herbisque parant*; Unde Tacitus de Germanorum moribus loquendo de hac cervisia sic habet: *Potus humor ex hordeo, aut frumento in quamdam similitudinem vini corruptus*; Et non pauca videri possunt vinorum genera apud Plinium, præsertim lib. 14. in edit. francofurtensi 1582. de natura vini; de vinis generosis; vinis trasmarinis, &c. Capitibus 5. 6. 7. &c. & concludit Brancatius: *Ex Hebraicis etiam libris colligitur apud Buxtorfium, cervisiam, hordeaceis aquis confectam, a Medis pro potu adhiberi*: Et Grattarola lib. de vini natura cap. 24. addit. *Nutriunt omnes probatæ cervisiæ, & sunt boni succi, vires, roburque corporibus addunt, quemadmodum in partibus septentrionalibus; ubi tantum ejusmodi potu incolæ fruuntur, hominesque fortissimi pariter, ac robustissimi inveniuntur*. Idem videtur dicendum de *Polypyra* ex incorrupta fruge composita; & de

cæ-

cælia, quæ cervisiæ affinis est; ac de potu dicto *chia*, sive *cia* apud Japonios. Item ex succo cujusdam arboris liquor emanans, arte peritorum apud Indos vinum efficitur. Unde Maffeus in libris historiæ indicæ sic habet: *de Lagu arboris ramis, artificis manu concisis, levandæ siti mirifico sapore simul, & salubritate candidus liquor exsudat, quem vulgo Tuacam appellant*. Datur etiam alia vini species ex *maizio*, sive *tlaoli*, quod est frumentum Indiarum occidentalium, quod apud nos dicitur *Turcicum*, quod cum aqua, & melle, vel sine melle cum sola aqua vinum efficitur, ut cervisia. Multiplicia ergo sunt, ut apud eruditos patet, vinorum genera, de quibus plura, & eruditione plena, videre quisque poterit apud Plinium loc. a nobis citato, & passim.

Idem prosequitur.

XXXII. Idque etiam ex scripturis patet, ut ex verbis Annæ Samuelis matris, quæ ab Heli vino madens reputata 1. Reg. 1. v. 15. respondit: *Mulier infelix nimis ego sum, vinumque, & omne, quod inebriare potest, non bibi*. Non ergo vinum illud solum dicitur, qui ex uvis exprimitur liquor, sed multa sunt alia, quæ inebriare possunt, quasi vinorum genera; unde & de Joanne Baptista Luc. 1. v. 15. dicitur: *Et vinum, & siceram non bibet*; & de Samsone Judic. 13. v. 14. dixit Angelus: *& quidquid ex vinea nascitur non comedat, vinum, & siceram non bibat &c.* Nec non & Moysis tempore de Nazaræis dicitur Num. 6. v. 3. *A vino, & omni, quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent: uvas recentes, siccasque non comedent*. Multi sunt proinde liquores, qui inebriare possunt, & vini rationem induere. Et Prov. 31. v. 6. *date siceram mærentibus*, ut scilicet inebriati minus sentiant cruciatus, ut se-

sequitur, *& vinum his*, *qui amaro sunt animo* v. 7. *Bibant*, *& obliviscantur egestatis suæ*, *& doloris sui non recordentur amplius*, non quod ebrietas suadetur, sed ad hilares affectus excitandos, vini potatio proponitur. Sicera autem, quæ pro vino habetur, liquor est, coalescens ex succis pomorum, aliorumque fructuum, & aqua confectus; nec non ex dactylis, tritico, hordeo, melle &c. aquæ similiter immistis. Quod ergo Theophilus antiochenus lib. Allegoriar. in Lucam siceræ significationem nimis coarctans, dicit, tantummodo scilicet ad potum, ex dactylis confectum, restringens, experientia falsum comprobatur. Cerevisiæ autem, aliorumque vinorum usus etiam a Magistris vitæ spiritualis permittebatur. Unde Magister, qui sub finem sæculi 7. vixit, (non Petrus Lombardus qui sæc. 12. floruit) in suis regulis æstivo tempore in mensa cervisiæ, aut Zythi vasculum pro quatuor potionibus permittit: Zytum est potus ex hordeo per aquam resoluto, confectus; ad cœnam autem etiam æstivo tempore in diebus, jejunio non addictis, tres Zythi potiones permittit: ab ipso vero die quadragesimæ ad trigesimum duas potiones, unam scilicet ex mero, puro nempe vino, alteram ex caldo; caldus est vasculum potatorium cervisiæ, aut Zythi. Mulsum quoque de genere vinorum esse e scripturis constat; quia enim, legente Esdra librum legis, populus lugebat, ideo Nehemias luctum, ac fletum in solemnitate prohibens, cap. 8. v. 10. dixit: *Ite*, *comedite pinguia*, *& bibite mulsum*; quod vinum est ex melle mistum, seu potio, ex vino, & melle confecta.

XXXIII. Quia igitur prædicta omnia, aliaque, quæ adduci possent, liquorum, seu vinorum genera communi existimatione sub ratione potus intelliguntur; inde jejunium non frangere sapien- *Per vinorum sumptionem potus naturam retinentium*

nentium, Ecclesiæ jejunium non frangi statuitur.

tes omnes, & eruditi, horum, jejuniique naturam ex intima physica, & Ecclesiæ mente respective introspicientes, metientesque, concludunt, ut ex ipsamet experientia constat; quin etiam ex Angelico in sua summa, & ex 4. sentent. pluribusque supra n. 12. ad 15. a nobis relatis colligitur. Per hoc autem, quod vina ista artificialia ex comestibili quoque materia constant, potus naturam induere non posse, nullo modo inferri potest. Si enim vinum ipsum, ex uvis expressum, artificialis potus cum sit, quasi naturalis tamen potus effectus, hujus naturam induit, etsi cæteroquin ex comestibili tantum materia constet, ex uvæ nempe succo, qui sic & sic expressus, ac digestus, potus efficitur; quanto ergo magis alia vinorum genera, quorum materia magna ex parte ex aqua constans, non tota comestibilis est, ut supra de vinorum generibus diximus, sic & sic digesta, potus effici posse dicenda sint? Potibus autem effectis, eorumque naturam induentibus; sicut vinum, ex tota licet comestibili materia constans, potus naturam induens, jejunium non frangit; ita & liquorum, seu vinorum genera ex herbarum, fructuum, pomorum, florum, corticum &c. succis, aquæ immistis, ex comestibilium portionibus licet effecta, aquæ tamen immissa, sic & sic digesta, potus naturam induentia, jejunium non frangere tuta conscientia teneri posse videtur.

Prædicta doctrina comprobatur.

XXXIV. Nec dictis auctoritas deest. Julius namque Primus, audiens, lac pro vino in divinis Sacrificiis offerri; alios vero intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere; vel expressum vinum in Sacramento dominici calicis offerre; vel pannum lineum musto intinctum per totum annum reservare; & in tempore sacrificii partem ejus aqua lavare, & sic offerre; ad hæc, & si-

& similia eliminanda sanctissimus Pontifex, Christi exemplum producens, quem scilicet præter panem, & calicem nihil novimus obtulisse, in Epist. ad Episcopos, per Egyptum dispersos missa, de consecr. dist. 2. Can. *Cum omne crimen* sic habet: *cesset ergo lac sacrificando offerri: quia manifestum, & evidens Evangelicæ veritatis exemplum illuxit, quod præter panem, & vinum aliud offerri non licet*; Et postquam singulos errores reprobaverit; vel quia scilicet post consecrationem expressum botrum immiscebant; vel quia vinum aqua non miscebant; vel quia non satis clare quinam eorum error fuerit, innotuerat, sic ibidem subjungit: *Nam quod de expresso botro, id est de uvarum granis populus communicatur, valde est omnino confusum: sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur: quia calix dominicus juxta canonum præcepta, vino, & aqua permistus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi*. Si ergo botri succus materia Sacramenti in Sacrificio est, etsi nondum digestus; ergo potus est: quod si botri succus, qui in botro comestibilis erat, ab eo expressus, etsi cæteroquin hominum arte nondum plene digestus, potus naturam induit; quanto magis alii liquores, qui non ex comestibili tantum materia, sed ex aqua, & comestibili materia coalescunt, hominum arte digesti, potus naturam induere dicendi sunt?

XXXV. Tales ergo liquores, seu vinorum genera, potus naturam induentia, jejunium non frangere omnino ex dictis teneri poterit. Unde doctores, quos inter s. Antoninus in sua summa part. 2. Tit. 6. cap. 2. §. 9. ex Richardo sic habet: *Ricardus autem in 4. dist. 15. circa hoc sic dicit: Quamvis aliqui dicant, quod bibere vinum, vel cervisiam in mane, & comedere electuaria de sero de-*

Quæcunque vinorum genera, potus naturam induentia, Ecclesiæ jejunium non frangere confirmamus.

delectationis causa frangat jejunium, credo tamen contrarium; quia quamvis illa aliquo modo nutriant, in hoc tamen non est principaliter usus eorum, alias etiam frangeret jejunium bibere de sero vinum, vel cervisiam in collatione, quia habet aliquid de nutrimento. Et P. Thomas Hurtadus tract. 10. de potione chocolatica cap. 1. n. 4. dicit: *Conveniunt omnes, quod potus non frangit jejunium, etiamsi sit vinum, cerevizia, & alia hujusmodi*, subjungens: *Sic tenet d. Thomas in 4. dist.* 15. q. 3. art. 4. ad 2. etsi cæteroquin ibi de communi potu sermonem instituens Angelicus, quatenus non ad nutriendum principaliter ordinatur, jejunium non frangere asserat. Et P. Milante Exercit. 23. in prop. 23. Alexand. VII. dicit: *In præsentiarum quamplures, & fortasse universim & vinum & julepum vitalem bibunt, aliisque potionibus cervisiæ &c. utuntur sine ullo scrupulo*. Unde quia divus Thomas in Galliis diu moratus, & a Parisiensi facultate in Baccalaureorum ordinem cooptatus, nullam facit de opposito mentionem, ut patet in sua 22. q. 147. art. 8. ad primum, ideo rationabiliter creditur, quod sæculo 13. quo s. doctor Ecclesiam suis scriptis illustravit, etiam in Galliis jejunii rigor quoad vini, cervisiæ &c. potiones relaxatus esset, vel saltem earum sumptionem cum Ecclesiæ jejunio non pugnare sentiebat. *Hinc*, sapienter pergit Milante, *nimis rigide loquuntur Gallicani quidam Theologi, qui adstruunt, graviter peccare contra præceptum jejunii eum, qui extra prandium, vel cœnulam vinum bibit, idque probare contendunt ex monumentis Patrum &c.* quorum certe rigorem consuetudine relaxari posse, ut de facto relaxatus est, nemo sanæ mentis ambigere poterit. Notandum autem videtur, non esse in hoc reprehendendos, quin im-

immo laudandos Gallos, aliosque, qui, ubinam viget primæ disciplinæ rigor, servare contendunt.

XXXVI. Quod autem advertit Navarrus in suo Manuali cap. 21. n. 13. quod in die jejunii *licet bibere sæpius vinum, aut aquam inter vescendum, & mane, & vespere juxta s. Thomam receptum in 22. q. 147. art. 6. pulchra ratione id asserentem, quamvis ad sustentandum se, & famem sedandam biberet, quidquid aliqui sine textu, & ratione ad id idonea dicant*, quoad ultima verba vix eum divo Thoma sentire videtur, cum ipsemet sæpius doceat Angelicus in jejunii fraudem aliquid sumere peccatum esse, ut passim ac præsertim supra n. 17. & 18. dictum est: in eo vero, quod sequitur, non videtur contemmendus, immediate cit. loc. sic pergens: *venialiter peccaret, qui cœpta, & nondum finita digestione, biberet, non quidem, quod jejunium frangat, sed quia actum inordinatum*, scilicet intemperantiæ, ac naturæ noxium, *agit, nisi justa caussa, puta charitatis, pacis, societatis, sitis, aut alia similis eum excusaret, ut etiam Caje. ait in d. art. 6.* Navarri sensus explicatur.

XXXVII. In fraudem autem sumptum vini potum, non ad sitim scilicet explendam, sed ad famem sedandam, jejunium frangere certum teneri debet, juxta saniorum Theologorum doctrinam, quos inter s. Antoninus in summa part. 2. Tit. 6. cap. 2, §. 9. ex Richardo sic habet: *Si tamen homo in mane cervisiam vel vinum biberet, non ad extinguendam sitim, sed famem & in sero acciperet magnam electuariorum quantitatem, ad subveniendum fami, talis faceret fraudem statuto, & per consequens frangeret jejunium: subjungit tamen idem Richardus apud eumdem s. Antoninum dicens: credo tamen de bono et æquo* Quo sensu in fraudem sumptæ vinorum potiones jejunium frangant declaratur.

ca-

cavendum esse a potu vini vel cervisiæ, & similibus magis in mane quam in sero, quia potus sumptus post prandium, & siti subvenit, & digestionem adjuvat, in quantum per potum facilius, & convenientius defertur cibus ad singula membra, sumptus autem jejuno stomacho, ut plurimum nocet. Hæc ille scilicet Richardus apud s. Antoninum. Neque audiendi sunt dicentes vinum potum esse ex sui natura; sumentis autem effectum, vel intentionem vini naturam non mutare; qui sane Angelici verbis, n. 7. relatis. inniti videntur: non, inquam, audiendi sunt: qua enim ratione potus, ad famem extinguendam in jejunii fraudem sumptus, jejunium frangeret, secus vero ad finem potus, ad digerendos nempe cibos, ad purificandum sanguinem, ad explendam sitim sumptus, ut in superioribus sæpissime, ac n. 36. discussimus, ac pro posse demonstravimus, si sumptionis effectus, vel sumentis affectus, seu intentio attendi non deberet? Quæ certe fraus si talem intendat, vel pariat effectum, ut jejunii finem, pœnam scilicet, sub vi coactiva ab Ecclesia intentam, omnino tolleret, lethalem culpam induceret; venialem vero, si jejunii finem, seu pœnam non destrueret, sed præter Ecclesiæ mentem minueret, ut cap. 1. n. 103. & in hoc cap. n. 7. & 8. sub alia ratione dignoscitur.

§. V.

De Jejunii solutione quoad potum chocolatis.

Qua ratione chocolatica potio naturale jejunium frangere,

XXXVIII. Chocolatis autem potus quatenus ex aqua, & herbarum, seu fructuum vel corticum, ac florum succis, saccharo, cinnamomo, cacao, aliisve ejusdem generis constat, ad potus mistos pertinere, ex iis, quæ n. 19. & 20. diximus,

mus, satis dignoscitur. Unde sicuti mistos potus, potus naturam induentes, eorum servata compositione, cum jejunio pugnare, vel non pugnare §. 3. discussimus; ita & de chocolatis potu videtur dicendum; ob ejus tamen multiplices, & implexas difficultates, an jejunium solvat, speciali paragrapho discutiendum aggredimur. Et certe jejunia, ex naturali jure, ex naturali scilicet practicæ rationis principio procedentia, per chocolatis potum, sub ratione medicinæ sumptum, non frangi certum omnino teneri debet; & non secus, ac supra n. 2. discussimus, satis apparet: Cum enim natura sibi contraria non sit, nec in sui detrimentum tendat: inde, si in sui remedium chocolatis potionem suadeat, ejusdem abstinentiam proinde non dictans, chocolatis potio jejunium, quod non invenit, frangere non poterit, quod si e contra, chocolatis abstinentia a naturali jure, a naturali scilicet practicæ rationis principio dictaretur; equidem hujusmodi potio, præsertim in fraudem sumpta, naturale jejunium frangeret: idque iisdem ferme argumentis, ac in superioribus §§. n. 10. 20. & 29. quin immo & cap. 1. n. 2. ad 7. probatum supponimus.

vel non frangere possit, declaratur.

XXXIX. Quoad jejunia autem, ex divino jure sub quacunque ratione procedentia, brevis est responsio: Si enim sub ratione medicinæ chocolatis potus sumatur, ejusque sumptio ad vitæ conservationem necessaria reputetur, jejunium solvi, vel non solvi, non secus ac supra n. 4. & 5. discussimus, tenendum est: aliter vero dicendum, si nullo modo necessaria sit, vel in fraudem sumatur; tunc enim eam sumens potionem, & lethalem culpam incurreret, & jejunium solveret; venialem vero culpam incurreret, si, divini juris servata substantia, præter obligationem sumeret, ut cap. 1. n. 9. ad 11. dignosci poterit.

Quo sensu per chocolaticum potum jejunia ex divino jure procedentia, frangi, vel non frangi tenendum sit, declaratur.

XL.

Ad Ecclesiastici jejunii solutionem, ex chocolatico potu provenientem indagandam, chocolatis origo & compositio primo explicantur.

XL. Quoad jejunia autem humani juris, ut clara methodo procedamus, ac de iis, quæ dicturi sumus, benevolo lectori satisfaciamus, chocolatis originem, compositionem, nec non & regulas ad ejus licitum, illicitumque usum dignoscendum, assignabimus; quibus peractis, Theologi partes iterum reassumentes, per ejus sumptionem ex jejunii relaxatione, veteri disciplinæ contraposita, ab Ecclesia probata, vel saltem tolerata, ejusdem Ecclesiæ jejunia non solvi, nec proinde jejunii spiritum ex hoc ab Ecclesia defecisse, ex intimæ rationis, ac Theologiæ principiis probare conabimur. Quoad chocolatis ergo originem juxta quoad refert Concina lib. 2. de Ecclesiæ præceptis differt. 2. de jejunio cap. 9. n. 1. chocolatis, inquam, potio ex Illmo d. d. Augustino de Padilla Archiepiscopo de la Espanola, lib. 2. Historiæ Provinciæ Mexicanæ cap. 84. in provincia de la Chiapa circa dimidium sæc. 16. juxta quod conjicit Daniel, potus est, cui assentiuntur cæteri scriptores; esus deinde usus ad Hispanos transmeans, ad Italos pervenit. Hujus autem potus compositio ut plurimum ex cacao, cinnamomo, saccharo, aliisque hujus generis succis coalescit. Quæ omnia suapte natura, cibi nutrientis rationem habent. Cacai namque natura est butyrosa, calida, & humida, cordis substantiam vivificans, pinguem sanguinem creans, spiritusque nobiles progenerans, de quo Joannes de Laet lib. 7. descript. Indiarum occid. cap. 2. sic habet: *Simplex enim potio refrigerat, & nutrit insigniter.* Cinnamomum est siccum, & humidum, nobilissimos spiritus, puriorémque sanguinem producens; saccharum est succus, ex arundinibus quibusdam expressus, calidus, & humidus.

Chocolatis potus sub

XLI. Ad assignandas autem regulas, an chocolatis potus jejunium frangat, advertendum vide-

detur, non de quocunque jejunio, neque sub quacunque ratione quæstionem procedere, sed de jejunio Ecclesiæ, ac sub ea ratione, sub qua ab eadem Ecclesia præcipitur, intelligi oportere. Inde fit, quod non de jejuniorum, ex naturali, divinove jure procedentium solutione, de qua supra n. 38. & 39; neque de ejusdem ecclesiastici jejunii solutione secundum se per hujusmodi potus sumptionem sermo procedit; sed de ecclesiastici jejunii solutione juxta præcipientis mentem considerati. Ad quæstionis ergo solutionem, num chocolatis potus Ecclesiæ jejunium frangat? disquirendum est, utrum chocolatis potus Ecclesiæ jejunium, secundum se consideratum, ac juxta perfectionis integritatem; an vero juxta præcipientis mentem (vide n. 6. 7. 8. 14. 16. 33. 34. 35.) illud frangat? Et quia hujus loci non est disquirere, an per hujusmodi, vel similium potiones jejunium sua perfectione minuatur, sed solum an Ecclesiæ jejunium per chocolatis potionem juxta Ecclesiæ mentem frangatur: idcirco, omisso primo, hoc secundum discutere placet. Ad quod certe discutiendum Ecclesiæ mens in præscribendis jejuniis attendenda est, quæ, si in suis jejuniis chocolatis potum prohibere intendit, sub ea ratione, sub qua chocolatis potionem in suis jejuniis prohibere intendit, sub eadem ratione ejusmodi potionem Ecclesiæ jejunium frangere concludendum est; secus vero sub ea ratione, sub qua hujusmodi potus ab Ecclesia prohiberi non intelligitur. Quia igitur non de jejunio secundum se, sed de jejunio, prout ab Ecclesia præcipitur, sermo procedit, inquirendum remanet, an in die jejunii, Ecclesiæ mente spectata, chocolatis potio prohibeatur, vel non? Ad quod inquirendum, definiendumque, multa discutienda, ac stabilienda sunt. Enim vero Ecclesiæ je-

qua ratione Ecclesiæ jejunium frangere, vel non frangere intelligi debeat, aperitur.

ju-

junium frangendi ratio non est, quod chocolatis materia, licet per hominum artificium potus naturam induat, cibus tamen secundum se sit; secus enim quæcunque comestibilis materia, etiam potus naturam induens, Ecclesiæ jejunium frangeret, quod falsum esse ex superioribus hujus capitis paragraphis patet ubi de medicamentis, & potibus satis pertractavimus.

Aliquorum fundamenta, ex natura cibi nutrientis sumpta licitum chocolatis potum in die jejunii negantium proponuntur, expenduntur, & confutantur.

XLII. Unde non recte ratiocinari videtur Fr. Daniel Concina lib. 2. de præceptis Ecclesiæ dissert. 2. cap. 9. n. 4. dicens: *Chocolates ex rebus, quæ corpus nutriunt, componitur... Atqui quæ suapte natura cibi nutrientis rationem habent, sive liquata, sive solida sumantur, jejunium violant.... Ergo chocolates, etiam aqua liquatus rationem cibi retinet nutrientis. Frangit ergo jejunium.* Cui adhærere videtur Laurentius Berti tom. 2. de Theolog. discip. lib. 24. cap. ult. in prop. 3. dicens: *Argumenta, quæ Cardinalis Franciscus Maria Brancacius, aliique viri docti producunt ad probandum, quod potione cocolatæ Ecclesiasticum non frangatur jejunium, non videntur frugi Theologo penitus satisfacere*. Qui ad primum Emi Brancacii argumentum; quod scilicet chocolatæ haustus potio sit, & non cibus, sed potus sorbeatur, & quod ad genera potionum referatur, in cit. prop. 3. sic respondet: *sed huic argumento responderi potest, cocolatam etiamsi poculo exhauriatur, inter esculenta, & quidem majoris substantiæ connumerandam. Nam Stube Medicus Anglus experimento monstravit plus unctuosi, & nutrientis humoris elici ex una uncia cacao, quam ex libra bovinæ carnis; Ideoque cocolatam solidum esse alimentum.* Isthæc autem ratiocinatio, quæ cæteroquin apud Danielem Concina, & Laurentium Berti magni fieri solet, rectæ rationi non cohæret: Vini namque substantia

tia non mutatur per hoc, quod ex uvis expressa, hominis arte rationem potus induat, & tamen qui in uva cibus est succus, per hominis artem potus naturam induens, dicitur, & est revera potus. Et Indorum potum chocolatis potum esse ab eruditis conceditur. Unde Joannes de Laet lib. 7. descrip. Indiar. occiden. cap. 2. ait: *Principalis usus est in potu, quem conficiunt, quem Chocolaten vocant; insanum in modum ab incolis harum Regionum dilectam*. Unde licet cacao sit butyrosum, calidum, & humidum; & cinnamomum odoriferum sit, ac roboret, aqua tamen solutum, potus naturam induit, & est. Quod si revera jejunium frangeret ex sui natura, neque per hominum artem potus naturam induere posset, nullo modo qui in magnis illis provinciis hujusmodi potu utuntur, jejunare dicendi sunt. vide §. 2. 3. & 4. hic an. 10. & deinceps.

XLIII. Et a fortiori noster Daniel prætensa in suis ratiociniis efficacia procedere non videtur, loc. cit. n. 5. dicens: *Si ergo adversarii concedunt, chocolatem in sua natura sumptum*, scilicet in solida massa, *frangere jejunium, potiori jure fateri coguntur chocolatem aquæ immistum, & ad regulas artis jactatum, legem violare jejunii*. Non, inquam, prætensa efficacia procedit Daniel: Si enim majus quid comestibile sit ex re comestibili, nullo potabili liquore admisto, potus naturam habentem, exprimere, efficereque potum; quam comestibilem rem cum potabili liquore mistam, potabilem liquorem effici; quomodo ergo vinum de vite, quod ex re tantum comestibili constat, etsi sustentet, ac nutriat, nec per ipsum Danielem jejunium frangit? Si ergo nec vinum de vite, nec aliæ vinorum species, ex rebus cæteroquin comestibilibus, ac potabilibus compositæ, ut supra n. 33. 34. & 35.

Adversariorum incepta confutatio prosequitur.

 di-

diximus, etsi sustentent, ac nutriant, quia tamen potabilium naturam hominum arte induunt, idcirco potus natura prævalente, nec per ipsum Danielem jejunium frangunt; inde quantum ad hoc Fr. Daniel Concina non recte ratiocinari, nedum ex eo dignoscitur, quod chocolaten aqua dilutum, jejunium frangere dicat, ea ductus ratione, quod in massa sumptus, illud frangat; verum & ex eo quod, etsi potus naturam per hominum artem induat, ex hoc ipso jejunium frangere a fortiori asserat; cum ex vinorum paritate, quantum ad rationem attinet, ab ipso assignatam, erroris convinci facile innotescat. De vinorum namque speciebus apud Thomam Hurtadum tract. 10. cap. 8. Martinus ab Azpilcueta sic habet: *In Germania, Belgio, Gallia, & aliis multis christiani orbis regionibus utuntur Christiani cerevizia in die jejunii, quæ eodem ferme modo componitur, præposita aqua proinde ac in eisdem & in aliis vino mero; tum quia vinum præsertim generosum longe majus nutrit, quam posita aqua de chilate, ut satis colligitur ex divo Thoma, ut supra, & constat experientia. Attamen quia sumitur ut potus, & potius ad alterandum, quam ad nutriendum, non interdicitur hujus usus in die jejunii. Ergo nec a fortiori usus aquæ prædictæ quæ sumitur ut potus ad alterandum potius, quam ad nutriendum.* Nec obstat, ut advertit idem Thomas Hurtadus, quod Navarrus dixerit, Indos in suo labore hujusmodi potu sustentari, eoque uti a mane usque ad noctem; non inquam obstat: Multi enim, reassumit Hurtadus, *solo vino etiam sustentantur iter facientes. Tum quia satis est proposito nostro, quod Ecclesia non interdicat potum, sed esum; & quod præposita aqua, habetur pro potu in illis regionibus Indiarum, sicut vinum, & cerevizia multorum generum in toto*

toto orbe christiano, quod longe magis nutrit, quam præposita aqua. Pro suæ tamen conscientiæ tutamine subjungit: *salva, quæ justior fuerit sententia.*

XLIV. Unde nec prætenso rationum pondere procedere videtur Fr. Laurentius Berti loc. supra cit. subjungens: *Thomas Gage refert audivisse se a fide dignis Americanis illic eos qui plus cocolatis pocula sorbent, fieri quadratos, ac pingues. Atque rationem affert, quoniam, licet cacao partes permultæ sint frigidæ, sunt tamen & aliæ permultæ butyrosæ, ac nutrientes, atque bis calida alia ingredientia, cinnamomum præsertim, atque vaginula sunt ad instar vehiculi, ut ad hepar, & viscera discurrant, ibique in carnem, & pinguedinem coalescant. Et quamvis e contra Brancatius ait non semel se fuisse expertum, quod poculum unius consuetæ potionis cocolatis vix ad septem horas vires stomacho languenti suppeditat; unde infert falsum esse, quod duæ cocolatis unciæ plus dent nutrimenti quam tres unciæ carnis: communis tamen est medicorum sententia, cocolatam optimum præbere nutrimentum, ut demonstrat in bibliotheca pharmaceutico-medica Jacobus Mangetus. Et quilibet forte experiri poterit falsum esse allatum a Cardinali Brancatio experimentum, cum non semel uno cocolatæ poculo iter agentes perseverent usque ad vesperam viribus validissimis: quamquam fateor esse, qui post septem horas esuriat, non solum exhausto poculo cocolatæ, sed a prandio quoque, vel cœna.* Et pergit idem Berti: *Porro cocolata, etiamsi sorbeatur, & ad poculenta quodammodo spectet, ut etiam lac, capique stillatus liquor, non ad extinguendam sitim, sed ad vires refocillandas exhauritur; ideoque esculenti rationem habet, non potionis; aut si potionis, talis quidem, quæ nutriat, atque sustentet. At quod* in-

Adversariorum incepta confutatio quoad primum a Laurentio Berti propositum argumentum prosequitur

inquiunt, Americanis cocolatam potum esse communem, potest principio retorqueri; Si enim inter Americanos jejunium non frangit, quoniam ibi vulgaris est potio; violabit profecto jejunium apud Italos, quorum singuli tali luxuria non bibunt. Deinde respondet noster Nicephorus Sebastus, qui de cocolatis potione dissertatiunculam edidit, quod, licet cocolata eamdem in America, & Italia habeat naturam, usus tamen regionum debet attendi: quippe & Græci jejunium frangunt, si certis feriis, & maxime Majori hebdomada non se abstineant a vino, ac piscibus sanguine concretis: quod in consuetudine non est apud Italos; ac simile exemplum profert de refectiuncula, quam appellitant collationem. Melius tamen respondebis, si dixeris, Americanos stomacho esse debiliores, & spectata regionum diversitate, varias potiones, epulasque adhibendas. Multa sane congerit speciosus doctor noster Laurentius; at non apposite concludere videtur. Per hoc enim, quod chocolatis materies nutriat, non proinde Ecclesiæ jejunium frangere dicenda est, ut passim in hoc §. & n. 41. & locis ibidem allatis, quin & alibi in superioribus dignoscitur. Neque ex Americanorum nutrimento aliquid contra chocolatis potum inferri poterit, illi enim chocolatis potum pro communi potu habentes, magnos cyathus, & sæpe in die sumunt, quo sensu non procedit quæstio. Non ergo contra nos est dicere, *Americanos, qui plus chocolatis pocula sorbent, fieri quadratos ac pingues*. Quod autem addit: *iter agentes uno sumpto chocolatis poculo validissimis viribus usque ad vesperam perseverare*; id prætorquam quod vix contingit, si tamen contingit, non de chocolatis poculo intelligitur, de cujus tamquam licito usu in die jejunii quæstio procedit, sed de chocolatis potione, quæ & ma-

gna

gna ſit, & magnam habeat chocolatis materiem, cuique proinde panis non modica portio intingatur, intelligi debet; ut facere non raro solent præclare conditionis homines iter agentes, quorum ſtomachus, ne cibis gravatus, pœnam ſentiat, ſuavi chocolatis potu modo dicto comeſtionis loco utuntur; nec mirum, ſi uſque ad veſperam validiſſimis viribus perſeverant, ſi ante ſuſceptum iter, magnum ſpiſſæ chocolatæ cyathum, pane inſuper intincto, ſive infuſo ſumpſerint: quo ſane ſenſu nullo modo procedit quæſtio. Nec deinde recte procedit, a liquore in genere paritatem ſumens; quaſi ſcilicet chocolatis potus revera potus aſſeratur, quia ſorbetur; ſecus enim lac, & capi, ſeu caponis ſtillatus liquor, potus eſſet, quia ſorbetur: quod ſane nec nos, nec alius quicunque in re theologica mediocriter peritus aſſerere audebit, niſi qui ignoraret non omnem liquorem potum eſſe, licet omnis potus liquor ſit. Potus ergo aſſeritur, non quia ſorbetur, ſed quia hominis artificio poſt aquæ miſtionem potus naturam induit. Nec Theologo dignum eſt, quod ſubdit, *Apud Americanos, quia vulgaris potus eſt, jejunium non frangere, ſecus vero apud Italos*. Si enim per ipſum chocolatis potio apud Italos jejunium frangit, non quidem ex alia ratione, niſi replicatæ comeſtionis; cum ergo communis aliquarum provinciarum uſus jejunii naturam quoad ſubſtantiam mutare non poſſit, & hujuſmodi potionis ſumptio apud Italos comeſtio per ipſum dicenda ſit; inde Americani ſæpe in die hanc potionem ſumentes ſæpe comederent; ſæpe igitur in die jejunii chocolaticum potum ſumentes Americani, ſæpe comederent; quod ſi ſæpe in die jejunii comederent; quomodo ergo jejunium non frangerent? Ad ſummum igitur dicere debuerat noſter Laurentius

tius, ex communi illarum regionum usu ob stomachi, ac naturæ debilitatem, hujusmodi potum sæpe sumentes, a peccato excusari, quod tolerabilius esset, & a vero non abhorrens; cum præsertim ob stomachi debilitatem sub ratione medicinæ sumpta talis potio nec per ipsammet Berti etiam apud Italos jejunium frangere dicenda sit; quo sensu non procedit quæstio.

Incœpta confutatio quoad alterum a Laurentio Berti propositum argumentum prosequitur.

XLV. Pergit deinde idem Laurentius aliud Eminentissimi Brancacii argumentum confutare, quod scilicet chocolates jejunium non frangat; eo quod nec vinum, nec cervisia frangant, quamvis utrique vis insit nutritiva, & quidem tanta, ut olim ante certamina vina Athletis propinarentur; Et aliqua vina ex Galeno æque nutriant ac porcina caro, nec tamen jejunium frangunt, neque hæc cerevizia, inter esculenta censetur, tametsi ex frumento, hordeoque paretur. Ad quod in eadem prop. 3. sic respondet noster Berti: *At potest hæc argumentatio elidi, primum negando, cerevizia, vinaque jejunium non violari, cum oppositum ex ipsa vi nutrimenti demonstret in thesibus Lovaniensibus cum magna Eruditorum caterva Gummarus Huygens. Atque, ut demus Brancacio, hanc opinionem communiter esse explosam, si loquamur de vino, aqua diluto, mensisque vulgaribus usitato; certa quidem est, si sermo instituatur de vino meraciori, quale aut Galenus commemorat aut propinabatur Athletis. Deinde sunt, qui negant habere vinum nutriendi vim per se, cum non alat natura sua, sed efficiat dumtaxat digestionem alimentorum. Insuper nemo dixerit, nequaquam jejunium frangi vino, cui saccharum, cinamomum, & aliquid esculenti permisceas.* Neque autem per prædicta chocolatis usum feliciter impugnat noster Laurentius. Advertere enim debuerat, hic

non

non de ſolutione jejunii ſecundum ſe ſermonem procedere, ſed de jejunii ſolutione juxta Eccleſiæ mentem. Unde licet vinum, ac cerevizia, eo quod aliquo modo nutriant, jejunium ſecundum ſe conſideratum aliquo modo in ſui perfectione diminuant, quia tamen hujuſmodi potuum ſumptio, in ſenſu a nobis expoſito n.33.34.& 35. & 41. & paſſim exponendo, contra Eccleſiæ mentem non eſt; inde nec Eccleſiæ jejunium per hujuſmodi potuum ſumptionem frangi dicendum eſt. Ad quid ergo verba multiplicat noſter Laurentius dicens *cerevizia, ac vino violari jejunium?* Nec Gummari opinio noſtro Laurentio ſuffragatur; cum in præcitatis Theſibus Lovanienſibus Gummarus Huygens, vini, ac cereviziæ naturam, nec non & jejunium, non relate ad Eccleſiæ mentem ſermonem convertens, ſed ſecundum ſe tantum conſiderat; quo ſenſu a vero non aberrare & nos permittimus. Quod autem Emo Brancacio permittit noſter Laurentius, vinum ſcilicet aqua dilutum non frangere, ſecus vero non dilutum, ſua temperantia, ac virtutis amore videtur deceptus; Cum certum apud omnes ſit, vinum, etiam aqua non dilutum, Eccleſiæ jejunium non frangere. In eo autem quod addit, vinum ſcilicet Athletis propinatum, vel ſpeciali ratione præter communem uſum adhiberi ſolitum, ſpectata ſua natura, a potus ratione deficiens, Eccleſiæ jejunium frangere diſſentire non videor; Cum enim in eo ſenſu hujuſmodi vini uſus in die jejunii licitus non procedat, nec Eccleſiæ menti conformetur, immo & diſformis exiſtat, nos ferire non poterit. Neque per id, quod ſubjungit: *Nemo dixerit, nequaquam jejunium frangi vino, cui ſaccharum, cinnamomum, & aliquid eſculenti permiſceas*, nos ferit: potus enim chocolatis non totus materia comeſtibilis

eſt,

est, sed ex materiæ comestibilis parvitate, & aqua in majori quantitate coalescit; contra vero vinum quatenus humor est ex uvis expressum, totum ex materia comestibili constans; cui si alia addatur comestibilis portio, ut saccharum, &c. contra Ecclesiæ mentem tali mistione existens, quatenus a potabilis natura magis recedens, quid mirum si jejunium frangat? cum præsertim vinum saccharo, &c. mistum non sub ratione potus, sed sub ratione medicaminis, de quo alia militaret ratio, non secus ac §. 1. diximus, adhiberi soleat. Cæterum nec verum videtur per sacchari parvitatem, vino immisti, Ecclesiæ jejunium frangi. Cum enim humor ille ex uvis expressus, hominumque arte vinum effectus, potus rationem induat, per superadditam sacchari parvitatem non illico comestibilis materia efficitur a rei potabilis ratione deficiens, cum præsertim saccharum sal existens, non nutriendi, sed solutivam vim a potiori habeat: idem videtur dicendum de cereviziis, aliisque vinorum generibus. Quod si per materiæ additionem a communi potus ratione hæ potiones deficiant, tunc Ecclesiæ jejunium frangere juxta scilicet additæ materiæ qualitatem, ac potionis quantitatem, non negamus. Animadvertere autem liceat ipsum Laurentium Berti doctorum referre sententiam, magnam vim nutritivam vino, ac cereviziæ tribuentium; aliorum quoque nutriendi vim vino negantium; utra autem harum opinionum vera sit, injudicatum relinquere. Pro neutra ergo parte suæ sententiæ fundamentum conferens, quomodo a vini nutrimento infert ejus potu jejunium frangi si postea vim nutritivam vino negantium sententiam referens, in eam quoque inclinat opinionem? In utramque enim oppositam inclinans opinionem, cujuscunque partes suscipiat,
im-

impingit, nec Brancatium impugnat, cum præsertim ex vi nutriendi jejunii solutio inferri non possit, si potus rationem retineat, ut & in superioribus §. §. discussimus.

XLVI. Ad id autem, quod dicit Brancacius, reponens, ea permistione per saccharum, cinnamomum &c. accedere vino aiendi vires robustiores; Cum e contra pulvis chocolatis in aquam demersus, vigore pristino destituatur; Respondet Berti ibidem sic: *Sed fallitur fortasse. Enim vero cum cocolatæ massa partes habeat aliquas frigidas, sed permultas unctuosas, sulphureas, atque inflammabiles, quæ omnes cacao insunt; adduntur præterea in cocolatæ præparatione saccharum, & cinnamomum; cocolates redactus in pulverem, & demersus in cocumam calida aqua, lignoque dentato iterum permistus, fit esculentum stomacho frigido percommodum, & particulæ calidiores, ut dictum est supra, solutæ magis, ac liberæ fiunt cum humidis aptius vehiculum unctuosarum, atque nutrientium: unde cocolata hoc pacto soluta non minus nutrit, ac si illam sumas massa, aut pastillis, sed longe melius, salubrius, aptoque stomachis tam calidis, quam frigidis temperamento. Ex quibus*, pergit idem Berti, *diluitur tertia ratio Brancacii, qui contendit demonstrare, cocolatem aquæ permistione exuere propriam esculenti naturam, cum illam e contra nanciscatur perfectiorem.* Istæc autem contra Brancacium Laurentii Berti impugnatio cohærere non videtur; non enim intendit Eminentissimus Brancacius, chocolatem, aqua dilutum, potus naturam induere, si tanta sit cacao, cinnamomi, sacchari &c. quantitas aquæ quantitati comparata, ut potius esculentum sit, a potabilis materiæ natura deficiens, sed illam chocolatis cum suis admistis quantitatem potus naturam induere intelligit, si

Incepta confutatio quoad tertium a Laurentio Berti propositum argumentum, prosequitur

ſi totius materiæ quantitas relate ad aquam, cui immiſceatur, tanta ſit, ut potus naturam induere poſſit ut de ceveviziis aliiſque vinorum generibus, potus naturam induentium, dici debet.

Incœpta confutatio quoad quartum a Laurentio Berti propoſitum argumentum, proſequitur

XLVII. Ad quartum Brancacii argumentum, quod ſcilicet juxta communem opinionem materiæ parvitas Eccleſiæ jejunium non frangit, reſpondet idem Berti ſic: *Verum ſi uni cocolatis unciæ tanta eſt vis nutritiva, ut præclariſſimi medici Mangetus, Paſquius, Zacchias, Stubeus, aliique obſervarunt, non minus attendenda eſt cocolatis quantitas, quam potionis, ac nutrimenti natura: idque in jejunio maxime quadrageſimali, quod credimus in Elia, & Moyſe præfiguratum; Chriſti conſecratum exemplo, & antiqua & Apoſtolica traditione firmatum, ut eo religioſius ſervari debeat, quo fuit majori auctoritate præſcriptum.* Neque etiam per prædicta eloquentiæ, & eruditionis monumenta Emum Brancacium impugnat noſter Laurentius, ſi de Eccleſiaſtici jejunii perfectione loquatur. Non enim ab Emo Brancacio, neque a nobis negatur majori cum perfectione ſervari jejunium, quo major ſervetur abſtinentia; unde perfectius ab eo ſervari jejunium, qui a chocolatis potu, a caffè, limonea &c. quin & a ſerotina refectione abſtineret, non diffitemur: ſicut majori cum perfectione ab occidentalibus ſervaretur jejunium, ſi orientalium morem ſequentes, a magnorum piſcium, ſanguinem habentium, eſu, ac vini potu abſtinerent. Quæſtio autem non de jejunii perfectione procedit, utrum ſcilicet a chocolatis potu abſtinens, perfectius jejunet? hoc enim, nemine diſcrepante, omnino concedi debet; ſed an chocolatis potum ſumens, contra vel præter Eccleſiæ mentem agat, ſic jejunans? An ſcilicet per chocolatis ſumptionem in die jejunii nullam, aut venia-

nialem, vel lethalem culpam incurrat? Nec vis nutritiva, chocolatis potui inhærens, ratio frangendi jejunium est, cum etiam vini, ac cereviziarum potus aliquo modo nutriant; & tamen quia per hominis artificium potus naturam induentia, non esculenti sed poculenti rationem acquirunt, jejunium non frangere multoties diximus, ac in superioribus n. 14. 23. ad 27. 33. ad 35. & 41. discussimus, & comprobavimus.

Incœpta confutatio quoad ultimum a Laurentio Berti propositum argumentum, prosequitur

XLVIII. Ad ultimum Cardinalis Brancacii argumentum, quod scilicet medicamentorum potione jejunium non læditur, sic ratiocinantis: *chocolata roborat naturalem calorem, generat puriorem sanguinem, cordis substantiam vivificat, dissipat flatus, & prodest ad stomachum roborandum*; habet igitur medicamenti naturam. Non ergo frangit jejunium. Ad illud, inquam, ultimum Brancacii argumentum sic respondet Berti: *Ast utraque hujus syllogismi præmissa corruit sponte sua, & universam molem evertit. Etenim vel ægroto medicamentum exhibes, vel sano, at robusto. Si ægroto, ejusdem saluti providendum esse demonstrat lex ipsa naturæ; si autem sano, ac valenti, oportet, ut expendatur qualitas medicaminis. Quod si fuerit nutritivum, atque esculentum, nego consistere cum jejunio. Atque ita prior illa propositio fluctuat, & labascit. Sed altera propositione tota machina excidit. Nam si cocolata roborat naturalem calorem, generat puriorem sanguinem, cordis substantiam vivificat, dissipat flatus, & prodest ad stomachum roborandum, quomodo frigida est admodum, nec nutrit, nec cibus est, nec sustentat, nec vim habet esculentorum? Quomodo stomacho roborati, & naturali calore robusti servabunt jejunium, ab Ecclesia eo fine institutum, ut fideles ab alimentis abstinentes, carnem macerent, & corporis afflictatione sensus a noxiis retra-*

trahant excessibus? Recte ergo statui, argumenta pro cocolatis potione allata nequaquam cuilibet frangi Theologo satisfacere. Per prædicta tandem ac similia noster Laurentius nec plane fallitur, nec difficultatem solvit. Equidem verum est, chocolatis potum si sub ratione medicinæ sumatur, jejunium non frangere, ut hic, & in superioribus §. §. toto hoc cap. discussimus; sub medicinæ autem ratione quæstio non procedit, ut recte advertit noster Laurentius: qui tamen animadvertere quoque debuerat, Emum Brancatium hoc ultimum argumentum non adducere, quasi chocolatis potus liciti usus fundamentum, sed ut aliorum argumentorum supplementum. Cæterum medicinalis ratio sub diversa consideratione intelligi rectissime potest; vel scilicet ad expellendos morbos, qui insunt, vel ad eos impediendos, ne exurgant, & corripiant. Etiamsi autem chocolatis potus non ad expellendos morbos, qui insunt, sed ad impediendos, ne corripiant, qui contingere humanæ naturæ facile possunt, ne scilicet dissipetur calor, ut impediatur flatus, cordis mæstitia, stomachi lassitudo &c. adhibeatur, medicaminis ratio in chocolatis potu perseverat. Fallitur autem noster Laurentius, nec Brancacium feliciter impugnat in eo, quod subjungit, eo scilicet quod chocolatis potus sustentet, esculentum nominat, & jejunium frangere mordicus asseverat, quæ autem duo supra n. 8. 12. ad 16. 23. ad 25. 33. ad 35. & 41. a nobis discussa sunt; pro nihilo reputans, potus nempe naturam cum nutritiva virtute subsistere, dummodo potus ratio prævaleat; ac nutriendi virtus etsi frangendi jejunium ratio secundum se sit, non tamen frangendi jejunium ratio existit, si chocolatis potio Ecclesiæ, jejunium præcipientis menti non contradicat: quod certe pa-

rum,

rum, aut nihil advertit noster Laurentius, jejunii perfectionem secundum se ut plurimum considerans.

XLIX. Quod autem addit Concina de Ecclesiæ præceptis lib 2. dissert. 2. cap. 10. n. 15. *Quæro an chocolates cibus sit, vel potus? si potus; illius usus consuetudine approbante, & permittente non eget. Nam potus institutus natura sui ad sitim extinguendam, absolute, & semper licitus est omnibus: Si cibus chocolates dicatur, illius usus corruptela est, non consuetudo. Quippe admissa triplici refectione in diem, matutina, meridiana, serotina, seu nocturna, futilis foret jejunii lex, & ridicula. Tunc enim jejunium christianorum ad solum delectum ciborum coarctaretur.* Ad quod respondetur, chocolatis potum nutritivum potum esse non secus ac vinum, vel cereviziam, in quibus, per hominum artem aqua solutis, potus ratione prævalente, potus artificiales dicimus; potus autem naturam induentia, quatenus eorum sumptio Ecclesiæ menti non opponitur, in die jejunii prædicta sumere licere asserimus. vide ab initio hujus cap. & deinceps, præsertim §. 2. 3. & 4. an. 10. ad 18. ad 28. ad 37.

Incepta confutatio prosequitur

L. Ad praxim autem accedere volentes, si chocolatis compositio ex cibis vetitis constet, Ecclesiæ jejunium frangere asserimus. Certum est enim apud omnes, non debere in chocolatis compositione prohibitum cibum, lac scilicet, ova &c. admisceri; hæc enim, & similia sub alia ratione in die jejunii prohibita intelligi debent; Neque, ut Ecclesiæ jejunium non frangat, ex cibis multum nutritivis, vel ex nimia quantitate sumenda potio coalescere poterit, sed talibus cibis, tantaque eorum quantitate sumenda potio constare debet, ut potus naturam induens, Ecclesiæ menti non contradicat, ad vitandum scilicet

Qua ratione licita, vel illicita chocolatica potio in die jejunii dici possit, aperitur.

licet lethale peccatum; ficut nec præter ejus mentem fit, ad veniale impediendum: Etsi cæteroquin, quocunque modo fumatur chocolatis potio, (vide fupra n. 47.) jejunii fpectata natura, ejufque perfectione, non fecundum Ecclefiæ mentem exiftere videtur. In maffa autem, vel per modum polentæ Ecclefiæ jejunium frangere omnino tenendum. Unde bene quoad hoc advertit Laurentius Berti loc. cit. dicens: *Ne tamen alicui inficiam fcrupulum, fi valida alicui videntur, nec refponfionibus noftris ullatenus diffoluta, meminerit is, omnes prorfus Theologos, ipfumque Card. Ampliffimum Francifcum Mariam Brancacium definire, potionem chocolatis, non admodum dilutam fed concretam, ac denfam jejunio procul dubio opponi*. Idemque notat Thomas Hurtadus tract. 10. de potione chocolatica cap. 1. n. 10. dicens: *Quarto conveniunt omnes, quod fi ea materia, quæ aqua diluta eft, manducetur, frangit jejunium; amittit enim formam potus, ficut fiquis uvam unius libræ manducet frangit, non tamen fi ex illa muftum expreffum bibat: Similiter fiquis poma, ex quibus fit cerevizia manducet, non tamen fi ipfam cereviziam bibat*. Potus ergo perfeverante ratione, jejunium non frangere; a potus vero ratione chocolaticam potionem deficientem jejunium frangere omnino tenendum eft. Unde apud eumdem Hurtadum loc. cit. cap. 3. n. 65. Magifter Ludovicus Lopez, de chocolatica Indorum potione loquens, quæ ex indico frumento fit, an jejunium frangat, fic refpondet: *Regulariter per hujufmodi potiones non folvitur jejunium, quia potius fumuntur per modum potus, quam cibi*, & quia *parva materia maffæ, five formulæ admifcetur ibi cum aqua, unde quafi liquidus potus manet; fi tamen tanta mifceretur maffa, aut materia, quod ille potus fpiffus redderetur, quod fuffice-*
ret

ret ad sustentationem, jejunium dissolvere videtur: Quia addam ego, & certissimum reputo: si autem, etsi ex comestibili materia constet, per aquæ tamen mistionem hominisque artificium potus naturam induit, Ecclesiæ jejunium non frangere teneri poterit. Sicut uvæ humor in uva cibus est, jejunium frangens, secus vero ab uva expressus, potus naturam illico induens. Unde idem Thomas Hurtadus loc. cit. in appendice n. 60. *Est enim*, inquit, *mustum*, *quamvis recenter expressum*, *verus potus*, *quia converti potest in Sanguinem Christi*, qui, ut ipse dicit Joan. 6. v. 56. *Caro enim mea vere est cibus: & Sanguis meus vere est potus*. Et quidem, ut pergit Hurtadus, *mustum posse in illum converti certissimum est apud Theologos*; immo & Angelicus 3. p. q. 74. art. 5. ad 3. dicit: *de musto potest confici hoc Sacramentum*. Et licet indecens sit, si botrus in calice exprimatur, tamen, ut supra n. 34. discussimus, & notat Angelicus loc. cit. ex Julio constat, quod *si necesse fuerit*, *botrus in calice comprimatur*. Si ergo quod erat quoad totum comestibilis materia, scilicet in botro, potus effici potest, & per hoc jejunium non frangeret, quanto magis illud, quod non ex tota comestibili materia constat, qualis est chocolatis potio, ex re comestibili, cacao scilicet, cinnamomo, & saccharo, & majori potabilis materiæ quantitate, qualis est aqua, coalescens, per hominis artem potus naturam induens, sive acquirens, Ecclesiæ jejunium non frangeret? Etsi enim potus chocolaticus, cibi, ac potus rationem habeat: qua parte enim materiam spiritibus vitalibus præbet, ac digestionem adjuvat, non cibus, sed potus est; qua parte vero materiam sanguinis generationi communicat, non potus, sed cibus est, quia tamen in chocolatico potu, prout quæstio procedit,

na-

natura cibi minima est, & a natura potus plurimum superatur; inde jure quidem optimo illa potio, sic & sic per hominum artem digesta, tuto potest ad finem potus ordinari. Et sicuti vinum licet venas sanguine cito repleat, quod cæteroquin rei comestibilis proprium est, potus tamen prævalente natura, potus est, ac dicitur, ac proinde Ecclesiæ jejunium non frangit; ita licet chocolaticus potus aliquid nutritionis habeat, forte autem minus quam generosum vinum; dummodo tamen potus rationem servet, eaque prævaleat, jejunium non frangere, jejuniique proinde finem, ab Ecclesia intentum, & quoad executionem præceptum non destruere dicendus est.

Liciti chocolatici potus intrinsecæ rationes, ex doctorum placitis, sive sequendis, sive confutandis propositæ, discutiuntur.

LI. Et quia, ut sæpe in superioribus §. §. diximus, etiam potus, ad levandum jejunii detrimentum præter Ecclesiæ mentem sumptus, etsi jejunium non frangat, nedum tamen ejus meritum minuit, verum & venialem culpam involvit; idcirco ad probandum omnino licitum chocolatis potum, qui in stomachi levamen adhibeatur, probasse non sufficit per hominis artificium potus naturam induere, nisi alia assignentur, quæ, hujusmodi uti volentes potu, ab omni culpa immunes confirment. Solutis ergo quæ a ratione nutritivi cibi ex quo simul cum potabili materia chocolatis potio coalescit, oriri possunt, difficultatibus; aliæ adducendæ sunt rationes, quæ chocolatici potus usum omnem culpam excludere posse confirment. Ad quod suadendum, non pauci ad parvitatis materiæ asylum recurrunt, in qua quoad præsens vim nutritivam attendendam esse dicunt, quæ, quatenus maxima est, aliter ac de aliis cibis sentiendum esse autumant, quos inter Pasqualigus decis. 141. n. 5. dicens: *Cum in hoc non attendenda sit quantitas materialis sicut in aliis ci-*

cibis, sed quantitas formalis, nempe virtus nutritiva, utpote quia in jejunio præcipitur abstinentia a cibo, tamquam nutritivo, illa habenda est pro parva materia, quæ parum nutrire potest. Unde puto non posse excedere octavam partem unciæ, aut ad summum sextam partem, alioquin semper afferret notabilem nutritionem. In hoc autem longe a vero recedere nedum ex suis per totam suam theologiam moralem laxitati viam sternentibus principiis dignosci poterit, verum & ex eo magis, quod nullam vetiti a non vetito cibo discretionem quoad materiæ parvitatem assignare videtur. Si enim octavam unius unciæ non vetiti cibi partem ad culpam excludendam (intellige etiam venialem) excedere non potest portio, quanta per ipsum parva vetiti cibi quantitas, quæ certe longe minor, quam non vetiti cibi esse debet, quæ etiam venialem culpam excludat, admitti poterit portio? Juxta prædictam autem suam doctrinam fere nulla vetiti cibi parva admitti poterit quantitas; quod sane nedum ex comestibilis materiæ, verum & ex Ecclesiastici jejunii natura, etiam Ecclesiæ mente spectata, quæ in suis jejuniis, ut in humanis præceptis moris est, hujusmodi subtilitates, & cavillationes sub vi coactiva curare non præsumitur, stare non posse cap. I. n. 38. 40. 41. & 42. ac passim proposuimus, ac sub quacunque ratione materiæ parvitatem considerari posse solidioribus innixi principiis discussimus, & comprobavimus.

LII. Ex Laurentio autem Berti in solutione ultimi argumenti, contra Brancatium supra relati sic habetur: *Et licet Turrianus quantitatem permittat non excedentem uncias cocolatis duas, dimidium tamen unciæ quidam alii existimant permittendum: unicam vero unciam idem Brancatius, Sebastus noster, atque benigniorum Theologorum*

Laurentii Berti mens quoad præsens aperitur.

 pars

pars major. Subdit tamen idem Berti: *ſed vereor, ne parvam hanc quantitatem complures excedant; nam ſemel inductæ corruptelæ modum ſervare non poſſunt*. Mirandum ſane quomodo noſter Laurentius ad Emum Brancatium impugnandum, chocolatis potum in die jejunii licitum admittentem, totas ſuas exerat vires, ſuumque aptet ingenium; tandem vero ad chocolatis uſum cum Brancatio admittendum inclinet. Et licet cum Anglo Stube medico ſentiat, unam chocolatis unciam plus nutrire, quam unam bovinæ carnis libram, ut ſupra n. 42. obſervavimus; poſtea tamen nedum ad unam admittendam inclinet, verum & duas chocolatis uncias non confutat, & ex ſuis jactis principiis reprobare, & confutare debuiſſet; unde immediate pergit dicens: *Eſt autem duarum unciarum portio plurimorum conſuetudine recepta; & vir quidam eximius deſcribens eleganti carmine, quomodo cocolatæ pararet ſibi potionem, ut extat in notis ad Dithyrambum viri cl. Franciſci Redi, canebat. Quin & ſacchaream decisa in fragmina metam * Comminuo, cumuluſque pari mihi pondere ſurgit, * Miſtaque ſtat juſto ſimul uncia, & uncia metro*. Auctorum ſane judicium non a vulgi opinione, ſed ab ipſorum operibus hauriendum.

Magiſtri Milante mens aperitur.

LIII. Magiſter vero Milante quoad chocolatis potum in expos. prop. 23. Alex. VII. exercit. 23. ſic habet: *Ad parvitatem materiæ recurrere eſt quidem minuere, ſed non tollere culpam: quis enim ignorat, parvitatem materiæ, ubi tamen ea locum habet, ſemper peccatum eſſe, etſi veniale?* Lectorem quoad hoc hortamur ad ea percurrenda, quæ de materiæ parvitate cap. 1. a n. 37. ac deinceps ſupra diſcuſſimus; non enim veriſimile eſt, Eccleſiam in ſuis jejuniis ita jejunantium conſtringere conſcientiam, ut ſub quacunque parvi-

vitatis ratione, etiam minimæ, ad peccatum saltem veniale constringere sub vi coactiva intendat, ut num. 51. & passim innuimus. Sic autem pergit idem Milante: *Dico igitur, idcirco in præsentiarum esse absolute licitam cocholatæ potionem in moderata sesquiunciæ* (unciæ nimirum cum dimidio) *quantitate, quia parvitas materiæ, ex consuetudine introducta, & tolerata ab Ecclesia, omnino excusat a culpa, licet ex se absque tali permissione nullatenus excusaret*. Et postquam dixerit posse etiam contra legem consuetudinem invalescere, subdit: *Indubium est insuper hodie invaluisse consuetudinem sumendi chocolatam in diebus esurialibus, eamque frequentem ubique, præsertim in Alma Urbe, sciente Romano Pontifice, potente impedire, & nullatenus impediente*. Ast sapienter subjungit: *Ex quo principio sequitur, quod, qui eadem esuriali die post epotam chocolatæ sesquiunciam, si aliam quoque propinare vellet,* (intellige non secus ac primam cum longe majori aquæ quantitate immissam) *peccaret venialiter ob parvitatem materiæ non permissam ex tolerantia Ecclesiæ; sed si insuper quis tertio id faceret* (scilicet eadem die) *peccaret mortaliter, ut constat* ex prop. 29. ab Alex. VII. Feria 5. die 18. Maji anno 1666. damnata, dicente: *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, non frangit jejunium*.

LIV. Non desunt autem qui ex Pontificum decisionibus chocolatis usum licitum esse reponunt. Quoad hoc autem scire oportet illud a Thoma Hurtado relatum Tract. 10. de potione chocolatica in appendice cap. 5. n. 74. & 75. quod scilicet Illmus dom. Augustinus de Padilla Archiepiscopus della Espannola dicit, se vidisse declarationem authenticam Gregorii XV. qui semel, & iterum dixit, quod potus chocolatæ

An licitus chocolatici potus usus ex Pontificum, ac legislatorum tolerantia deduci possit, expenditur.

non frangit jejunium. Et idem Hurtadus refert declaratum esse a Paulo V. anno 1614. in cujus præsentia P. Nicolaus de Anaya potum illum confecit, quo viso, respondit summus Pastor: *Hoc non frangit jejunium: quam declarationem*, subdit idem Hurtadus, *pro certa, & indubitata habent omnes Patres Societatis in provincia Mexicana, ut testatur P. Didacus de Sousa illius provinciæ Visitator*. Nec deest, qui sub juramento deponat, se audivisse a P. Hieronymo de S. Vincen. Pium V. vivæ vocis oraculo declarasse hunc potum jejunium non frangere. Quod autem docet Hurtadus, scilicet S. Pium V. Gregorium XIII. Paulum V. Gregorium XV. licitum chocolatis potum declarasse aniles fabellæ reputantur a Daniele Concina cap. 10. n. 9. & 10. Et tempore Pii V. qui anno 1572. obiit, aliqui nondum chocolatæ usum in Italiam pervenisse ponunt. Quoad hoc autem errat noster Daniel; aliud enim est aliis fidem non præstare, aliud vero quod alii dicunt, negare. Ad hoc enim quod non credam, sufficit, quod eorum auctoritatem, vel judicium meo judicio, meæque electæ auctoritati postponam; ad negandum autem quod alii dicunt, nec a me electa auctoritas, nec meum sufficit judicium, nisi vel apertam in eorum dictis inveniam contradictionem, vel eorum judicium, alio solidiori fundamento innixus, evertere studeam. Si igitur refertur, prædictum Archiepiscopum Augustinum de Padilla dicere, se vidisse declarationem authenticam Gregorii XV. quod scilicet chocolatis potus non frangit jejunium, & alia, ut supra, sine injuria hujusmodi decisiones asserentium dici non potest, talia monumenta fabellas esse, nisi eorum evertatur vel authoritas, vel judicium, quod noster Daniel non facit. Dubitare quidem possum, an vera sint, quæ asseruntur, ab-

absolute autem negare omnino non possum. Quod autem tempore Pii V. chocolatis usus nondum in Italiam pervenisset, non adeo verum est. Ipse enim Daniel, ut supra n. 40. retulimus, ex ipsomet Archiepiscopo Augustino denuntiat, chocolatis originem circa dimidium sæculi decimi sexti reponendam; & Pius V. longe post ejusdem sæculi dimidium obiit. Id unum ad summum colligere poterat Daniel, tempore scilicet Pii V. chocolatis usum non adeo in Italia sicut posterioribus temporibus invaluisse. Quo etiam posito, non proinde non poterat chocolatis notio ex Indiis noviter repertis haberi: quin immo ex eadem rei novitate magnum verisimilitudinis fundamentum apparet, ad Pontifices recursum fuisse; ut ex eorum oraculis, saltem ex privata auctoritate loquentium, quid in hoc sentirent, declararent, multorumque ancipitem conscientiam ad deponendum scrupulum, non secus ac in Americanis provinciis usus invaluerat, ad hujusmodi potum, eo, quo jejunii tempore, modo convenit, sumendum inclinarent. Et Licet Navarrus Pio V. aliisque Pontificibus familiaris extiterit; jure tamen merito non potuit, quatenus nullius esset auctoritatis, privatum Pontificis sensum, tamquam a privato doctore prolatum, sine authentica demonstratione referre. Cæterum apud Thomam Hurtadum tract. 10. de potione chocolatica sumenda, vel non sumenda in die Ecclesiastici jejunii cap. 8. in fine ante appendicem, responsionem Martini de Azpilcueta invenio, qui consultus respondit a chocolate jejunium Ecclesiasticum non frangi; sic enim habet apud eumdem Hurtadum: *Suppono, quod in aliquibus partibus Indiarum de more habeant potum conficere ex substantia frumenti terræ illius vulgariter nuncupati Maiz, quæ quidem, frumento molito mittitur in aquam, quæ co-*

colata sicut aqua, quam nostrates exprimunt ex amygdalis ad condiendum obrizum; & insuper huic aquæ, ut dulcior, & suavior sit, superadditur spuma, quæ fit ex massa facta ex quibusdam granis, quæ vulgo dicuntur cacao, qui potus videtur afficere stomachum, etiam jejunum, & naturales terræ illius cum sola frequentatione istius potus laborare consuescunt, sine eo quod sumant alium cibum usque ad noctem. Hoc præposito, sic pergit idem Navarrus apud Hurtadum: *dubitatur, an ab his, qui tenentur jejunare ex præcepto Ecclesiæ, seu alias, possit ante, & post prandium sumi dictus potus sine fractione jejunii Ecclesiæ? Item & simile dubium: Itinerantes consuescunt miscere aquam cum pulvere; vel farina facta ex dicto frumento de Maiz ex his dictis granis, quæ vulgariter Cacao pinol.* Ad quod respondet Navarrus: *quod per hujusmodi potum non frangitur jejunium statutum ab Ecclesia, quod appellatur jejunium jejunantis; quia tale jejunium solum inducit necessitatem abstinendi ab esu amplius, quam semel in die, & non a potu, ut tradit d. Thomas receptus 22. q. 147. art. 6. in corp. quæstionis, & ad 2.* (vide supra n. 41.) & pergit Navarrus: *Et aqua confecta modo prædicto, & proposito est potus, & habetur ab omnibus pro potu: Ergo non est illa interdicta in die jejunii; tum quia in Germania, Belgio Gallia &c.* hujusmodi potus usum vigere dicit. Cum igitur viri fide digni nedum id teneant, verum & quod majus est, Pontificum declarationes etsi cæteroquin privatæ auctoritatis testentur; & in foro conscientiæ secundum jura uni testi fide digno creditur; inde fit, ut advertit idem Hurtadus loc. cit. in appendice cap. 5. num. 80. quod: *Potest quis tuto in praxi nitens illorum fidei elicere dictamen prudentiæ, quo se conformet prædictæ opinioni; neque ad*

hoc

hoc requiritur, quod quis videat declarationem authenticam, nec testis debet esse juratus, sed sat est, quod sit fide dignus, & contrarium dicere pro foro interno mihi non est probabile. Et num. 82. sic prosequitur: *Cumque Pontifices summi jam declaraverint, quod potus iste,* chocolatis, *non frangit jejunium, hæc declaratio semper subsistit, quousque alius Pontifex ob rationes de novo occurrentes, declarationem abrogaret, quod hucusque nullus fecit.*

LV. Horum autem, aliorumque omissis, quæ circa materiæ parvitatem circumferuntur, sententiis, ex proprio cerebro ut plurimum adinventis, nullisque solidis rationibus fundatis, ex ipsarummet oppositione laxitati faventium, vel rigori, earumque dubiis, conscientiam potius invertentibus, quam suadentibus: omissis item, quæ circa Pontificias decisiones circumferuntur, opinionibus: Ad licitum chocolatis usum firmandum, stabiliendumque quoad materiæ parvitatem cum relate ad vetitum, tum ad non vetitum cibum, non secus ac superiori cap. num. 37. ac deinceps discussimus, sic ratiocinari placet: Enim vero sub triplici ratione materiæ parvitatem considerare oportet; sub ea scilicet, quæ secundum se adeo parva sit, ut, etsi ejus sumptio secundum Ecclesiæ mentem non sit, quia tamen nec præter, nec contra ejus mentem existit, eam sumens, nec jejunium solvet, nec venialem culpam involvet: Alia est, quæ, etsi Ecclesiæ menti non contradicat, præter ejus tamen mentem existens, licet eo quod jejunii finem non destruat, jejunium nec solvat; quia tamen finem, sub vi coactiva ab Ecclesia intentum minuit, Ecclesiæ menti difformis existens, venialem culpam involvit: Alia vero est, quæ nedum Ecclesiæ menti conformis non est, verum & contradicere, jejunii-

Ad licitum chocolatici potus usum stabiliendum, plura quoad materiæ parvitatem, ex præjactis sup. cap. principiis proposita, firmantur.

que

que fines destruere incipiens, ad lethalem culpam involvendam, ac proinde ad jejunii solutionem viam sternit. Et quia materiæ parvitas sub quacunque ratione ex prædictis rationibus consideratur, non eadem in unoquoque cibo erit quantitas; inde antequam mentem nostram exponamus, parvitatis materiæ diversitatem quoad vetitum, vel non vetitum cibum cap. 1. n. 40. ad n. 55. discussam, brevi calamo commemorare placet: diximus autem ibidem n. 40. 41. & 42. quoad vetitum cibum quadragesimam octavam unius libræ italicæ partem, etsi secundum Ecclesiæ mentem non sit, ob ejus tamen tenuitatem, nec præter, nec contra existentem, nec inde venialem, nec lethalem culpam involvere: Quia vero unciæ dimidium, seu vigesima quarta italicæ libræ pars, etsi jejunii finem non destruat, ac proinde nec Ecclesiæ menti contradicat; quia tamen nedum non secundum, verum & præter Ecclesiæ mentem existit; inde jejunium licet non solvat, illud tamen diminuens, venialem culpam includit: Et quia unius unciæ, seu duodecima italicæ libræ pars contra Ecclesiæ mentem existens, jejunii fines destruit, lethalem culpam involvit. Diximus item prædicto cap. 1. n. 43. 44. 45. quoad non vetitum cibum, sub dupla ratione relate ad vetitum considerata materiæ parvitate, unciæ dimidium, seu vigesimam quartam italicæ libræ partem etsi non secundum, quia tamen nec præter, nec contra Ecclesiæ mentem est; jejunium nec solvere nec venialem culpam involvere: Quia vero una uncia, seu duodecima italicæ libræ pars, etsi non contra, jejunii tamen detrimentum, ac pœnam, sub vì coactiva ab Ecclesia intentam minuens, præter Ecclesiæ mentem est, venialem culpam non excluderet. Et quia duæ unciæ, seu sexta italicæ libræ pars nedum non secundum

Ec-

Ecclesiæ mentem est, verum & jejunii fines destruens, contradicere incipit; inde ad lethalem culpam vel disponit, vel involvit.

LVI. His positis quoad materiæ parvitatem rationibus, facile erit sub ratione parvitatis materiæ licitum, illicitumve chocolatis usum declarare. Si enim solida chocolatis portio a culpa excusabit, quæ ex vetitis cibis parvitatem illam tantum contineret, quæ ex Ecclesiæ benignitate omnem culpam excluderet, quartam scilicet unius unciæ libræ italicæ partem; vel quoad non vetitos cibos vigesimam quartam ejusdem italicæ libræ partem; a fortiori, majori aquæ quantitate diluta hujusmodi parvitas, quarta scilicet quoad vetitum cibum unciæ pars; vel quoad non vetitum cibum unciæ dimidium, sive se sola, vigesima nempe quarta italicæ libræ pars cibo vetito non admista; vel idem unciæ dimidium ex quarta unciæ parte vetiti cibi, ac tantundem non vetiti admistum, sub ratione quantitatis, & qualitatis consideratum, potus naturam induens, nec venialem, nec lethalem culpam involveret. Quoniam vero quæ quoad vetitum cibum vigesima quarta, quoad non vetitum autem duodecima italicæ libræ solidæ chocolatis portio est, venialem culpam non excedit; a fortiori majori aquæ quantitate admista, potus naturam induens, etsi præter Ecclesiæ mentem existens; quantum tamen ad materiæ parvitatis attinet effugium, una uncia se sola, cibo nempe vetito non admista, vel simul cum vetito cibo, unciæ nempe dimidio cibi vetiti, ac tantundem non vetiti constans, venialem culpam non excederet. Et quia non nisi quæ relate ad vetitum cibum duodecima, relate vero ad non vetitum sexta italicæ libræ solidæ chocolatis portio Ecclesiæ menti contradicens, lethalem culpam involvit; inde non minus quam hujus materiæ parvitas

Quo sensu spectata materiæ parvitate liciti, vel illiciti chocolatici potus usus ratio adinveniri possit, quæ unam cum dimidio unciam includat, declaratur.

etsi

etsi aquæ immista, ac diluta; vel se sola sub ratione scilicet sextæ italicæ libræ partis, vetito cibo non admistæ; vel ex duodecima libræ italicæ cibi vetiti parte, ac tantundem non vetiti considerata, duas uncias complens, quantum ad parvitatis materiæ rationem attinet, lethalem culpam includeret: Cum hoc tamen, quod si cibi vetiti portio ad lethalem culpam se sola sufficeret, sub duplici ratione (vide cap. 1. n. 61.) culpam involveret. Quantitate autem omissa, quæ, ut superiori n. 55. vidimus, ex vetitis cibis constans, vel nullam, vel venialem, vel lethalem culpam involveret; relate ad eam, quæ ex non vetitis cibis composita sit portio, sic videtur ratiocinandum: Si materiæ parvitas præcisive a natura potus, in sua nempe comestibili ratione considerata, vigesimam quartam libræ italicæ partem non excedens, ab omni culpa ex Ecclesiæ benignitate eximit; (vide hic n. 51.) quanto magis aqua diluta, potus naturam induens, omnem similiter culpam excludet? Si item duodecima italicæ libræ pars, in sua comestibili ratione considerata, venialem culpam non excedit; quanto magis majori aquæ quantitate immista, ita ut potus naturam induat, ex præjactis hic, & in superioribus §. §. principiis, etiam addito facchari unciæ dimidio, quæ relate ad sesquiunciam tertiæ partis additio saccharum potius est, quod salis naturam habens, non nutritioni, sed ciborum solutioni, ac digestioni deservit, venialem culpam non excedit? aqua utique nedum ex Ecclesiæ tolerantia, per quam vis coactiva abstinendi ab hujusmodi potu sublata intelligitur, verum & ex potus ratione, eo, quo exposuimus, atque expositurì sumus, modo sumens eximitur. Cum præsertim saccharum non ut cibus, sed ut sal consideratum, Ecclesiæ jejunium non frangere,

gere, aqua dilutum apud omnes judicetur. Unde ſeſquiuncia, una nempe uncia cum dimidio, ex cacao, ſaccharo &c. in tota materia ſolida ex cibo non vetito conſtans portio, aqua diluta, ac potus naturam induens, jejunium non frangeret.

Nedum parvæ quantitatis, verum & potus rationem ad licitum chocolaticæ potionis uſum requiri declaramus.

LVII. Et quia nonnullæ aliæ ex prædictis nedum apud ſophiſtas, verum & apud alios timoratæ præſertim conſcientiæ viros oriri poſſunt difficultates, quaſi licitum cuique ſit, parum aquæ ſeſquiunciæ chocolaticæ materiæ ſolidæ admiſcere, & in die jejunii ſumere; vel noſtra quoad materiæ parvitatem ſervata ſententia, paſſim in iisdem diebus, jejunio addictis hoc potu recreari; vel non ſecus ac in diebus jejunio non addictis, intinctis panis fruſtulis, hoc potu uti; vel relate ad vetiti cibi miſtionem ea uti quantitate, quæ venialem, ſive lethalem culpam includat; inde his omnibus ſatisfacere volentibus, ad primum ſic reſpondere placet: Præterquam quod enim hujuſmodi ſpiſſa chocolatis potio potus naturam non induat, ac proinde nec juxta mentem noſtram exiſtat, quin & ex præjactis principiis in die jejunii extra comeſtionem prohibetur, ex alia item ratione hujuſmodi chocolatis uſus illicitus declaratur; cum enim nec Eccleſiæ, nec Theologorum, nec timoratæ conſcientiæ virorum menti hujuſmodi ſumptio conformetur, quin & contradicat; inde non potus, ſed comeſtibilis rationem nedum retinens, verum & augens, polentæ inſtar exiſtens, jejunium certiſſime frangeret.

Licitus chocolatici potus uſus pluſquam ſemel in die jejunii non intelligitur.

LVIII. Ad ſecundum autem videtur dicendum: Ex eo, quod materiæ quantitatem, quæ ſub ratione ſolidæ materiæ ſeſquiunciam, unam nempe unciam cum dimidio, quæ ſcilicet octava ſit italicæ libræ pars, non excedat, majori aquæ quan-

quantitate admistam, ita ut potus naturam induat, semel in die jejunii sumere licitum dicimus; non proinde sæpius, seu plusquam semel in die jejunii illam, etsi potus rationem habentem, sumi posse declaramus. Etsi enim ex præjactis principiis, quin & accedente Ecclesiæ tolerantia, ac Prælatorum consensu, usuque, immo & legislatorum universalem, pene dicam, morem non prohibentium, licitam chocolatis potionem asseramus; quia tamen nec Theologorum, nec timoratæ conscientiæ virorum, nec Prælatorum mens; quin & nec legislatorum ad hujusmodi potum, etiam sub cibi liciti ratione a nobis admissum, plus quam semel in die jejunii sumendum tolerantia, aut praxis, vel consensus, aut ratio accedit; inde etsi in sensu a nobis admisso semel in die jejunii illum sumere licitum asseramus, plus vero quam semel tali potu recreari in die jejunii non licere declaramus.

Licitus chocolatici potus usus, panis frustulis admistis, non intelligitur.

LIX. Ad tertium autem responsio descendit: panis enim nec potus naturam induit, potui intinctus; nec timoratæ conscientiæ virorum, nec theologorum, nec Prælatorum, & multo minus legislatorum praxis, sententia, tolerantia, vel consensus, aut ratio accedit.

Licitus chocolatici potus usus per immistum prohibitum cibum non intelligitur.

LX. Ad quartum autem sic respondendum videtur: Licet enim materiæ vetiti cibi parvitate servata, etiam aquæ immista, potus naturam induente, utens, quantum ad parvitatis materiæ attinet rationem, aut nullam, aut venialem, vel lethalem culpam incurrat; quia tamen etiam sub ea parvæ quantitatis ratione neque apud timoratos conscientiæ viros, neque apud Theologos, neque apud Prælatos, sive legislatores, jejunii spectata natura, hujusmodi chocolatici potus sumptio admitti solet; inde, nisi specialis adsit locorum consuetudo hujusmodi potus, ex ve-

vetitis coalescens cibis, omnino illicitus reputari debet; quin & etiam hujusmodi admissa consuetudine, non proinde in jejuniorum præsertim antipaschalium diebus licitus reputari poterit, si talis sit vetiti cibi quantitas, vel qualitas, ut vel nec rationabiliter toleretur, vel jejunii fines destrueret; eo semper sensu, quo in superioribus de materiæ parvitate relate ad ciborum quantitatem, & qualitatem discussimus, atque uberius declaravimus, intelligi volumus.

LXI. Ea igitur chocolatis potio in jejuniorum diebus licita reputari poterit, quæ *omnem cujuscunque vetiti cibi rationem excludens; octavam libræ italicæ partem in sua massa non excedens; majori aquæ quantitate immixta; potus naturam induens; panis frustulis exclusis; semel tantum a jejunantibus sumatur*. Ubi autem chocolatis massa ex vetitis etiam cibis componatur, nullo modo in diebus esurialibus licitam esse, etsi majori aquæ quantitate immixtam, intelligimus. Unde Lambertinus liciti usus chocolatici potus rationem assignans Inst. 15. n. 7. sic habet: *vel quia potiones, nisi ex rebus jejunio contrariis conficiantur, illud minime violant; vel quia chocolates licet de ciborum genere, si aqua dissolvatur, in genus potus convertitur; vel etiam quod exigua rei quantitas parvi æstimetur: quibus omnibus inveteratam jam consuetudinem adjungunt, unanimi consensu receptam, & ab Ecclesiasticis Præsidibus haud improbatam*. Et n. 10. subjungit: *Admittatur benigna illorum opinio, qui jejunium chocolatis potu violari negant*. Sapientissime tamen subdit: *Quis tamen intemperantia, vel etiam læsi jejunii culpa prorsus immunem, & vacuum eum existimet, qui modum excedens, talem sibi pateram indulgeat, qualis a S. Hieronymo describitur ad Nepotianum, sorbitiunculas delica-*

Licitus chocolatici potus usus declaratur, roboratur, & comprobatur.

catas, *& contrita olera*, *betarumque succum non calice sorbere*, *sed concha*? Et pergit ibidem: *Quis eum crimine absolvat*, *qui sæpius*, *cum jejunium agitur*, *eamdem potationem repetat*? *Etenim gravissimi auctores*, *qui diebus jejunii chocolati locum esse tradiderunt*, *ejusdem potationes iterari nullo modo posse fatentur uti ex Brancatio*, *& Coza*. Nec refert, quod Frater Daniel Concina contra chocolatis usum acerrime pugnaverit, ut supra n. 42. & deinceps observavimus; post multas enim more suo rationum ambages lib. 2. de Ecclesiæ præceptis dissert. 2. cap. 11. n. 3. maxime hæsitans, in assignanda sententia an, & quænam, seu quanta chocolatis potio jejunium frangat, tandem quam primo sententiam profert, eam deinde tacite, vel expresse retractare videtur, dicens: *Repono ego opinionem*, *quæ sustinet sumi posse unum cyathum chocolatis*, *modo dicto concretæ ex aqua*, *approbare communem usum chocolatis etiam in diebus jejunii. Communiter enim non immiscetur aquæ nisi uncia chocolatis*, *vel circiter pro singulis cyathis*: *nec solent sobrii homines plusquam semel in die*, *communiter chocolatem bibere*, *tum quod saluti*, *tum quod crumenæ officiat*. *Quare asserere*, *quod licitum sit sumere unciam vel unciam cum dimidia chocolatis die jejunii*, *nihil aliud est*, *quam dicere usum communem potionis chocolaticæ licitum esse etiam jejuniorum tempore*. Et quidem extra indigentiæ necessitatem, quo sane sensu quæstio procedit, ut etiam ipsemet Daniel advertit, dicens: *Quæ omnia sic intelligas velim*, *ut indigentiam personalem excipias*.

In Danielem animadvertitur.

LXII. Quam sit autem inconstans, ac versatilis noster Daniel, ex eo patet, quod, cum primo in impugnando chocolatis potu totus fuerit, postea tamen sui probabilioristi veluti oblitus,

tus, hujusmodi potum juxta communiorem sententiam admittendum concludit: quam, sit autem meticulosus auctor iste, ex eo innotescit: postquam enim, ut nuper vidimus, mentem suam circa chocolatis potum cum aliis accommodaverit, a quæstionis statu deflectens, quasi in eo sensu procedat, an chocolatis potus cum rationabili caussa ex naturæ nempe indigentia in die jejunii sumi possit, suam sententiam ferme corripiens, ne dicam, obliviscens, sic prosequitur n. 4. *Ex dictis duo colligenda subjicio tamquam certa*; *primum est venialiter peccare eum, qui, sublata rationabili caussa, vel in parva quantitate chocolatem potat in die jejunii*; *secundum est, dubium grave ut minus esse, num una uncia chocolatis sit nec ne materia parva?* Et quia, ut ipse ait, chocolates aquæ immistus, plus nutrit, *quam nutriat solus chocolates*, scilicet in massa *comestus*, infert: *quod licet unica pastæ chocolatis uncia esset materia levis, mixtura tamen ex illa uncia, & ex quatuor unciis aquæ evadit materia gravis*: Et subdit: *Ut ergo conscientiæ tuæ consulas, abstine jejuniorum tempore ab ejusmodi potu*; & quod magis est, subdit immediate: *Hæc est nostra sententia: quam si amplexus fueris, legem jejunii implebis: si secus, vel eam infringes, vel periculo eam infringendi te committes: quia dubium, seu periculum peccandi adversus legem per contrariam probabilitatem non aufertur. Enim vero nulla vere probabilis ratio adduci potest, quæ ostendat mistum quinque unciarum esse materiam parvam*: Et loc. cit. de jejunio cap. 11. n. 5. Ad objectionem ex Pasqualigo propositam: *quid, si octavam, vel sextam unciæ partem chocolatis quis infunderet aquæ, ut Pasqualigus ait?* Respondet noster Concina: *si quid pulveris chocolatis aqua ita temperate aspergatur, ut aqua sapida*

pida efficiatur, utque cruditas ab ea auferatur, & stomacho attemperetur, & alioquin aqua naturam aquæ, & rationem veri potus retineat, ac reipsa ad extinguendam sitim adhibeatur; quemadmodum aqua, cui commiscetur quidquam succi expressi ex malo medico, & aliquid sacchari, vulgo limonea, hoc modo jejunium non frangitur. Et hic fortassis erit Indorum usus. Quam meticulosus, inquam, sit auctor iste in ferenda sententia; quam inconstans, & versatilis, & quam facilis in mutanda sententia, quam primo probaverat, ut ad suum probabiliorismum, seu potius tutiorismum redeat, nemo ignorabit, qui ejus opera recte perpendens, lectitaverit: cujus equidem auctoritate pro tuendo licito chocolatis usu, in sensu a nobis exposito, non indigemus; quin & ulterius nec impugnare judicamus: sufficiat nobis nostram, ac prudentiorum, communioremque, uno, vel altero excepto, sententiam, quoad chocolatis potum, eo quod supra n. 61. statuimus, modo, sequi posse, ex intrinsecis probasse, ne dicam demonstrasse; ut ferme in toto hoc paragrapho, per ea, quæ dicta sunt, ac dicenda supersunt, dignosci poterit.

Chocolatis potionem in sensu, a nobis admisso, Ecclesiæ menti non adversari demonstramus.

LXIII. Quod si aliquis ex jejunii natura impugnare nos contendat, nihil efficiet: cum enim non de jejunio secundum se, ut supra n. 41. observavimus, sed de jejunio, prout ab Ecclesia præcipitur, sermo procedat; nec de jejunio prout Ecclesia vellet, licet sub vi coactiva non præcipiat, sed de jejunio, prout Ecclesia vult, ac sub vi coactiva præcipit, ut ex iis quæ cap. 1. n. 24. & passim ibidem, & in hoc cap. dicta, ac dicenda sunt, satis apparet; inde sicut Ecclesia veteris disciplinæ rigorem per refectiunculæ permissionem, magnorum piscium comestionem, vini epotationem, &c. relaxavit. ut part. 1. cap. 4. obser-

servari poterit; ita & quoad chocolatis potum in sensu a nobis exposito, & in superioribus sufficienter discusso, & comprobato, sciens, ac prohibere potens, & non prohibens, saltem per tolerantiam relaxare potuit. Neque quod relaxaverit, rationes desunt, ad Ecclesiæ judicium pro nostra, communiorique sententia arguendum. Ex Angelico autem 12. q. 97. art. 3. ad 2. ad venandam Ecclesiæ mentem sic ratiocinari placet: Quia enim *leges humanæ in aliquibus casibus deficiunt; ideo possibile est quandoque præter legem agere, in casu scilicet, in quo deficit lex; & tamen actus non erit malus: & cum tales casus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestantur per consuetudinem, quod lex ulterius non est utilis; sicut etiam manifestaretur, si lex contraria verbo promulgaretur*; ut in casu nostro contingit: per communem enim ex hominum placito, rationabili motivo innixo, circa jejunii disciplinam, relaxationem voluntates hominum manifestatæ sunt, non quidem quasi secundum se jejunii disciplinæ rigorem inutilem declarantes, sed quasi propriam infirmitatem confitentes, ad tacitum saltem consensum præbendum legislatorem inclinarunt. Unde, etsi subjungat Angelicus loc. cit. *Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit*; addit tamen immediate: *Nisi forte propter hoc solum inutilis lex videatur, quoniam non est possibilis secundum consuetudinem patriæ, quæ erat una de conditionibus legis. Difficile enim est consuetudinem multitudinis removere*; ut in nostro casu contingit. Universali igitur, quasi dicam, posita quoad præsens hominum infirmitate, Ecclesiasticum jejunium relaxantium, ex Angelici doctrinis Ecclesiæ judicium quoad chocolatis potum

in sensu supra exposito per tacitum consensum, ac tolerantiam licitum declarasse clarissime innotescit. Et quidem maximi faciendum est, quod idem S. doctor ibidem subjungit ad 3. postquam enim dixerat: *Ad 3. dicendum, quod multitudo, in qua consuetudo introducitur, duplicis conditionis esse potest; si enim sit libera multitudo, quæ possit sibi legem facere*, (in democratico scilicet regimine) *plus est consensus totius multitudinis ad aliquid observandum, quod consuetudo manifestat, quam auctoritas Principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantum gerit personam multitudinis: unde licet singulæ personæ non possint condere legem, tamen totus populus condere legem potest*: Quo omisso, quod sub omni ratione ad rem non facit; cum enim jejunia instituendi potestas non in populo, ut part. 1. cap. 3. n. 30. diximus, sed in Romano Pontifice Christi Vicario ubique terrarum, & in aliis Ecclesiastici regiminis Principibus relate ad suas respective diœceses resideat, locum habere non poterit; attendere oportet ad verba, quæ addit immediate Angelicus: *Si vero multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem a superiori potestate positam removendi; tamen ipsa consuetudo, in tali multitudine prævalens, obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.* Ut in casu nostro procedit. Licet enim contra jus divinum non possit præscribere consuetudo, & Pontificis jus in ferendis legibus, ad spirituale regimen ordinatis de jure divino sit, ac per hoc contra summi Pontificis jus ferendi leges consuetudo non præscribat; quia tamen lex, a Pontificibus lata, etiam si ad spirituale regimen ordinata, non divina secundum se est, sed humana;

bene

bene poteſt conſuetudo contra latam a ſummis Pontificibus legem invaleſcere, ac præſcribere. Aliud enim eſt dicere poſſe conſuetudinem derogare poteſtatem jejunia inſtituendi, eamque Eccleſiaſtici regiminis principibus adimere; quod aſſerere damnabile eſt; aliud vero, & longe diverſum eſt, dicere, Eccleſiaſtici regiminis Principum admiſſa poteſtate, eorum legem per contrarium hominum uſum poſſe relaxari: ac de facto in Sicilia etiam reſpectu illorum, qui bullam non accipiunt, poteſt quilibet in jejuniorum diebus extra quadrageſimam nedum, lac, butyrum, ova, ac cætera lacticinia, verum & ex immemorabili conſuetudine ſagimen (vulgo ſtrutto) comedere. Et licet ad inducendam conſuetudinem major, ac ſanior communitatis pars requiratur; ſi tamen ſanior, etſi minor pars, ſciente Principe, nec, cum poſſit, contradicente, vel puniente, tales agat actus, quales præter, vel contra ſuam legem dignoſcat Princeps, illos non prohibens, videtur tunc conſuetudinem illam nedum tolerare, verum & per tacitum conſenſum approbare; quanto magis ergo nedum tolerata, verum & approbata dici debeat, chocolaticum potum in ſenſu, a nobis, & a ſanioribus Theologis admiſſo, in die jejunii ſumendi conſuetudo, cum, ſi non a majori, a nobiliori tamen, ac doctiori ſaltem parte, & quod magis eſt, ab ipſis etiam Legislatoribus ſumatur, & in aliis toleratur? Cumque facile id prohibere, vel contravenientes punire poſſint, quid aliud eſt non prohibere, nec punire, immo & potius ſuo exemplo, pene dicam, ſuadere, niſi illam tacite conſuetudinem approbare? Cum præſertim ſummorum Pontificum nullus adhuc (etſi forte chocolaticum potum licitum expreſſe non declaraverit) hanc doctorum opinionem, communemque, ferme di-

 cam

cam, praxim, cum potuerit, cohibuerit. Nec obstat laudabile & admiratione dignum Summi Pontificis Clementis XI. exemplum, qui in diebus jejuniorum nec ipse sumebat, nec in suo procætone sumi ab aliis chocolaticum potum permittebat; suo enim exemplo admirandum sane se præbuit, non proinde tamen chocolatis usum, in sensu a nobis admisso damnandum declaravit: immo ex hoc ipso, quod in diebus jejuniorum ipse non sumeret, nec sumere suis familiaribus permittebat, cæteris autem sumere cum potuerit, nec per legem prohibuerit; hujusmodi potum in diebus, jejunio addictis, per tolerantiam, tacitumque consensum non reprobandum potius intellexisse, suo autem exemplo quod eligibilius, ac perfectius esset, declarasse fatendum est.

Ubi hujusmodi potus consuetudo non est, in sensu exposito licitus non intelligitur.

LXIV. Id unum videtur advertendum, quod ubi hujusmodi potum sumendi consuetudo non sit, illa sola materiæ parvitas licita reputari poterit, quæ, ut cap. 1. n. 37. ac deinceps discussum est, nec jejunium frangat, nec venialem culpam involvat. Unde Fr. Milante in expos. prop. 23. Alex. VII. Exercit. 23. quoad præsens subjungit: *Eamdem potionem*, chocolatis, *nondum usu consuetam, absolute, uti licitam suadere, non audeo ex opposito momento*, ex defectu scilicet tolerantiæ seu taciti consensus Lesgilatoris, qui detrimentum ac pœnam sub vi coactiva intentam, ex jejunio provenientem per hujusmodi potum nondum consuetudine inductum, contra jejunii legem relaxare non intelligitur.

In Jejunii fraudem sumptam chocolatis potionem, illud saltem

LXV. Quandocunque autem sive vigente, sive non vigente consuetudine, chocolatis potus, etiam in sensu a nobis admisso, in jejunii fraudem sumatur, jejunium lædere, cum præter Ecclesiæ mentem sic sumatur, certum reputari debet.

Unde

Unde sic sumens, pensata hujusmodi potus quantitate, & qualitate, nec non & prava in jejunii fraudem agendi intentione, omnino venialem, vel lethalem culpam incurret, ut cap. 1. n. 103. & in hoc cap. n. 7. 8. 14. 17. 18. 28. & 37. declaravimus. Et licet Angelicus in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 4. q. 5. ad 3. dicat: *statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadat in præcepto, sed est finis præcepti; sed ea intentione potest aliquis mereri, aut demereri;* (vide supra n. 7.) id tamen de legibus illis intelligitur, quarum finis ipsarum legum actibus extrinsecus est, secus vero de illarum legum actibus, quarum finis ipsis actibus sit intrinsecus. Finis autem jejunii ipsi intrinsecus carnis maceratio est, corporisque detrimentum, & ab Ecclesia non præcise intentum, verum & sub vi coactiva scilicet quoad executionem præceptum. (vide cap. 1. n. 24. 25. & passim.) Unde siquis hoc fine sumeret, ut jejunii detrimentum non sentiret, Ecclesiæ obedire renuens; vel ex eo peccaret, ac jejunium læderet per qualitatis, vel quantitatis excessum, nec lege, nec consuetudine permissum; vel saltem ex prava intentione excludendi corporis detrimentum, ab Ecclesia sub vi coactiva intentum; ut sæpe in superioribus §. §. dictum est. Neque per hoc vel implicantia loquimur, vel nostram retractamus conclusionem. Aliud enim est chocolatis potum in sensu nostræ conclusionis sumere, etsi ad stomachi, & corporis levamen sumatur; aliud vero, ac longe diversum est, illum sumere, ne corporis detrimentum, ab Ecclesia præceptum, sentiatur; secundum namque tacitum finis legis contemptum, sub vi coactiva præcepti, induit, nec Ecclesiasticæ potestatis tolerantiam supponit;contra vero: primum & ta-

infringere, & venialem culpam involvere, teneri debet.

& tacitum quemdam Ecclesiasticæ potestatis consensum supponit, & consuetudinem includit. Nec valet objicere quasi idem dici posset de simplici aquæ potu. Aqua enim cum ex sui natura sit potus, nullo modo ab Ecclesiastica potestate intelligitur sub vi coactiva prohibitus: unde etsi in jejunii fraudem, vel ob pravam quamcunque intentionem quis simplicem aquam bibens, peccaret; secus vero contra jejunii rationem, ab Ecclesia sub vi coactiva intentam; Quia vero, chocolatis potus, etsi sub ratione potus considenratus, stomachum tamen reficit, & instaurat, & aliquo modo jejunii detrimentum, ab Ecclesia sub vi coactiva intentum, minuit; inde ideo licitus dici potest, non quidem omnino sub ratione parvitatis materiæ immissæ, & quatenus potus est, sed & maxime ex Ecclesiæ in sensu exposito tolerantia; quæ tamen nullo modo intelligitur erga eum, qui in jejunii fraudem contra finem, sub vi coactiva ab Ecclesia intentum, agere intelligeret. Unde licet uterque, eumdem effectum consecuturus sumeret; quia tamen chocolatis potum in fraudem sumens, sine tolerantia, ac tacito Ecclesiæ consensu sumeret, sub ea ratione peccaret, sub qua potus quantitas, & qualitas sub vi coactiva prohibita intelligitur; contra vero chocolatis potum sumens eo modo, quo passim, ac præsertim n. 61. diximus, non in fraudem, sed ex Ecclesiæ tolerantia, ac tacito legislatoris consensu, & consuetudine motus, sub qua ratione sub vi coactiva ad hujusmodi potus abstinentiam non constrigitur, nullo modo peccaret. Cujus argumenti vis non ab omnibus intelligitur, nisi a sanis Theologis, & a legisperitis, recte intelligentibus, fraudem, ac dolum nemini patrocinari posse.

LXVI. Tandem, quia ex nimis justis non desunt, qui per jejunii relaxationem, laudabiliter ab Ecclesia permissam, (vide n. 47.) & admirabili prudentia toleratam, ipsius jejunii spiritum ab Ecclesia defecisse asserere non verentur; idcirco, antequam susceptam hanc provinciam concludamus, hunc errorem, temere assumptum, auctoritatibus, validisque rationibus confutare arbitrati sumus; probare assumentes, non omnem defectum, virtutis rationem tollere, sed illum, qui ejusdem virtutis rationem destruit; Unde ex Angelico 22. q. 33. art. 2. c. sic ratiocinari placet: *Actus virtutum non quolibet modo fieri debet, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc, quod sit actus virtuosus; ut scilicet fiat, ubi debet, & quando debet, & secundum quod debet. Et quia dispositio eorum, quæ sunt ad finem, attenditur secundum rationem finis, in istis circumstantiis virtuosi actus præcipue attendenda est ratio finis; quæ est bonum virtutis*. Ex quibus idem Angelicus sic infert: *Si ergo sit aliqua talis omissio alicujus circumstantiæ circa virtuosum actum, quæ totaliter tollat bonum virtutis, hic actus contrariatur præcepto; Si autem sit defectus circumstantiæ, quæ non totaliter tollat virtutem, licet non perfecte attingat ad bonum virtutis, non est contra præceptum*. Unde & Philosophus lib. 2. Eth. cap. 2. ubi de actionibus, per quas virtutes generantur, loquens sic habet: *Res hujuscemodi & a defectu, & ab excessu corrumpi solere*; & verum reputatur, quod, si parum discedatur a medio, non est contra virtutem, secus vero si multum discedatur.

Non quemcumque virtutis defectum virtuosum actum destruere, probandum assumimus.

LXVII. In præsentiarum autem defectus virtutis quinque modis contingere potest: Et primo quidem per comestionis anticipationem, unde Eccle. 10. v. 16. dicitur: *Væ tibi terra, cujus*

Qualis virtutis defectus sub ratione jejunii possit

Rex

illud destruere, discutiendum suscipimus. *Rex puer est, & cujus principes mane comedunt;* & contra: v. 17. *Beata terra, cujus rex nobilis est, & cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam*: Et secundo per lautam vel sine ciborum discretione comestionem; unde damnatur dives Luc. 16. v. 19. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendide*. v. 22. *Mortuus est autem dives, & sepultus est in inferno*: Et tertio per accuratiorem ciborum præparationem: unde, & filiorum Heli reprobantur actus, de quibus dicitur, quod, offerentibus populis, 1. Reg. 2. v. 13. *Veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua*, v. 14. *Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam sive in cacabum: & omne, quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi*. Et v. 15. *Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: da mihi carnem, ut coquam Sacerdoti &c*. Et quarto per nimiam, vel per plures quam permittantur, comestiones; unde Ezech. 16. v. 49. dicitur: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ*, (loquitur cum synagoga) *superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus: & manum egeno, & pauperi non porrigebant*. Et quinto per nimium ciborum appetitum; Unde Esau actus, ex nimia aviditate procedens ab Apost. Hebr. 12. v. 17. reprobatur, dicente: *Scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*. Et Eccli. 37. v. 32. dicitur: *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam*.

Jejunii conditionibus, quoad sub- LXVIII. Duplex autem, ut recte quoad hoc procedit Daniel Concina lib. 2. de Ecclesiæ præ-

præceptis differt. 2. cap. 12. n. 4. *duplex*, inquit, *in legislatore intentio distingui solet: una, quam vocant objectivam, seu intrinsecam; altera, quam appellant finalem, seu extrinsecam. Prima cadit sub præcepto, secus secunda: quia illa respicit id quod legislator reipsa præcipit; hæc effectum, seu finem spectat, quem legislator vellet ex legis observantia provenire*, ut clarius, & copiosius cap. 1. n. 24. 25. & passim explicavimus, ac discussimus. *Qui ergo*, pergit Daniel, *semel comedit, & a cibis vetitis abstinet, satisfacit primæ intentioni Ecclesiæ, & implet præceptum secundum substantiam*; Licet cæteroquin in illa unica comestione plures ex prædictis n. 67. defectibus immisceat; *Non tamen*, eos immiscens, *satisfacit secundæ intentioni seu fini extrinseco*. Unde Cardinalis Turrecremata de Consecr. dist. 5. Can. *Quinque modis* inquirens, utrum ciborum inordinatio, seu gulæ vitium jejunium solvat, per discretionem sic procedit: Quoad meritum, *dicendum, quod per illas inordinationes circa illas circumstantias, hic positas*, (quæ videri possunt n. 67.) *peccatur, & meritum in toto, vel in parte amittitur: Si loquamur de eo secundo modo*, scilicet secundum formam constitutionis Ecclesiæ, *non solvitur jejunium, nisi solum per inordinationem circa anticipationem temporis, quia certa mensura temporis ad comedendum est jejunantibus imposita, non autem sic circa alias circumstantias*; de quibus agens Angelicus in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. q. 3. ad 2. sic ratiocinatur: *Ad 2. dicendum, quod ea, in quibus non potest accipi certa mensura, non cadunt sub determinatione legislatoris: Et ideo, quia non potest accipi certa mensura in quantitate cibi, vel aliis conditionibus numeratis, sicut in tempore accipi potest, ideo conditiones aliæ quatuor*, ne scilicet lauta sit comestio, ad-

Substantiam servatis, etsi per virtutis defectum sub alia ratione peccari possit, non proinde tamen illud solvi tenendum concludimus.

adhibito tamen ciborum delectu; nec accuratior ciborum præparatio; nec nimia quantitas, dummodo in unica compleatur comestione; nec ex nimio appetitu sumpta; *non cadunt sub determinatione præcepti Ecclesiæ*: *& ideo quamvis per inordinationes circa illas circumstantias*, laute scilicet, vel accuratius, vel nimis, vel ex nimio appetitu comedens *peccet*, *& meritum jejunii amittat*, *vel in toto*, *vel in parte*, *non tamen Ecclesiæ statutum transgreditur*, nisi per solam nimiam anticipationem, *& ideo* quatuor illos defectus admittens, *jejunium* non *solvit*. In jejunii ergo defectibus ejus substantia attendenda est, quæ si subsistit, per illos non solvi concludendum est. Jejunii autem substantia juxta Isidorum lib. 6. Etymolog. cap. 18. *Est parsimonia victus*, *abstinentiaque ciborum*. Quia igitur jejunium ad refrænandas concupiscentias ordinatur, quæ nisi per ciborum delectum, victusque parsimoniam obtineri non potest; inde & jejunii necessitas oritur, & modus: necessitas quidem propter animæ spirituale bonum, etiam cum præcisione ab Ecclesiæ præcepto juxta necessitatis exigentiam intelligendum; unde Angelicus 22. q 147. art. 3. c. sic habet: *Unusquisque .... ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti*, *quantum sibi necessarium est ad prædicta*, scilicet ad deletionem, & cohibitionem culpæ, & elevationem mentis in spiritualia: Quoad Ecclesiæ autem jejunia, ne cuique liberum sit victus parsimoniam ciborumque abstinentiam sibi efformare, modum Ecclesia præscribit per unicam scilicet comestionem, apto tempore faciendam, ac per pinguiorum ciborum abstinentiam: quibus quoad substantiam servatis, Ecclesiæ jejunium non solvi tenendum est. Quia igitur reliqua, licet ab Ecclesia intendantur, prout cap. 1. n. 24. 25. & passim decla-

claravimus, per vim tamen coactivam sub ratione statuti jejunii non præscribuntur; inde, etsi illa non servans, jejunii meritum perdere, ac sub alia ratione peccare possit; non proinde tamen jejunium, prout ab Ecclesia sub coactiva statuti ratione præscribitur, ac præcipitur, solvere dicendus est, dummodo ea servet, quæ sub dicta coactiva ratione servanda præcipiuntur.

LXIX. Et quoniam ex Angelico p. 1. q. 4. art. 1. c. *Perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis*. Perfectionis autem modus Ecclesiastici jejunii, quantum ad vim coactivam attinet, in ciborum delectus, & unica comestione apto tempore facienda, consistit. Inde tunc erit perfectum Ecclesiæ jejunium, quantum ad vim coactivam attinet, cum ciborum delectus, & unica comestio sub ea ratione, sub qua Ecclesia cogit, servantur; secus imperfectum erit. Quia igitur ciborum delectus, & unica comestio, apto tempore facienda ad Ecclesiastici jejunii substantiam, quantum ad vim coactivam attinet, sufficiunt, inde quantum ad vim coactivam attinet, servato ciborum delectu, unica comestione, & hora comedendi, nihil perfectionis jejunio deesse in sensu exposito dignoscitur. Etsi igitur perfectio actus sit modus ejusdem; quia tamen non omnis modus sub ratione illius præcepti cadit, nisi ad illius actus substantiam sub vi coactiva pertineat; inde fit, quoad non omnis modi defectus jejunii substantiam destruit, nisi eam, sub ratione coactiva præceptam destruat. Sicut igitur in aliis virtutum actibus e. g. in præcepto audiendi sacrum contingit, in quo modus intentus, ac præceptus in ejus auditione intelligitur, attentio scilicet, genuflexio, mentis elevatio, mysteriorum consideratio, integritas &c. & tamen si in ejus auditio-

Quæ a n. 66. ac deinceps dicta sunt ulterius explicantur, ac roborantur.

servato delectu, & unica circa meridiem peracta comestione, etsi serotina superaddatur refectio, ut pluribus ab hinc sæculis passim in Ecclesia toleratur; vel una servata comestione, in ciborum delectu deficiat; per lacticiniorum scilicet, vel ubi consuetudo toleratur, per sagiminis (vulgo strutto) ad condiendos cibos comestionem, ecclesiastici jejunii substantia, quantum ad vim coactivam attinet, non destruitur; inde absolute dicendum, per hujusmodi defectum, ecclesiastici jejunii substantia, quantum ad vim coactivam attinet, non deficiente, illud non solvi. Non igitur dicere cogimur jejunii spiritum ab Ecclesia defecisse; immo & e contra jejunii substantiam in Ecclesia servare, etsi cæteroquin serotina superaddatur refectio. Quin imo etsi lacticinia ex carne originem ducant; quia tamen non adeo cum carne homogenea sunt, nec sicut caro concupiscentiam fovent, ac proinde cum eorum comestione carnis maceratio subsistit; inde jejunii substantiam cum superaddita refectione, lacticiniorumque comestione non pugnare teneri debet. Unde oritur, quod, licet Ecclesia in singulis sextis feriis, pluribusque in locis etiam in sabbatis carnis macerationem intendens, carnis comestionem interdicat, lacticiniorum tamen usum non prohibet; nec in jejuniorum diebus extra Quadragesimam expresse lacticinia prohibentur; unde in multis provinciis ortus in jejuniorum diebus lacticiniorum usus, ut in Germania ex antiqua consuetudine omnibus jejuniorum diebus totius anni, atque in Sicilia extra Quadragesimam etiam sine Cruciatæ Bulla ova, ac lacticinia permittuntur. Quin immo & Romana Ecclesia ad comedendas in Quadragesima carnes, urgentibus causis, dispensat, primis quatuor exclusis diebus, quartis in-

su-

ſuper, & ſextis feriis ac ſabbatis nec non & vigiliis, ac tota majori hebdomada ſimiliter exceptis, in quibus ad lacticinia comedenda quandoque ex graviſſima neceſſitate diſpenſat, nec proinde per eorum eſum jejunii ſubſtantiam tolli abſolute dici poterit. Quodque conſiderabilius eſt, licet carnis comeſtio, utpote carnis macerationem minuens, & concupiſcentiam fovens, cum jejunio pugnare videatur; quia tamen non quælibet carnis comeſtio, vel animalium pars eodem modo cum carnis maceratione pugnat; inde, etſi alicubi in jejuniorum diebus, ut in Sicilia dignoſcitur, ſaltem extra Quadrageſimam conſuetudo invaleſceret ſagimine uti, non proinde dicendum jejunii ſubſtantiam tolli; licet enim ſic peractum jejunium a ſui perfectione deficiat, propter quod Romana Eccleſia, ad carnes comedendas, urgentibus cauſis, diſpenſans, diſpenſatione utentes, ad eleemosynas faciendas, quaſi per quandam compenſationem, hortari ſolet; quia tamen hæc, & ſimilia quoad ciborum delectum, pluribus in locis in jejuniorum diebus ex legitima conſuetudine invaleſcentia, minime ab Eccleſia prohibentur, ac proinde, poſitis circumſtantiis, ſub vi coactiva eorum abſtinentia non cadit; immo & quandoque ab eadem Eccleſiaſtica poteſtate diſpenſatur; datur intelligi poſſe jejunium etiam cum modi defectu, non ſervato ſcilicet in ſenſu expoſito ciborum delectu, quoad ſubſtantiam ſubſiſtere. Non enim ſub vi coactiva cadere intelligitur, quod Eccleſia tolerat, vel diſpenſat, cumque poſſet impedire, non prohibeat.

Superioris doctrinæ explicatio continuatur, & concluditur.

LXXI. Nec non: quia carnis maceratio in jejunii conditionibus diviſibilis eſt; poſſet enim quis carnem macerare, ſemel in die comedens, licet in ea comeſtione carnes adhiberet; vel, li-

licet plures ex rationabili caussa admitteret comestiones, posset tamen carnis macerationem per ciborum delectum, per carnium nempe abstinentiam obtinere; vel, si sub jejunii forma macerari voluerit, poterit quis per ciborum quidem delectum semel in meridie adhibita comestione, serotinam superaddere refectionem; sequitur, quod, licet per solum ciborum delectum, jejunii forma non servata, jejunium non subsistat, ut in feriis sextis, in quibus non jejunii forma, sed carnium abstinentia ad carnis macerationem obtinendum præcipitur; quia tamen carnis maceratio, in jejunio servanda, nedum per ciborum delectum, verum & per jejunii formam, per unicam scilicet comestionem, apto tempore faciendam intenditur, quæ certe divisibilia sunt; idcirco, una non servata conditione, aliis tamen servatis, carnis macerationem non excludi, ac proinde jejunii substantiam non extingui, fatendum est. Unde Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. in Encyclica: *Non ambigimus*, ad servandam jejunii formam teneri, qui ex ciborum defectu, vel ex infirmitate, vel ob aliud rationabile motivum, quod ad plures comestiones non adstringeret, in jejuniorum diebus carnes comederet, prudentissime declaravit; interrogatus enim, an ii, quibus concessum sit vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea carnis quantitate uti, quæ jejunantibus permittitur, in Brevi an. 1744. respondit: *Non licere; sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticolosæ conscientiæ*: quod sane non ideo factum, quia carnis abstinentia etiam in permissa comestione ad jejunii substantiam non pertineat; sed ideo quatenus carnis abstinentia a jejunii forma divisibilis declaratur: Sicuti licet officium sub unico veluti

præ-

præcepto recitandum imponatur: quia tamen divisibile est, una scilicet ab aliis canonicis horis separari potest; inde qui omnes horas recitare non poterit, tenetur ad illam officii partem, quam poterit, juxta damnatam ab Innoc. XI. Feria 5. die 2. Martii anno 1679. propositionem 54. asserentem: *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem*. Cum enim, ut sæpe dictum est, in jejunio carnis maceratio præcipue intendatur; carnis autem maceratio nedum per ciborum delectum, verum & per comestionum abstinentiam habeatur; & comestionum abstinentia a carnium abstinentia divisibilis sit; inde oritur, quod, si quis ob stomachi infirmitatem, vel ob aliud rationabile motivum a carne abstinere non poterit, comestionum autem pluralitate poterit, debet quoad partem jejunii legem servare, semel scilicet in die comedere. Hujusmodi vero jejunia, quæ eorum servata forma, unica scilicet comestione, apto tempore facienda, ciborum delectum excludant, vel, juxta prædicta, aliquid ultra comestionem admittant, a sui perfectione deficere, a nemine, cui sana Theologia sapit, negari poterit; eoque minus perfecta esse, quo magis a ciborum delectu, jejuniique forma recedant; eoque vero perfectiora esse, quo perfectiori integritate, eorum serventur conditiones, omnino confitemur, ut n. 47. & 66. ac deinceps declaravimus.

Jejunium cum virtutis defectu, in ejusdem fraudem admisso, venialem saltem cul-

LXXII. In jejunii autem fraudem agentem, venialem saltem culpam incurrere, ipsumque jejunium imperfectum reddere ex superioribus locis, n. 65. citatis, tenendum est. Nec mirum: quoad hoc enim non secus ac de jejunio, sumendæ Eucharistiæ præmittendo, servata pro-

por-

portione, discurrendum erit. De defectibus enim in celebratione missarum §. 9. postquam n. 1. dixerat: *Siquis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parva quantitate, non potest communicare, aut celebrare*, subjungitur: n. 3. *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem*. Si igitur præter intentionem stilla aquæ deglutita, jejunium ad Eucharistiam requisitum non frangere dicitur; eo quod ergo exceptio firmat regulam in contrarium; inde sequitur, quod, si stilla aquæ ex industria deglutiatur, jejunium, ad Eucharistiæ sumptionem requisitum, frangeret, eamque sumere impediret. Non mirum ergo, si in hoc cap. & in superioribus sæpe diximus, atque ex Angelico probavimus, aliqua sive ex Ecclesiæ indulgentia, sive ex probata consuetudine, sive ex alia ratione permissa, accedente Ecclesiæ tolerantia, qua posita, vis coactiva non intelligitur, jejunium non frangere, (vide n. 14. & cap. 1. n. 24. 25. &c.) secus vero in jejunii fraudem contra Ecclesiæ mentem sumpta. Non enim in his, ac similibus jejunium secundum se consideratur, propter quod veritatem istam multi non capiunt, sed juxta Ecclesiæ mentem considerari debet. Ecclesiæ autem mens, etsi aliqua permittat, dempta jejunii fraude, pravaque intentione, secus vero ea admissa, ut sæpe dictum est, ac n. 65. satis explicavimus.

pam involvere tenendum est.

CAPUT TERTIUM.

Quænam ex jejunii conditionibus, servatu simul impossibilibus, præferri debeat, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

I. Explicata in præcedentibus capitibus jejuniorum solutione ex triplici jure respective procedentium, ejusque assignatis rationibus, ob non servatam scilicet unicam comestionem, sive ciborum delectum, aut horam; nec non & parvitatis materia relate ad cibum, ac potum, sive durationem ex comestionis anticipatione, interruptione, sub quacunque ratione contingentibus; in hoc capite id unum, brevi calamo, declaramus, quænam scilicet jejuniorum conditio in concursu servatu simul impossibilis servari debeat, & consequenter a quanam ejusdem juris jejunii conditione exemptio consurgat, si omnes servari simul nequeant sub eadem jejuniorum specie conditiones.

§. I.

Quænam jejuniorum conditio, ex naturali jure procedentium, in earumdem conditionum coucursu, servata simul impossibilium, præferri debeat, declaratur.

Quænam in jejuniis ex naturali jure procedentibus conditio, in earumdem conditionum concursu, servatu simul

II. Quoniam ergo jejunium, ex naturali jure procedens, ad animæ, corporisve malum, aut bonum, sive morale, sive physicum respective avertendum, vel prosequendum ordinatur; ad quod obtinendum ciborum delectus per unicam comestionem, apto tempore faciendam, a naturali jure dictatur; sub cujus ratione ex naturali jure procedens apud omnes jejunium intelligitur; idcir-

circo dubium oriri poterit, quænam scilicet ex hujusmodi conditionibus, servatu simul impossibilibus, potior, ac servanda intelligi debeat? Ad quod dicimus, illam quoad jejunia, ex naturali jure procedentia, potiorem intelligi debere conditionem, quæ magis ad finem a naturali jure intentum, conduceret: quæ scilicet ad malum avertendum, vel ad bonum prosequendum, aptius, ac directius medium existens, magis necessaria judicabitur. Unde si potior, magisque necessarius judicabitur ciborum delectus, hic, secus vero unica comestio, vel apta comestionis hora, potior conditio reputari debebit, si vero unica comestio aptius, ac directius medium judicetur; hæc præ ciborum delectu, vel apta hora præferri debet; si vero apta hora potior judicetur conditio; hæc præ ciborum delectu, vel una comestione præferenda intelligitur. Quod si non sub ratione jejunii, sed potius, ut ita dicam, semijejunii aliqua ad obtinendum finem tamquam sufficiens medium a naturali jure dictaretur conditio; & tunc, quatenus totam jejunii rationem complectens, prædicti concursus incapax existens, secundum se servari omnino debet, nisi etiam ad hanc non servandam, ex naturali jure orta dictaret ratio.

impossibilium præferri debeat declaratur.

III. Hic autem conditionum ordo, ac prælatio relate ad jejunia, ex naturali jure procedentia, non sterilis, neque inutilis reputetur. Licet enim in conditionum concursu servatu impossibili, non omnes, sed una, ea scilicet, quæ in sensu exposito potior sit, a natura dictetur; quia tamen, quænam eligibilior sit, quandoque ignoratur; inde ad dignoscendum, quænam tunc in prædicto consursu, servatu impossibili, a natura dictetur eligenda conditio, hanc regulam duximus ponendam, eam scilicet in conditionum concursu

Hujus adinventionis utilitas aperitur.

ſervatu impoſſibili eligi debere, quæ aptius, ac directius medium ad malum avertendum, vel ad bonum proſequendum, a naturali jure intentum, præ cæteris judicetur eligenda conditio.

§. II.

Quænam jejuniorum conditio, ex divino jure procedentium, in earumdem conditionum concurſu ſervatu ſimul impoſſibilium præferri debeat, declaratur.

Quænam jejuniorum conditio, ex divino jure procedentium, in earumdem conditionum concurſu, ſervatu impoſſibilium relate ad divinam legem, vel divinum præceptum, præferri debeat, proponitur, diſcutitur, ac reſolvitur.

IV. Quoad jejunia vero divini juris, propoſito noſtro inſiſtentibus, ſic videtur ratiocinandum: Si ſermo ſit de jejunio, ex divina lege, vel divino præcepto procedente; Et tunc ſi ſecundum omnes illius jejunii conditiones conſcientiam conſtringeret, licet una conditio magis quam alia ad obtinendum finem poſſet inducere jejunantem; quia tamen, ut ponimus, quantum ex vi divinæ legis, vel divini præcepti non minus ad unam, quam ad omnes hujuſmodi jejunii conditiones obligatio conſurgeret; inde quantum eſt ex vi divinæ legis, vel divini præcepti in ſenſu poſito una jejunii conditio alia potior dici nequiret. Æque proinde ad ciborum delectum, & unicam comeſtionem, apto tempore faciendam, conſcientiam conſtringeret. In hujuſmodi igitur conditionum concurſu ſervatu impoſſibili, non quænam ex vi divinæ legis, vel divini præcepti potior jejunii conditio ſit, adhibenda diſcretio eſt, ſed ſolum quænam ad divinæ legis, vel divini præcepti finem magis conducens, dignoſceretur, eligi, ac ſervari deberet; ad hanc enim, & non ad alias jejunii conditiones in concurſu ſervatu impoſſibili, ex vi præcepti, vel divinæ legis conſcientiam conſtringens, procedere intelligitur obligatio. Quod ſi

si non ad jejunium qua tale, sed ad semijejunium divina lex, vel divinum præceptum urgeret; tunc, cum in una sola conditione, ut ponimus, tota divinæ legis, vel divini præcepti ratio subsisteret; inde illa sola quatenus concursum impossibilem redderet, si servatu possibilis esset, exemptionem non induceret.

Quænam jejunii conditio, relate ad divinum jus, ex voto, vel juramento procedens, in earumdem conditionū concursu, servatu impossibili, præferri debeat, proponitur, discutitur, ac resolvitur.

V. Quod si de jejunii obligatione ex voto, vel juramento simplici, vel solemni, privato, vel publico respective sermo procedat; & tunc si voventis, vel jurantis mens non minus ad unam, quam ad omnes simul jejunii conditiones sese obligare intenderit; etsi, quantum ad voti, vel juramenti finem, una præ alia voti, vel jurati jejunii conditio aptius, ac directius ad ejusdem voti, vel juramenti finem consequendum conduceret, quantum tamen ad voventis, vel jurantis mentem attinet, una præ alia potior dici nequiret jejunii conditio. Æque igitur, quantum ad voventis mentem attinet, ad ciborum delectum, & unicam comestionem, apto tempore faciendam, obligatio subsisteret. Unde in hujusmodi jejunii conditionum concursu, servatu impossibilium, illa tunc eligi deberet, quæ servatu possibilis, ad voti, vel jurati jejunii finem consequendum aptius, ac directius conduceret, atque ad voventis, vel jurantis mentem magis accedere dignoscetur.

Idem prosequitur argumentum.

VI. Quod si voventis, vel jurantis mens potiorem unam præ aliis intenderit conditionem; vel scilicet, etsi omnes servandas voverit, vel juraverit, unam tamen determinans, quocunque eventu servandam, reliquas vero, sub hac, vel illa conditione, qua non purificata, etiam per semetipsum dissolvendas proposuerit; vel unam solam determinatam voverit, vel juraverit, reliquas vero secundum quid servandas proposuerit;

rit; tunc in hujusmodi jejunii conditionum concursu, quoad omnes servatu impossibili, illa, quam omnino servandam voverit, vel juraverit, aliis ejusdem jejunii conditionibus potior dici debet; sicque præ aliis eligibilior existens, & conscientiam constringens, aliis præferri debet. Nec refert, si alia ad voti, vel jurati jejunii finem obtinendum magis conducere videatur conditio; cum in casu posito, non voti, vel juramenti finis, sed voventis, vel jurantis mens attendi debeat. Quod si unam voverit, vel juraverit, non tamen determinans jejunii conditionem; tunc illa sub voti, vel juramenti obligatione caderet, & absolute potior diceretur conditio, quæ, pensatis circumstantiis, nedum cum voti, vel juramenti fine, verum & potius cum voventis, vel jurantis mente magis convenire judicabitur. Unde in hujusmodi jejunii conditionum concursu, servatu impossibili, illa præ aliis eligi debet, quæ, pensatis omnibus, nedum cum voti, vel juramenti fine, verum & potius cum voventis, vel jurantis mente magis convenire dignoscetur.

Idem prosequitur, & concluditur argumentum.

VII. Per accidens autem præter conditionem illam, quæ potiori jure a vovente, vel jurante in sensu exposito intenditur, alia, etiamsi a vovente, vel jurante principaliter non intenta, adaugeri poterit omnino servanda conditio, si, illa alia non servata jejunii conditione, scandali occasio, vel quid aliud vitandum oriretur malum; vel scilicet ratione ipsiusmet voti solemnitatis, vel juramenti publicitatis, vel ob aliud, quod præferri etiam deberet, rationabile motivum. Unde in tali concursu non illa secundum se, ratione scilicet majoris cum fine, vel cum voventis, vel jurantis mente congruentiæ, potior, sed illa, quæ per accidens in sensu exposito major eva-

evaserit, præ aliis ejusdem jejunii conditionibus eligibilior judicari debebit, & omnino servanda, etsi reliquæ in illo concursu servari non possent. Quacunque autem ratione ad unam tantum jejunii conditionem ex vi voti, vel juramenti consurgeret obligatio; cum tunc in ea sola tota voti, vel juramenti obligatio subsisteret: inde non aliæ, sed illa potior, erit omnino servanda jejunii conditio.

§. III.

Quænam jejuniorum, ex humano jure procedentium, conditio, in earumdem conditionum concursu servatu simul impossibilium, præferri debeat, declaratur.

VIII. Quoad jejunia autem humani juris: Ecclesiæ, seu præcipientis mens omnino attendenda est. Ecclesia autem licet in suis jejuniis plures imponat conditiones, ciborum nempe delectum, unicam comestionem, & horam; id tamen, quod potiori ratione in suis jejuniis intendit, unica comestio est, apto tempore facienda, adjuncto tamen ciborum delectu. Non quidem ita intelligendum, quasi ciborum delectum sub gravi non præcipiat; sed quod pro potiori jejunii conditione unicam intendat comestionem, secundario autem ciborum delectum; comestionis autem hora, licet ab Ecclesia pariter intendatur, immo & præcipiatur, non eo tamen rigore, sicut ciborum delectus, & multo minus sicuti & unica comestio præcipitur. Unde in concursu conditionum quoad jejunia, ex humano jure procedentia, servatu simul impossibilium, unica comestio ciborum delectui; ciborumque delectus comestionis horæ præferri videtur.

Quænam jejuniorum ad humanum jus spectantium, conditio, in earumdem conditionum concursu servatu simul impossibilium præferri debeat proponitur.

IX.

Præcedens doctrina remissive roboratur.

IX. Non autem ignoramus, nonnullos ciborum delectum unicæ comestioni prætulisse; quia tamen contrariam sententiam cap. 1. §. 3. satis probavimus, ac discussimus; inde ne actum agamus, pro nunc sufficiat in jejuniis, ex humano jure procedentibus, potiorem conditionem in unica comestione consistere non quidem probare, sed supponere. Ex quibus patet, quod sicuti jejuniorum ordinem, ac prælationem ex intrinsecis eorumdem rationibus, juxta diversos juris naturæ, divini, humanique respectus inter eamdem juris speciem intelligimus; ita & pro singulis respectibus ex iis, quæ supra probavimus, quænam jejunii conditio aliis ejusdem speciei jejunii conditionibus præferri debeat, innotescit.

Hujus adinventionis utilitas proponitur.

X. Neque inutilis ista discretio reputanda. Ad hoc enim adinventa est, ut in concursu conditionum quoad omnes servatu impossibili, eam illius rationis, ex naturali, divino, humanoque jure procedentis, jejunii conditionem servare teneamur, quæ juxta assignatas discretionis regulas potior dignoscatur. Quia igitur, concurrentibus exemptionis motivis, non absolute ab omnibus jejunii conditionibus exemptio consurgit, sed ab iis tantum, quæ servatu omnino impossibiles sunt; inde ita exemptionis motivis indulgere quis debet, ut quantum fieri poterit, potiores cujuscunque speciei jejunii conditiones servare conetur.

Servandarum jejunii conditionum servatu simul impossibilium, ordo ac prelatio quoad praxim proponitur.

XI. Priusquam autem hunc paragraphum concludamus, placet hic analysis ordinem, quæ in jejunii conditionum exemptione contingere poterit, subjicere; ut inde in praxi pateat, quænam in jejunio, secundum se considerato, præ aliis potior, & eligibilior adinveniri poterit servanda conditio. Quia igitur potest quis habere motivum non multum anticipandi comestionis ho-

horam, non autem ab aliis jejunii conditionibus sese eximendi; vel 2. potest habere motivum jejunii ordinem invertendi, in meridie nempe refectionem sumendi, ac sero prandendi, secus vero alias jejunii conditiones transgrediendi; vel 3. nimis anticipandi comestionem, secus vero alias non servandi conditiones; vel 4. comedendi ova, ac lacticinia vel sola, vel simul cum piscibus, secus vero alias transgrediendi jejunii conditiones; vel 5, comedendi carnes cum ovis, & lacticiniis tantum, secus vero insimul cum piscibus, neque alias jejunii conditiones transgrediendi; vel 6. comedendi carnes cum ovis, & lacticiniis, ac piscibus, secus vero ab unica comestione sese eximendi; vel 7. plures faciendi comestiones, secus vero a ciborum delectu sese eximendi; vel 8. pluribus adhibitis comestionibus, etiam ovorum, lacticiniorum, ac piscium adhibendi comestionem; vel 9. pluribus adhibitis comestionibus, etiam ovorum, lacticiniorum, & carnium adhibendi comestionem; vel 10. etiam cum pluribus comestionibus ova, & lacticinia, & carnes, immo & pisces adhibendi: Idcirco quia plures adhibere comestiones, non servato ciborum delectu, quid majus est, quam ciborum servato delectu, plures adhibere comestiones; quia item plures adhibere comestiones, ciborum servato delectu, quid majus est, quam, unica servata comestione, carnes cum ovis, ac lacticiniis, quin & pisces comedere; item quia, unica servata comestione, carnes cum ovis, & lacticiniis, nec non & pisces comedere quid majus est, quam, unica servata comestione, carnem cum ovis, ac lacticiniis tantum comedere; item quia, unica servata comestione, carnem cum ovis, & lacticiniis comedere quid ma us est, quam cum unica comestione ova, & lacticinia vel sola, vel cum

cum piſcibus comedere; item quia, unica ſervata comeſtione, ova, & lacticinia vel ſola, vel cum piſcibus comedere quid majus eſt quam nimis anticipare comeſtionem; item quia nimis anticipare comeſtionem quid majus eſt, quam jejunii ordinem invertere; item quia jejunii ordinem invertere quid majus eſt quam parum anticipare comeſtionem: idcirco in motivorum concurſu, alicujus conditionis exemptionem inducentium, debet prius ab illis conditionibus exemptio tentari, quæ minor ſit, minuſque cum jejunio pugnare videatur. In motivorum igitur concurſu, exemptionem inducentium, non ſtatim ab omnibus jejunii legibus exemptio conſurgere dicenda eſt, ſed ab ea tantum conditione, quæ minor judicetur, ac neceſſitati ſatisfaciat, exemptio conſurgere ſimiliter dicenda eſt.

CAPUT QUARTUM.

De Jejuniorum, ex triplici jure reſpective procedentium, exemptione.

§. I.

Jejuniorum, ex naturali jure procedentium, ſub qua ratione contingere, vel non contingere poſſit exemptio, per quinque poſitiones diſcutitur, ac reſolvitur.

Quænam ad exemptionem inducendam motiva intelligi debeant, ſub generali ratione proponuntur.

I. Antequam autem, quæ in hoc §. exagitanda proponimus, diſcutienda aggrediamur, præ oculis habere oportet exemptionis motiva ad avertendum malum, bonumque proſequendum reduci: quæ ſane motiva, omnia mala divini honoris, vel animæ, corporiſve læſiva; vel ſupernaturale, aut naturale animæ, corporiſve bonum;

num; vel externa hominis bona vitare, seu impedire, vel prosequi, aut conservare, vel acquirere respective intelligimus, quæ per quinque positiones deinceps discussa, exponere judicamus. vide n. 16.

II. Positio I. dictante naturali jure jejunium, vel aliquam ejus conditiones aliudve opus, ad malum divini honoris læsivum impediendum, vel repellendum, e. g. ne deus per effrænem concupiscentiam offendatur; nulla motiva ab hoc jejunio, vel aliqua ejus conditione, aliove opere, quod tamquam necessarium medium, ad effrænem concupiscentiam reprimendam, ne deus offendatur, a naturali jure dictaretur, ad exemptionem inducendam valere poterunt. Non quidem carnis opera seu peccata; ad hæc enim tamquam vitanda, jejunium, ad quod naturale jus inclinaret, ut hypothesis procedit, ordinaretur: non fructus spiritus, vel misericordiæ opera, cum enim fructus spiritus, ac misericordiæ opera ad positiva præcepta reducantur, quæ negativis præceptis postponuntur; malum autem non facere, propter quod juxta hypotesim a naturali jure dictatur jejunium, concupiscentiam nempe per jejunium cohibere, ne in malum, divini honoris læsivum prodeat, ad negativum præceptum pertineat; inde motiva exercendi fructus spiritus, vel misericordiæ opera, ab hujusmodi jejunio, quod tanquam medium ad reprimendam concupiscentiam, a naturali jure dictaretur, exemptionem inducere non poterunt. Neque ad hujusmodi exemptionem inducendam motiva sufficerent, ad naturalia animæ, corporisve mala impedienda, vel avertenda, ut essent, amentia, phrænesis, infirmitas, mutilatio, mors &c. cum enim divini honoris vitanda læsio quibuscunque naturalibus malis præferri debeat; inde potius

Dictante naturali jure jejunium ad malum divini honoris læsivum in se ipso impediendum, vel repellendum, nulla motiva exemptionem inducere poterunt.

hæc sustinere, ac pati, quam malum divini honoris læsivum eligere debemus. Neque ad naturalia animæ, corporisve bona, & multo minus ad externa hominis bona, sive conservanda, sive acquirenda, ad exemptionem, ab hujusmodi jejunio inducendam, sufficerent; potius enim horum privationem, seu amissionem pati, quam peccandi periculum subire tenemur. Dictante igitur naturali jure jejunium, aliudve opus, tamquam necessarium medium ad peccati periculum impediendum, nullo modo poterit ab hujusmodi jejunio in propria persona exemptio consurgere.

Dictante naturali jure jejunium ad supernaturale bonum, in se ipso prosequendum vel acquirendum an ab hoc jejunio consurgere possit exemptio, discutitur, ac resolvitur.

III. Positio II. dictante naturali jure jejunium, aliudve opus, ad supernaturale bonum, in se ipso conservandum, vel acquirendum; an ab hoc jejunio exemptio oriri possit, discretione opus est: Si enim supernaturalis boni, seu supernaturalium virtutum actuum privatio, seu omissio malum divini honoris læsivum traheret, tunc eadem erit solutio, in superiori positione discussa; ab hujusmodi proinde jejunio, ad passiones cohibendas, ne in malum divini honoris læsivum erumpant, a naturali jure ordinato, nullatenus poterit exemptio consurgere. Quod si supernaturalis boni, quod per jejunium natura intenderet, privatio, seu omissio malum divini honoris læsivum non traheret, distinguere iterum oportet; Si enim supernaturale bonum, ad quod conservandum, vel acquirendum, natura jejunium dictaret, ad supernaturalem vitam consequendam necessarium existeret; tunc, quatenus cum superiori motivo concordat nulla motiva, sive sint fructus spiritus, ac virtutes, sive misericordiæ opera, sive naturalia animæ corporisve mala, vel bona, vel externa hominis bona, respective exercenda, vitanda, vel conservanda, sive acquirenda cum illo jejunio servatu im-

impossibilia, ab hujusmodi jejunio, quod tamquam necessarium medium ad supernaturalem vitam consequendam, a natura dictaretur, *secundum se* propriam personam eximere poterunt. In prædictorum igitur concursu, cum tali jejunio servatu impossibili prædictorum potius, quam jejunii omissionem in sensu exposito eligere debemus.

Idem continuatur argumentum.

IV. Non casu autem dictum est: *secundum se*. Concurrente enim ad finem supernaturalis boni conservandi, vel acquirendi ex naturali jure jejunio, cum naturali animæ, corporisve malo vitando, servatu impossibili, naturalis animæ, corporisve vitandi mali necessitas ab hujusmodi jejunio posset exemptionem inducere, si, non quatenus naturalia animæ, corporisve mala vitanda, supernaturalis vitæ consequendæ bono præferri debeant, sed quatenus gravi animæ, corporisve mali periculo, per jejunium, etsi ad supernaturalem vitam consequendam, a naturali jure ordinatum, concurrente, tunc positivum præceptum, supernaturale scilicet bonum prosequendi cum naturali animæ, corporisve periculo non constringeret; nisi forte ex illius supernaturalis boni prosequendi, sive acquirendi, per jejunium a natura intenti privatione, seu omissione, æternæ vitæ sequeretur amissio; quæ quatenus non nisi per malum divini honoris læsivum contingeret, eadem tunc esset ac in superiori positione solutio. Cumque supernaturalis boni prosecutio naturali animæ corporisve bono, externisque hominis bonis præferri debeat; inde in concursu supernaturalis boni prosequendi, ad quod conservandum, tanquam medium a naturali jure dictaretur jejunium, cum naturali animæ, corporisve bono, externisque hominis bonis conservandis, vel acquirendis servatu impossibili,

ho-

horum potius amissio, quam a jejunio in sensu exposito exoriretur exemptio.

Idem ex Angelico confirmatur argumentum.

V. Ad prædictorum autem confirmationem, etsi sub diversa ratione, in sua 22. q. 147. art. 1. ad 2. sic procedit Angelicus: *Medium virtutis non accipitur secundum quantitatem, sed secundum rationem rectam .... ratio autem judicat, quod propter aliquam specialem causam aliquis homo minus sumat de cibo, quam sibi competeret secundum statum communem, sicut propter infirmitatem vitandam, aut ad aliqua opera corporalia expeditius agenda. Et multo magis ratio recta hoc ordinat ad spiritualia mala vitanda, & bona prosequenda*; Et immediate sic prosequitur: *Non tamen ratio recta tantum de cibo subtrahit, ut natura conservari non possit*. Dictante igitur naturali jure jejunium, aliudve opus, tamquam medium ad supernaturale bonum conservandum, vel acquirendum, quo sensu possit, vel non, ab hujusmodi jejunio, cum aliis bonis, vel malis, respective conservandis, vel acquirendis, aut vitandis, servatu impossibili, exemptio consurgere, ex dictis innotescit.

Dictante naturali jure jejunium ad physicum malum in se ipso impediendum, vel repellendum, an ab hoc jejunio possit exemptio consurgere, discutitur, ac resolvitur.

VI. Positio III. dictante naturali jure jejunium, aliudve opus, ad naturale animæ, corporisve malum, impediendum, vel repellendum; si hujusmodi jejunii omissio medium existeret, ad malum divini honoris læsivum impediendum, vel repellendum, tunc ab hujusmodi jejunio, ut positione 1. discussimus, ex prædictis motivis oriretur exemptio. Unde potentiarum potius hebetudinem, aliamque quamlibet corporis infirmitatem, per tale jejunium cæteroquin vitandam sustinere ac pati potius debemus, quam jejunantes, mali divini honoris læsivi subire discrimen; si scilicet concursus jejunii cum malo divini honoris læsivo vitando, servatu impossibilis existeret.

VII.

VII. Quod si cum hujusmodi jejunio, aliove opere, ex naturali jure procedente, non divinus honor, sed supernaturale bonum, virtutum nempe actus, servatu impossibiles existerent; & tunc, quia imperati virtutum actus non adeo urgent, ut physicum animæ, corporisve malum, ne ab illis exercendis impediamur, sustinere debeamus; inde in concursu virtutum actus exercendi, cum tali jejunio, ad physicum animæ, corporisve malum impediendum, a naturali jure ordinato, servatu impossibili, ab hujusmodi jejunio, aliove opere exemptio non consurgeret; ac proinde virtutum actus potius in prædicta hypothesi, quam jejunium omittere teneremur; quam non jejunantes, mentis hebetudinem, vel aliam corporis infirmitatem incurrere. Non absimiliter in concursu prædicti jejunii, in sensu positionis, ad naturale animæ, corporisve malum impediendum, vel repellendum ex naturali jure procedentis, cum naturali animæ, corporisve bono conservando, vel acquirendo servatu impossibili, ab hujusmodi jejunio exemptio non consurgeret. Cum enim negativa sub eadem ratione magis urgeant, quam positiva præcepta; hebetudinis autem malum, aliamve corporis infirmitatem vitare ad negativa præcepta sub eadem ratione physica spectet; inde in concursu physici mali vitandi, ac physici boni prosequendi, servatu impossibili, physicum malum potius vitare, quam physicum bonum prosequi tenemur; & sic in sensu posito, ab illo jejunio, ad physicum malum vitandum, ex naturali jure procedente, non consurgeret exemptio. *Idem prosequitur argumentum.*

VIII. Et multo minus ad externa corporis bona prosequenda, sive conservanda, vel acquirenda exemptio consurgeret. Cum enim generalis regula sit, ad impediendum majus malum, mi- *Idem prosequitur argumentum.*

minus malum eligere. Externa autem hominis bona amittere, ſive eorum acquiſitionem impedire longe minus malum ſit, quam naturale animæ, corporiſve malum incurrere vel ejus periculo ſe exponere; inde in externorum bonorum, ſive conſervandorum, ſive acquirendorum concurſu, cum jejunio, ad naturale animæ, corporiſve malum vitandum, ſive impediendum, a naturali jure ordinato, ſervatu impoſſibili, externorum bonorum omiſſionem eligere potius debemus, quam, non ſervato jejunio, naturale animæ, corporiſve malum ſuſtinere. Ad externa igitur bona conſervanda &c. in ſenſu expoſito, jejunii exemptio non conſurgeret.

Ad phyſicum bonum in ſeipſo conſervandum, vel acquirendum naturali jure jejunium dictante, an ab hujusmodi jejunio conſurgere poſſit exemptio, diſcutitur, ac reſolvitur.

IX. Poſitio IV. dictante naturali jure jejunium, ad phyſicum animæ, corporiſve bonum proſequendum, vel acquirendum; primæ claſſis motiva, ne ſcilicet divinus honor, cum tali jejunio ſervatu impoſſibilis, lædatur, ad hujuſmodi jejunii exemptionem inducendam omnino ſufficerent. Unde ſi hujuſmodi jejunium, ad animæ, corporiſve bonum proſequendum ordinatum, malum divini honoris læſivum traheret, ab hujuſmodi jejunio exemptio conſurgeret. Quod ſi non traheret; & tunc exercendæ virtutis, ſive fructuum ſpiritus, vel miſericordiæ operum motiva, cum jejunio ſervatu impoſſibilium, ad hujuſmodi jejunii exemptionem inducendam ſecundum ſe non ſufficerent; non quatenus virtutis actus, ſeu ſpiritus fructus, vel miſericordiæ actus altioris ordinis non ſint, quam naturale animæ, corporiſve bonum; ſed quatenus naturale animæ, corporiſve bonum proſequi, maximam habet affinitatem cum phyſico animæ, corporiſve malo vitando; Idem ferme eſt naturale bonum proſequi, quam phyſicum malum vitare; phyſicum autem malum vitare ut plurimum præfertur ſupernaturalium vir-

virtutum actibus imperatis, quæ utpote positiva præcepta non obligant semper, & ad semper, sicut semper, & ad semper obligat negativum præceptum vitandi mortem, mutilationem, infirmitatem aliudve naturale malum. Non casu autem dictum est, *Secundum se*; si enim virtutum actus seu spiritus fructus, vel misericordiæ opera exercendi motiva adeo urgerent, ut illorum operum omissio, malum divini honoris læsivum traheret; tunc in eorum concursu, cum prædicto jejunio servatu impossibili, ab hujusmodi jejunio, etsi ad naturale bonum ordinato, secus vero ab illis virtutum actibus exemptio consurgeret.

Idem prosequitur argumentum.

X. Et quoniam major sub eadem ratione vitandi malum obligatio est, quam ejusdem rationis bonum prosequendi; inde si ad naturale animæ corporisve bonum, sub aliqua ratione prosequendum, per tale jejunium obtinendum, naturale animæ, corporisve malum non impediretur, vel non repelleretur; & tunc in concursu jejunii ad naturale animæ, corporisve bonum conservandum vel acquirendum, ac physici animæ corporisve mali vitandi, servatu impossibili, ab illo jejunio exemptio consurgeret: Quod sane nedum in physicis animæ, corporisve bonis, verum & quoad imperatos virtutum actus valere dignoscitur, quorum exercitium ad bonum naturale, vel morale prosequendum omittere potius debemus, quam physici animæ corporisve mali subire discrimen. Huc facit, quod dicit Angelicus 22. q.147.art. 1. ad 2. *Non tamen ratio recta tantum de cibo subtrahit, ut natura conservari non possit*. Et Lambertinus Inst. 15. n. 15. orientalium opinionem sequendam negat, dicens: *Orientalium Ecclesiæ institutis minime subscribimus, quæ ægrotis per Quadragesimam carnes interdixit, licet in extremo vitæ discrimine versarentur*. Unde si jejunii illius

 omis-

omiſſio ad naturale animæ, corporiſve malum vitandum, neceſſaria judicetur, non amplius jejunium illud, ſed potius ejus omiſſio a natura dictari intelligitur.

Idem proſequitur argumentum.

XI. Et quia externorum bonorum proſecutio, ſeu acquiſitio inferioris ordinis eſt, quam naturale animæ, corporiſve bonum proſequi, vel acquirere; inde externa hominis bona conſervandi, ſeu acquirendi motiva, cum illo jejunio, ad naturale animæ corporiſve bonum proſequendum, vel acquirendum, ſervatu impoſſibilia; ab hujuſmodi jejunio exemptionem ſecundum ſe non inducerent. Unde in concurſu externorum bonorum, cum prædicto jejunio, ſervatu impoſſibili, illorum potius, quam jejunii omiſſionem eligere debemus. Niſi forte externorum bonorum amiſſio aliud traheret; & tunc juxta id, quod faciendum, omittendum, poſtponendum, vel præferendum ſit, ſolutionis varietas aptari debebit.

Dictante naturali jure jejunium ad externa hominis bona in ſeipſo conſervanda, vel acquirenda, an a tali jejunio conſurgere poſſit exemptio, discutitur, ac reſolvitur.

XII. Poſitio V. dictante naturali jure jejunium, ad externa hominis bona conſervanda, vel acquirenda; ſi cum jejunio malum divini honoris læſivum immineret, ſecus vero non jejunando; tum ab hujuſmodi jejunio exemptio conſurgeret. Quod ſi, ſervato jejunio, ſupernaturalis boni privatio, ſeu amiſſio ſequeretur; & tunc, ſi ex ſupernaturalis boni amiſſione malum divini honoris læſivum oriretur, ab hujuſmodi jejunio exemptio, ut ſupra, conſurgeret: Quod ſi ex ſupernaturalis boni privatione, malum divini honoris læſivum non orietur; & tunc ſi externa hominis bona conſervandi, vel acquirendi ſtudium: perſonæ conditioni, vel dignitati congrueret, utique ab hujuſmodi jejunio, ad externa hominis bona conſervanda, vel acquirenda, perſonæ, gradui, & conditioni congruentia, ex naturali jure ordinato, cum ſupernaturali bono, cujus privatio malum divini ho-

honoris læsivum non traheret, servatu impossibili, non oriretur exemptio. Non quatenus externa hominis bona inferioris ordinis non sint, quam supernaturalia; sed quatenus etiam externa hominis bona, personæ conditioni, & gradui congruentia, virtutis, seu honestatis naturam ex operantis intentione induentia, quorum privatio ut plurimum tristitiam, ignominiam, ac derisionem generare solet, ad supernaturalem ordinem, immo ad charitatem pertinent; variatisque circumstantiis, posset, ac deberet alia aptari solutio, ut passim declaravimus.

XIII. Quod si hujusmodi servato jejunio, ad externa hominis bona conservanda, vel acquirenda ordinato, naturale animæ, corporisve malum immineret; tunc ad naturale animæ, corporisve malum impediendum, vel repellendum, quod cum tali jejunio impediri, vel repelli non posset, ab hujusmodi jejunio oriretur exemptio. Quod si hujusmodi servato jejunio, naturale animæ, corporisve bonum impediretur; si hujus naturalis boni privatio naturale animæ, corporisve malum traheret; tunc ut supra, ab hujusmodi jejunio exemptio consurgeret; quod si non traheret, sed majorem tantum in ratione physica perfectionem excluderet; & tunc in concursu prædicti jejunii ad externa hominis bona conservanda, vel acquirenda ordinati, quæ personæ conditioni, & gradui convenirent, ac majoris naturalis perfectionis conservandæ, vel acquirendæ, servatu impossibili, ab hujusmodi jejunio exemptio non consurgeret.

Idem prosequitur argumentum.

XIV. Et quia inter externa hominis bona ordo ac prælatio designatur; inde, dictante naturali jure jejunium, aliudve opus, ad famam conservandam, vel acquirendam; cum fama divitiis præferri debeat: inde in concursu jejunii, ad con-

Idem prosequitur, & concluditur argumentum.

conservandam, vel acquirendam famam ordinati, ac divitias amittendi, servatu impossibili, ad divitiarum jacturam impediendam, ab hujusmodi jejunio non oriretur exemptio. Ac pro generali regula videtur dicendum: Si illud, ad quod impediendum, vel repellendum, sive conservandum, vel acquirendum, malum, sive bonum respective, jejunium, aliudve opus natura dictaret, quid majus, sive altioris ordinis esset, vel traheret; tunc ad minus malum impediendum, vel repellendum, sive ad minus bonum conservandum, vel acquirendum, cum hujusmodi jejunio, aliove opere servatu impossibile, non oriretur exemptio. Quæ autem majora, vel minora sint, quæque prælationem respectu alterius exigant, ex dictis dignosci poterunt.

An ex prædictis in alterius favorem exurgere possit exemptio, proponitur, ac generalis regula designatur.

XV. Quid autem dicendum si in favorem alterius impossibilis reddatur jejunii, sive alicujus conditionis, ex naturali jure procedentis observantia, id sane ex generalibus regulis, in charitatis ratione fundatis, hauriri debet. Brevitatis autem gratia solum dicimus: cum sui ipsius dilectio sit regula diligendi proximum; inde si jejunium, vel aliqua ejus conditio, ex naturali jure procedens, sit necessarium medium, ad malum a seipso avertendum, vel impediendum, vel ad necessarium bonum in se ipso prosequendum, conservandum, vel acquirendum; ab hujusmodi jejunio, vel aliqua ejus conditione cum pari, vel majori in seipso, quam in proximo, exorto, vel orituro detrimento, in illo uno in alterius favorem exemptio non consurgeret.

Exemptionem a naturali jure nunquam dari, quove sensu dari dictum sit, declaratur.

XVI. Apposite autem notandum est, quod, licet naturale jus secundum se, & in sua rectitudine consideratum, nullo modo inclinet, ac dictet quod vel impossibile sit, vel illicitum; quia tamen id ipsum ut plurimum ignoratur, & a na-

a naturali jure procedere videtur, quod a natura non dictatur; inde illius, quod a naturali jure dictari videtur, si ex generalibus regulis impossibile, vel illicitum dignoscatur, quasi ex naturali jure exemptionem oriri intelligimus; secus vero quasi revera, ac secundum se ex naturali jure oriatur exemptio.

§. II.

Jejuniorum, ex divino jure procedentium, sub qua ratione contingere vel non contingere possit exemptio, per quinque positiones discutitur, ac resolvitur.

Eorum quæ in hoc paragrapho dicturi sumus intelligentia aperitur.

XVII. In hoc §. id unum explicandum suscipimus, an scilicet, quando, & quomodo ad jejunium, aliudve opus ex divino jure, sive divina lege, vel divino præcepto, sive voto, vel juramento simplici, vel solemni, privato, vel publico respective, vel religiosa professione adstrictus, exemptionis autem motivis, ad mala, vel bona respective impedienda, vel prosequenda, cum prædicto jejunio, aliove opere concurrentibus, servatu impossibilibus, ab hujusmodi jejunio, aliove opere eximi possit?

Dictante divino jure jejunium, an ad malum divini honoris læsivum in se ipso impediendum, vel repellendum, ab hujusmodi jejunio oriri possit

XVIII. Positio I. dictante divina lege, vel divino præcepto jejunium, aliudve opus, si forte hujusmodi jejunium, aliudve opus servanti, mali divini honoris læsivi periculum immineret; tunc, ad tale periculum evitandum, quod jejunans, aliudve opus servans, vitare non posset, ut ponimus, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex divina lege, vel divino præcepto procedente, exemptio consurgeret. In duorum namque concursu ejusdem juris præceptorum, servatu simul impossibilium, illud præferri debet, quod certius

exemptio, discutitur, ac resolvitur.

tius & universalius cum sit, magis urgere dignoscitur. Certius autem, & universalius est ejusdem juris negativa præcepta servare, quam positiva. Jejunii autem, aliusque operis lex, seu præceptum ad jus positivum pertinet; malum autem divini honoris læsivum vitare ejusdem juris negativum præceptum est; inde hoc præ illo universalius, ac certius existens, magis urgere dignoscitur. In concursu igitur jejunii, aliusve operis servandi, cum vitando malo divini honoris læsivo, servatu impossibili, malum divini honoris læsivi vitare potius urgere, quam jejunium, aliudve opus servare dicendum est. Unde in sensu exposito ab hujusmodi jejunio, aliove opere servando exemptio consurgeret.

Idem relate ad vota, vel juramenta prosequitur argumentum.

XIX. Non absimiliter: Ex voto, vel juramento ad jejunium, aliudve opus adstrictus, si forte jejunans, aliudve opus servans, malum divini honoris læsivum incurreret; non jejunans autem, aliudve opus non servans, periculum illud impedire, seu avertere posset; tunc ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex voto, vel juramento procedente, cum illo vitando malo servatu impossibili, exemptio consurgeret. Cum enim voti materia cum mali periculo divini honoris læsivi, a deo non acceptetur; inde, hac facta positione, obligare non posset; Cumque juramentum, iniquitatis vinculum non sit; inde cum mali periculo divini honoris læsivi incurrendi, obligare nec poterit; tunc enim ex judicii, ac justitiæ defectu a juramenti ratione deficeret.

Idem prosequitur argumentum.

XX. Cumque voti, ac juramenti solemnitas, vel publicitas respective juris humani sit, propter quod, præter extrinseca quædam, part. 1. cap. 1. n. 22. & 23. 29. ad 34. & cap. 2. n. 44. & 45. 54. & 55. discussa, non poterit secundum se plus obligare quam votum, vel juramentum in sua

ra.

ratione confideratum; inde ex folemni voto, vel publico juramento ad jejunium, aliudve opus adftrictus, fi jejunium, aliudve opus fervans, mali, divini honoris læfivi periculum certiffime incurreret, ab hujufmodi jejunio, aliove opere, ex folemni licet voto, vel publico juramento procedente, eximeretur.

XXI. Non cafu autem dictum eft, voti, ac juramenti folemnitatem, vel publicitatem refpective, *fecundum fe* non plus obligare, quam votum ipfum, ac juramentum in fua ratione confideratum: Si enim voto, vel juramento fervato five fimplici, vel folemni, privato, vel publico refpective, fcandalum oriretur; & tunc potius ad evitandum fcandalum, quam ad votum, vel juramentum, fimplex, vel folemne, privatum, vel publicum refpective fervandum, obligatio confurgeret. Ab hujufmodi ergo jejunio, aliove opere, ex voto, vel juramento, fimplici, vel folemni, privato, vel publico refpective procedente, oriretur exemptio. **Idem profequitur argumentum.**

XXII. Quod fi fimplici, vel folemni voto, aut privato, vel publico juramento ad jejunium aliudve opus adftrictus, jejunans, aliudve opus fervans, fcandalum circa mores generaret; non jejunans vero, non circa mores; fed circa fidem fcandali occafionem præberet; tunc in concurfu utriufque fcandali vitandi, fervatu impoffibili; cum ex duobus malis, quorum utrumque impediri, vel repelli non poffit, minus permittere, majus autem omnino impedire teneamur; inter morum autem, ac fidei fcandalum major eft circa fidem, quam circa mores illud vitandi obligatio; inde etfi jejunans, aliudve opus fervans, alteri ruinæ occafionem circa mores præberet; ad evitandum tamen circa fidem fcandalum, quod jejunans, aliudve opus fervans, impediret, ab **Idem profequitur argumentum.**

hu-

hujusmodi jejunio, aliove opere servando ex voto, vel juramento simplici, vel solemni, aut privato, vel publico respective, procedente, in sensu exposito non oriretur exemptio. Licet enim votum sub gravi obliget, juxta illud ps. 75. v. 12. *Vovete, & reddite domino deo vestro: omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*; & juxta Angelicum 22. q.88. art.6. c. *opera aliarum virtutum moralium (puta jejunare, quod est actus abstinentiæ; & continere, quod est actus castitatis) sunt meliora, & magis meritoria, si fiant ex voto quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quædam dei sacrificia*; quia tamen inter divina præcepta, positiva non semper, negativa autem semper, & ad semper obligant; inde in voti, vel jurati jejunii concursu, cum negativo divino præcepto vitandi scandali servatu impossibili, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex divino licet jure procedente, exemptio ex ipsomet divino jure sub alia ratione consurgeret; vel ad majus malum, non servato jejunio, aliove opere, oriundum, non consurgeret. Non quasi, eo durante concursu, subsistens votum non obliget, sed quasi per illum servatu impossibilem concursum, deo non amplius acceptum, a voti ratione pro illo casu deficere, seu non subsistere intelligitur; nisi forte, eo cessante servatu impossibili concursu, voti ratione, voventisque mente pensatis, hujus obligatio reviviscerет; vel jurata materia in aliam commutari debere dignoscatur.

Idem prosequitur argomentum.

XXIII. Nec absimili ratione, si voto, vel jurato jejunio, aliove opere adstrictus, illud servans, perturbationem oriri dignosceret; tunc enim si votum, vel juramentum manifestare noluerit, & perturbatio esset levis, data occasione, votum, vel juratum opus servare teneretur, ac proinde non oriretur exemptio. Quod si voto, vel ju-

jurato jejunio, aliove opere servato, gravis oriretur perturbatio, rationeque assignata, nollet alius acquiescere; tunc, nisi majorem prævideret orituram turbationem, voto, vel juramento adstringi, ne transgressioni se exponeret, manifestare teneretur. Quod si sive non manifestata, sive manifestata voti, vel juramenti obligatione gravis oriretur perturbatio, ira, & indignatio, nullaque assignata ratione, sedari poterit perturbatio, & tunc eligibilius esset votum, vel juratum opus saltem pro illa vice omittere, quam gravis perturbationis occasionem existere; quin immo ex motivo charitatis ad illam perturbationem, quæ charitati opponitur, in alio impediendam, votum, vel juratum opus omittere teneretur; Unde Navarrus in suo Manuali cap. 21. n. 19. *Excusatur*, inquit, *etiam uxor a jejuniis voluntarie votis, si maritus repugnat*. Pro generali autem regula advertendum hic est, quod sic a voto, vel jurato opere exempto; si voti, vel juramenti ratio durationem, seu dilationem permitteret, si scilicet adhuc pro illa vice non impleto, re bene spectata, ejus obligatio non cessaret, tunc illius postmodum implendi, vel in aliud salutare opus commutandi ratio consurgeret.

XXIV. Votorum autem jejuniorum ab Ecclesiæ jejuniis præceptis disparitas a s. Antonino in summa part. 2. Tit. 6. cap. 2. Innocentii sententiam referente §. 6. octavo loco assignatur, dicente: *De uxoribus dicit Innocentius*: *quod*, *quamvis debeant dimittere jejunia*, *quæ habent ex voto*, *prohibentibus viris*, *&c.* secus vero Ecclesiæ jejunia. Cum enim ad vota uxoris jejunia vir ipse non teneatur; inde poterit suam uxorem ex quocunque incommodo oriundo, a votis jejuniis prohibere servandis, secus vero ab Ecclesiæ jejuniis, ad quæ etiam ipse servanda tenetur. Non **Idem prosequitur argumentum.**

car-

carpendi autem studio, sed veritatis amore notandum videtur, prædictam doctrinam non Innocentii esse, sed Augustini, 33. q. 5. can. *Manifestum* relatam, sic dicentis: *Manifestum est ita voluisse legem, fæminam esse sub viro, ut nulla vota ejus, quæ abstinentiæ causa voverit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo*: quæ sententia in eodem Augustino ex quæstionibus Numerorum q. 59. excerpta, videri poterit. Eo igitur solo sensu Innocentii sententia dici poterit, quatenus Innoc. III. de observat. Jejuniorum cap. *Consilium*, etsi sub alio sensu, dicit: *Cum non subjaceat legi necessitas &c.* & in nostro casu necessitas esset, ad tollendam turbationem, vel scandalum in domo viri; & malum divini honoris læsivum juxta hujus loci scopum, non consideratur in eo, cui datur scandalum, sed in eo, qui ad jejunium servandum, scandali, seu spiritualis ruinæ occasionem alteri præberet.

Idem prosequitur, & concluditur argumentum.

XXV. Ad exemptionem similiter ex jurato jejunio inducendam, si jurato servato jejunio, scandalum oriretur, Regula illa 58. juris in 6. facit, dicens: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*; non quasi juramentum non obliget, sed quasi a juramenti ratione, a judicio scilicet, justitia, ac veritate deficiens, obligari pro particulari casu cessaret. Dictante igitur divino jure, sub quacunque ratione considerato, jejunium, aliudve opus; si jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, malum divini honoris læsivum per se impedire, vel repellere, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, etsi ex divino jure procedente, eximeretur.

Ad supernaturale bonum in seipso conser-

XXVI. Positio II. dictante divina lege, vel divino præcepto jejunium, aliudve opus; si jejunans, aliudve opus servans non posset, posset au-

autem non jejunans, aliudve opus non servans, supernaturale bonum prosequi, vel acquirere; tunc si ex illius supernaturalis boni privatione, vel omissione, malum divini honoris læsivum in se ipso exurgeret; non secus ac in superiori positione discussimus, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex divina lege, vel divino præcepto procedente, exemptio consurgeret. Idemque dicendum, si ex voto, vel juramento simplici, vel solemni, aut privato, vel publico respective ad jejunium, aliudve opus adstricto, ex supernaturalis boni privatione, seu omissione mali, periculum divini honoris læsivi immineret jejunanti, aliudve opus servanti, quod non jejunanti, aliudve opus non servanti, non immineret; tunc enim ut supra, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex voto, vel juramento &c. procedente, exemptio consurgeret.

servandum, vel acquirendum, dictante divino jure jejunium, an ab hujusmodi jejunio consurgere possit exemptio, discutitur, ac resolvitur.

XXVII. Et quia inter divina præcepta, in eorum concursu servatu impossibilia, illud præferri debet, quod est alio certius, universalius, ac majoris mali impeditivum; inde ex divina lege, vel divino præcepto, ad jejunium, aliudve opus adstrictus, in concursu duorum præceptorum divinorum servatu impossibili, illud in servando, vel non servando opere implere debet, quod est certius, universalius, ac majoris mali impeditivum. Unde si jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, malum, divini honoris læsivum, in se ipso impedire, ab hujusmodi jejunio, aliove opere eximeretur; contra vero, si ipso jejunante, aliudve opus servante, malum divini honoris læsivum in ipso impediretur, quod non impediretur, ipso non jejunante, aliudve opus non servante, utique ab hujusmodi jejunio, aliove opere exemptio non consurgeret.

Idem prosequitur argumentum.

Idem prosequitur argumentum.

XXVIII. Et quia divina lex, vel divinum præceptum voto, vel juramento certius est, universalius, ac majoris mali impeditivum; inde in concursu divinæ legis, vel divini præcepti, jejunium, aliudve opus dictantis, cum voto, vel juramento sub alia materia servatu impossibili, tunc ab illa re vota, vel jurata, secus vero a jejunio, aliove opere, ex divina lege, vel divino præcepto procedente, oriretur exemptio. Quod si divina lex, vel divinum præceptum, sive votum, vel juramentum simplex, vel solemne, seu privatum, aut publicum respective, jejunium, aliudve opus dictans, supernaturale bonum impediret, seu cum tali supernaturali bono conservando, vel acquirendo servatu possibile non esset, cujus cæteroquin supernaturalis boni privatio, seu amissio, sive omissio nec malum divini honoris læsivum, nec alicujus divini præcepti transgressionem traheret; & tunc, ne hujusmodi supernaturali bono, cum jejunio, aliove opere, ex divino jure in sensu exposito procedente, servatu impossibili, privaretur, divino jure ad aliud adstrictus, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, sub quacunque ratione ex divino jure procedente, exemptio non consurgeret. Cum enim jejunio, aliove opere, ex divino jure procedente, servato, nulla sequeretur divini juris transgressio, tunc certiori existente divina lege, vel divino præcepto, aut voto, vel juramento, ad jejunium, aliudve opus adstringente, quod certe supernaturale bonum est; aliud autem supernaturale bonum, cujus transgressio ex jejunii, aliusve operis observatione sequeretur, nullo modo præceptum intelligatur; inde in casu posito ab illo supernaturali bono non præcepto, secus vero ab illo jejunio, aliove opere, ex divino jure procedente, oriretur exemptio.

XXIX. Et quia in divino jure illud magis obligat, quod prius voluntatem ligat, ac prævenit, divina autem lex, ac divinum præceptum hominis voluntatem prius ligant, ac præveniunt, quam vota, vel juramenta; inde divina lex, vel divina præcepta magis obligant quam vota, vel juramenta. Unde necessario sequitur, quod inter divinum jus sub ratione divinæ legis, vel divini præcepti, ac divinum jus, ex hominum voluntate assumptum, qualis est ex voto, vel juramento contracta obligatio, servatu simul impossibile, magis obligat, quod ex divina lege, vel divino præcepto oritur, quam illud, quod ex voto, vel juramento procedit. Unde sicuti in concursu divinæ legis, vel divini præcepti, ac voti, vel juramenti, servatu impossibili, a re vota, vel jurata oriretur exemptio, ita, etsi votum magis obliget, quam juramentum, ut part. 1. cap. 1. n 32. discussimus, si tamen humana voluntas ad jejunium, aliudve opus juramento se prius adstrinxerit, quam ad aliam rem per votum; in concursu servatu impossibili, non a re jurata, sed a re vota oriretur exemptio; vel saltem si res vota dilationem pateretur, ad hanc non constringeretur, nisi, in concursu servatu impossibili, res jurata prius impleretur. Idem prosequitur argumentum.

XXX. Id autem inter anteriorem divinam legem, ac divinum anterius præceptum respectu posterioris divinæ legis, vel posterioris divini præcepti, cum anteriori servatu impossibilis, non contingit. Unde si anteriori divinæ legi, vel divino præcepto alia divina lex, aliudve divinum præceptum succederet, ad aliquid agendum, cum priori divina lege, vel divino præcepto servatu impossibile; tunc a jejunio, aliove opere a priori divina lege, vel priori divino præcepto procedente, exemptio consurgeret; ad opus autem ex posteriori divina le- Idem prosequitur argumentum.

lege, vel divino præcepto procedens, consurgeret obligatio. Quod autem dictum est, ac in similibus dici poterit; non eo sensu intelligitur, quasi voluntas priori lege ligata remanens, ad illam servandam non constringatur; sed potius quia per posteriorem divinam legem, ac posterius divinum præceptum, cum priori divina lege, vel præcepto servatu impossibile, a priori divinæ legis, vel divini præcepti dictamine exempta intelligitur.

Idem prosequitur, & concluditur argumentum.

XXXI. Unde concluditur, quod ex divino jure, sive scilicet, ex divina lege, vel divino præcepto, ad jejunium, aliudve opus adstrictus, per posteriorem divinam legem, vel divinum præceptum, ad aliquid adstringens, cum prædicto jejunio, aliove opere servatu impossibile, non a re per posteriorem legem, vel per posterius præceptum indicta, sed a prædicto jejunio, aliove opere in sensu exposito ex divino jure procedente eximeretur. Contra vero in concursu jejunii, aliusve operis, prius voti, vel jurati, cum re postmodum vota, vel jurata servatu impossibili, non a jejunio, aliove opere prius voto, vel jurato, sed a re posterius vota, vel jurata oriretur exemptio; vel saltem si res posterius vota, vel jurata dilationem pateretur, apto tempore vel servari deberet, vel in aliud opus commutandi obligatio consurgeret, disparitas est, quia lex, vel præceptum, certius & universalius, ac majoris mali impeditivum, voluntatem præveniens semper intelligitur; propter quod posterior divina lex, vel posterius divinum præceptum, nedum priori divinæ legi, vel priori divino præcepto; verum & priori rei votæ, vel juratæ, cujus obligatio ex humana voluntate assumpta ex divino jure procedit, semper præferri intelligitur. Unde a jejunio, aliove opere, ex divino jure sub quacunque ratione considerato, sive scilicet ex divina lege, vel di-

divino præcepto, five ex voto, vel juramento procedente, cum posteriori divina lege, vel divino præcepto servatu impossibili, semper exorta intelligitur exemptio: contra vero quia posterius votum vel juramentum, anteriorem non prævenit voluntatem, sed potius per prius votum, vel juramentum ad aliud per posterius votum, vel juramentum servatu impossibile præventa, ac proinde impedita, & quasi incapax effecta intelligitur; inde per prius votum, vel juratum jejunium, aliudve opus ligata remanens voluntas, non ab hoc jejunio, aliove opere, prius voto, vel jurato, cum re posterius vota, vel jurata servatu impossibili, sed a re posterius vota, vel jurata, cum jejunio, aliove opere prius voto, vel jurato, servatu impossibili intelligitur exempta.

XXXII Positio III. dictante divina lege, vel divino præcepto jejunium, aliudve opus, & jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, naturale animæ, corporisve malum in seipso impedire, vel repellere; tunc ad illud naturale animæ, corporisve malum impediendum, vel repellendum, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex divina lege, vel divino præcepto procedente, eximeretur. Unde Christus Jesus, exprobrantibus pharisæis, quod discipuli ejus die sabbati spicas vellerent, & manducarent, eos ad famis malum in seipsis impediendum, legem non servantes atque ex necessitate spicas vellentes, & comedentes, non peccasse declarat Matt. 12. v. 3. dicens: *Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo* v. 4. *intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* alludit enim, quando David Saulis iram fugiens, profugus, ac famelicus, in ci-

Ad physicum animæ corporisve malum in seipso impediendum, dictante divino jure jejunium, an ab hujusmodi jejunio consurgere possit exemptio, discutitur, ac resolvitur.

civitatem Nobe, ad Achimelech facerdotem perrexit, qui non habens nisi sanctificatos panes, propositionis panes illi dedit, ut dicitur 1. Reg. 21. v. 6. *Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie domini, ut ponerentur panes calidi.*

Idem prosequitur argumentum.

XXXIII. At quid dicendum, si non jejunans, aliudve opus, ex divina lege vel divino præcepto, ad naturale malum in seipso vitandum, procedens, non servans scandalum, ac præsertim in religionis, vel Ecclesiasticæ potestatis contemptum generaret? Quoad hoc autem videtur dicendum, quod, si gravissima esset necessitas, data occasione, & publica protestatione facta, ab hujusmodi jejunio oriretur exemptio, si secus fame perimi cogeretur: per illam enim publicam protestationem, ac per publicam assignatam rationem, evidentemque necessitatem scandalum ex parte comedentis tolleretur, neque esset activum: ex parte vero adstantium, sic rebus positis, si adhuc scandalum duraret, esset pharisaicum: ad quod tollendum non teneretur comedens. Ratio autem quare intrinsece illicitum sit illud comedere, quod in religionis, vel Ecclesiasticæ jurisdictionis contemptum comeditur, secus vero in nostra hypothesi, est; quia ex illa comestione, nulla urgente necessitate, adhibita, quasi religionem abjurare, vel Ecclesiasticam potestatem contemnere declararet comedens: si autem gravis esset comedendi necessitas, ac notoria; & comesturus, sic constitutus, se non in religionis, vel Ecclesiasticæ potestatis contemptum, sed ut suæ indigentiæ satisfaceret, comedere protestaretur, per hujusmodi protestationem, nullo modo Christianam religionem abjurare, vel Ecclesiasticam jurisdictionem contemnere, ex illa comestione declara-

ra-

raret: Non secus ac fingamus infidelem quemdam suæ legis, porcinam carnem prohibentis, rigidum exactorem, nostrum esse servum, & omni cibo subtracto, in suæ falsæ sectæ contemptum porcinam carnem ei præparare, ad illamque comedendam impellere, secus fame periturum; si ille sic constitutus, rationem daret, ac protestaretur se non ex suæ sectæ abjuratione, vel in ejus contemptum, sed, ut gravissimæ suæ indigentiæ satisfaceret, carnem porcinam comedere; quis ex nobis, aliisque adstantibus illum in suæ sectæ abjurationem, vel contemptum comedere judicaret? Ita in casu nostro: per illam enim publicam protestationem, ac notoriam necessitatem, quantum attinet ex parte comedentis, in casu posito omnis occasio scandali tollitur; quo sublato, cibus in sua natura remanens, etiam cum pharisaico aliorum scandalo in prædicta hypothesi comedenti licitus evadit. Unde ab hujusmodi jejunio, aliove opere, cum periculo pereundi servatu impossibili, ex divina lege, vel divino præcepto procedente oriretur exemptio. Idemque dicendum, si ex voto, vel juramento ad jejunium, aliudve opus adstrictus & jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, naturale animæ, corporisve malum in se impedire, vel repellere, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex divino licet jure, quasi ex voto, vel juramento procedente eximeretur: quod si non jejunans, aliudve opus non servans, ex voti, vel jurati operis notorietate scandalum generaret, data ratione, & publica protestatione facta, jejunium, aliudve opus servare non teneretur.

XXXIV. Non autem ignoramus multum inter doctores disceptari, sub qua ratione Carthusiensium Institutum de non comedenda carne etiam in vitæ pe- *Idem prosequitur argumentum.*

periculo intelligi debeat? Et an, eo posito instituto, seu praxi, liceat eo adstrictis in gravi vitæ periculo carnes comedere? Ad quod dissolvendum, discretio adhibenda est, quam adhibet Emus Petra tom. 1. in commentario constit. 3. Eugenii III. quæ incipit: *Quantum*, ubi plures citat diversorum Pontificum constitutiones, quæ Cruciatæ dictæ sunt; & tom 2. in comm. constitutionis, quæ incipit: *Audita* Gregorii VIII. & in comm. constit. 12. Innoc. III. quæ incipit: *Ad liberandum*, numero vero 15. in comm. const. VII. Alexandri III. quæ incipit: *Cum vos* quoad præsens sic habet: *Si vero quæstio procedat, an Carthusiensis teneatur in coscientia in tali vitæ periculo*, ad evitandam scilicet mortem, medicorum judicio discutiendo, *carnes sumere, distinguendum videtur, aut aliquod spirituale virtutis opus intendit, veluti ad conservandum religiosæ disciplinæ institutum, ne regula his relaxationibus paulatim tepescat, ad evitandum scandalum, & offensionem aliorum, & similia, & in hoc casu licite potest, sui mortem permittere non comedendo carnes*. Et n. 16. idem Emus sic pergit: *Hinc Græci in Quadragesima a carnibus abstinebant, etsi extremum agerent spiritum*. Tunc enim virtutis opus intendere idem esset, ac scandalum impedire; ad hoc autem, quatenus divini honoris læsivum, etiam cum mortis periculo, vel quocunque alio naturali malo postposito, quisque tenetur impedire, ut sæpe dictum est. Numero autem 17. sic prosequitur Emus Petra: *Aut vero nullum virtutis opus intendit: in hoc casu tenetur Carthusiensis ad evitandum mortis periculum comedere carnes; hoc enim casu maxime urget præceptum naturale tuendi vitam, nec regula, aut aliæ positivæ leges adstringunt cum vitæ discrimine*. Inde Abbas cap. *Si vero*, a Fagnano relatus in

in cap. *consilium* de observat. jejuniorum, dicit: *Si a peritis medicis diceretur, fratrem Carthusiensis Ordinis non posse aliter mortem evadere, nisi per esum carnium, non obstante regula, seu voto, deberet carnes comedere.* Non proinde tamen rigidæ abstinentiæ reprobare intendimus laudabile hoc, seu potius admirabile institutum; sed in concursu naturalis corporis mali, per peritos medicos dignoscendi, hujus admirabilis instituti alumnos ab ejus obligatione in sensu exposito relaxandos declaramus, ac sentimus. Unde prælaudatus Petra loc. cit. n. 18. sic habet: *Hinc elicitur non solum regulam Carthusiensium, sed etiam votum PP. Minimorum S. Francisci de Paula, quod est abstinentiæ nedum a carne, sed & ab ovis, caseo, butyro, & ab omni, quod a carne sementinam originem trahat, & aliorum, qui a carne tantum abstinent, esse laudabile, immo minori dubitatione; cum etiam permittatur cæteris usus carnium tempore infirmitatis; ideoque hic modus vivendi fuit etiam injunctus Monachis*, ut ex pluribus canonibus innotescit, & videri poterit cap. *Cum ad monasterium* de statu Monachorum, ubi Innoc. III. etsi Monachis carnes prohibuerit, infirmos tamen, ac debiles excepit. Et venerabilis Beda, relatus de Regulis juris cap. *Quod non est* sic habet: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum; nam & sabbatum custodiri præceptum est: Machabæi tamen* experientia ducti 1. Mach. 2. v. 38. *sine culpa sua in sabbato pugnabant* v. 41. & infert ibidem: *sic & hodie, siquis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.* Et plurima alia adduci poterunt ex divinis eloquiis monumenta, in quibus divinum jus, cum naturali vitando malo servatu impossibile, non obligare dignoscitur.

Idem prosequitur, & concluditur argumentum.

XXXV. Cujus rei rationem assignare volens Angelicus, in sua 22. q. 88. art. 2. ad 3. sic procedit. *Maceratio proprii corporis, puta, per vigilias, & jejunia, non est deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis: quod quidem est, in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrænetur, & natura non nimis gravetur. Et sub tali tenore possunt hujusmodi sub voto cadere*. Unde Apostolus postquam Rom. 12. v. 1. dixerat. *obsecro itaque vos fratres, per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, deo placentem*, subjungit: *rationabile obsequium vestrum*. Cujus vim perspiciens Fagnanus, cap. *Consilium* de observat. jejuniorum n.7.quoad præsens sic concludit. *Unde conclusio est, juramentum, & votum non esse servandum, cum sine interitu salutis corporalis servari non potest*. Similiter & nos cum eodem Fagnano, cum divo Thoma, cum sapientioribus, ac vere Theologis, naturale, divinumque jus bene callentibus, absolute concludimus, quod jejunio, aliove opere, ex divino jure, sub quacunque ratione considerato, sive scilicet ex divina lege, vel divino præcepto; sive ex voto, vel juramento, simplici, vel solemni, privato, vel publico respective procedente, ligatus, cum naturali impediendo, vel repellendo corporis malo servatu impossibili. jejunii aliusve operis, ex divino licet jure, sub quacunque ratione procedentis, omissionem eligere potius debet, quam jejunio, aliove opere servato, naturalis animæ, corporisve mali, sive mortis, sive salutis subire discrimen. Unde in concursu jejunii, aliusve operis, ex divino jure procedentis, cum naturali mortis, vel salutis vitando malo servatu impossibilis; ab hujusmodi je-

jejunio, aliove opere, ex divino licet jure procedente, oriretur exemptio.

XXXVI. Positio IV. dictante divina lege, vel divino præcepto jejunium, aliudve opus; & jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, naturale animæ, corporisve bonum prosequi, vel acquirere. Tunc, si ex naturalis animæ, corporisve boni privatione, seu amissione naturale animæ, corporisve malum sequeretur, non secus ac supra, ab hujusmodi jejunio, aliove opere exemptio consurgeret; quod si non sequeretur, & tunc ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex divina lege, vel divino præcepto procedente, non oriretur exemptio.

Ad naturale bonum in seipso conservandum dictante divino jure jejunium, aliudve opus, an ab hujusmodi opere oriatur exemptio, discutitur, ac resolvitur.

XXXVII. Non absimiliter: Si jejunium, aliudve opus, ex voto, vel juramento, simplici, vel solemni, privato, aut publico respective procedens, servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, naturale animæ, corporisve bonum prosequi, vel acquirere; & tunc si ex naturalis animæ, corporisve boni privatione, seu omissione naturale animæ, corporisve malum sequeretur; non aliter ac supra, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex voto, vel juramento procedente, eximeretur; quod si non sequeretur; & tunc ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex voto, vel juramento procedente, non oriretur exemptio. Unde Emus Petra tom. 2. in commentario constitut. 7. Alexandri III. quæ incipit: *Cum vos*: quoad Carthusienses n. 15. sic ratiocinatur: *Aut agitur, an possit cogi ad observantiam*, non comedendi scilicet carnes in vitæ discrimine, *& videtur negative, si verum, & probabile sit periculum .. & sic vero existente dubio mali imminentis, possunt uti carnibus*; & notandum quod se-

Idem prosequitur argumentum.

ſequitur. *Hæc autem neceſſitas debet eſſe ſpecialis ad vitandam mortem, non pure ad ſublevandum ægrotum, vel citius ſanandum, & de hoc ſtandum judicio medicorum.* Etſi igitur ad naturale animæ, corporisve malum vitandum, repellendum, impediendum, a prædicto jejunio, aliove opere ex voto, vel juramento procedente oriretur exemptio; ad naturale vero animæ, corporiſve bonum conſervandum, vel acquirendum, a prædicto jejunio, aliove opere exemptio non conſurgeret, niſi naturalis mali ſequeretur periculum.

Ad externa hominis bona, in ſeipſo conſervanda, dictante divino jure jejunium, an ab hujuſmodi jejunio conſurgere poſſit exemptio, diſcutitur, ac reſolvitur.

XXXVIII. Poſitio V. dictante divina lege, vel divino præcepto jejunium, aliudve opus, vel ex voto, aut juramento, ſimplici, vel ſolemni, privato, vel publico reſpective procedens; & jejunans, aliudve opus ſervans, non poſſet, poſſet autem non jejunans, aliudve opus non ſervans externa hominis bona ſibi conſervare, vel acquirere; tunc ad hæc conſervanda, vel acquirenda, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex divina lege, vel divino præcepto procedente, ſecundum ſe non eximeretur. Quod ſi ex externorum bonorum privatione, vel amiſſione, malum divini onoris læſivum; vel ſupernaturalis boni privatio, vel amiſſio; vel naturale animæ, corporiſve malum; vel phyſici animæ, corporiſve boni privatio, ſeu amiſſio ſequeretur; & tunc ferme eadem erit reſpective ſolutio, ac in ſuperioribus nuper expoſitis poſitionibus 1. 2. 3. & 4. exagitata, ac diſcuſſa.

An ex prædictis in alterius favorem exurgere poſſit exemptio, proponitur,

XXXIX. Diſcutiendum hic eſſet, an a jejunio, vel aliqua ejus conditione ex aliqua ex prædictis divini juris rationibus procedente, in alterius favorem exurgere poſſit exemptio? pro hujus autem ſolutione videtur dicendum, quod cum charitas prout præcepti finis eſt, ſit cæterarum vir-

virtutum regula, etiam justitiæ, ac religionis regula dici debet. Cum charitatis igitur erga seipsum detrimento nullo modo in alterius favorem a divino jure, sub quacunque ratione considerato in illo uno oriretur exemptio. Contra vero si necessariæ charitatis ratio in altero militet, vel ad malum scilicet ab illo avertendum, vel ad necessarium bonum prosequendum vel acquirendum; & ille unus tanquam necessarium medium, in alterius favorem dignoscatur; & tunc si ille unus sub eadem, vel majori necessitate constitutus non sit, juxta charitatis regulas a jejunio, aliove opere, a divino jure procedente eximeretur. Quod sane non sic intelligitur quasi a divino jure eximi, sed potius declarari, pro illo casu divinum jus non subsistere, vel potius in charitatis opus in favorem alterius commutari.

ac generalis regula designatur.

§. III.

Jejuniorum, ex humano jure procedentium sub qua ratione contingere, vel non contingere possit exemptio, per quinque positiones discutitur ac resolvitur.

XL. In hoc §. id unum explicandum suscipimus, an scilicet, quando, & quomodo jejuniis, aliisve operibus, ex humano jure procedentibus, exemptionisque motivis in eodem uno concurrentibus, ab hujusmodi jejuniis, aliisve operibus in eodem uno consurgere possit exemptio?

Hujus §. intelligentia proponitur.

XLI. Positio I. dictante universalis Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto; vel diœcesis lege; aut legitima consuetudine; vel Episcopi, aut confessarii præcepto, vel directoris consilio, ad jejunium aliudve opus; & jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliud-

Dictante humano jure jejunium aliudve opus, an ad malum divini honoris læsivum

in seipso impediendum, ab hujusmodi opere oriri possit exemptio, discutitur ac resolvitur.

aliudve opus non servans, malum divini honoris læsivum in seipso impedire, vel repellere; tunc ab hujusmodi jejunio, aliove opere exemptio consurgeret, dicente Ap. Gal. 5. v. 23. *Adversus hujusmodi non est lex*. Unde si unus conjux jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, ab incontinentiæ periculo per debiti petionem, ejusve solutionem seipsum liberare; & tunc ad malum divini honoris læsivum in seipso impediendum, vel repellendum, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, cum debiti petione, vel solutione servatu impossibili, oriretur exemptio.

Idem roboratur argumentum.

XLII. Etsi enim Joel. 2. v. 16. jejunium annuntians Tribui Juda, dicat: *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo*; & Apostolorum Princeps ita conjugii opus permittat, Ep. 1. 3. v. 7. *ut non impediantur orationes vestræ*; id tamen non eo sensu intelligitur, ut cum peccati periculo religionis operibus vacare conjuges teneantur; quod non obscure ex Apostolo 1. Cor. 7. v. 3. eruitur, dicente: *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro* & v. 4. *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: Et v. 5. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. Ita enim Apostolus orationis ergo conjugibus continentiam insinuat, ut cum incontinentiæ periculo religionis actus non intendat. Idemque quoad aliorum peccatorum pericula dicendum est; Unde Angelicus in sua 22. q. 33. art. 2. c. sub alio licet respectu sic ratiocinatur: *Præcepta negativa obligant semper, & ad semper*

sed

sed actus virtutum non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc, quod sit actus virtuosus: ut scilicet fiat, ubi debet, & quando debet, & secundum quod debet. Si igitur negativa præcepta quoad eorum negationem positivis divinis præceptis præferri debent, quanto magis eadem divini juris negativa præcepta positivis humani juris præceptis præferri debere censendum est? Qui igitur jejunium, aliudve opus, ex humano jure, ex universali nempe Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto, vel diœcesis lege, aut probata consuetudine, vel Episcopi præcepto procedens, servans non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, malum divini honoris læsivum in se impedire, vel repellere; in concursu jejunii aliusve operis servandi, ac malum divini honoris læsivum in seipso impediendi, vel repellendi, servatu impossibili, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex humano jure procedente, oriretur exemptio.

XLIII. Quoad jejunia autem, aliave opera, a confessario imposita, non nisi cum peccati periculo servanda, non absolute exemptio, sed commutationis occasio oritura dignoscitur. Qui igitur jejunium, aliudve opus, a confessario impositum, servaturus, non posset, posset autem non jejunaturus, aliudve opus non servaturus, malum divini honoris læsivum in se impedire, vel repellere; tunc, etsi in concursu jejunii, aliusve operis, a confessario impositi, servandi, ac mali divini honoris læsivi impediendi, servatu impossibili, ab hujusmodi jejunio, aliove opere eximeretur pœnitens, illud tamen in aliud salutare opus commutandi necessitas emergeret. *Idem extenditur cum discretione argumentum*

XLIV. Positio II. dictante humano jure jejunium, aliudve opus; & jejunans, aliudve opus ser- *Ad supernaturale bonum, in*

seipso conservandum, jejunium dictante humano jure, an ab hujusmodi jejunio consurgere possit exemptio, discutitur, ac resolvitur.

servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, supernaturale bonum in seipso conservare, vel acquirere; & tunc in concursu jejunii, aliusve operis, ex humano jure ex universalis nempe Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto, vel consuetudine: vel diœcesis lege, vel Episcopi, aut confessarii præcepto, procedentis, ac supernaturalis boni, non præcepti, sed ex placito conservandi, vel acquirendi, servatu impossibili, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex humano jure procedente, non orire-tur exemptio. Supernaturale namque bonum præceptum magis obligat, quam non præceptum. Unde in concursu servatu impossibili jejunium, aliudve opus ex humano jure procedens, ad sui observantiam magis obligaret, immo simpliciter conscientiam constringeret, quam aliud supernaturale opus ex placito electum; unde magis obligaretur homo ad prædictum jejunium, aliudve opus ex humano jure præceptum, quam ad peregrinationem, etsi ex supernaturali fine, libere tamen suscipiendam. In sensu igitur exposito, ab hujusmodi jejunio, aliove opere *secundum se*, non oriretur exemptio.

Idem prosequitur argumentum

XLV. Non casu dictum est, *secundum se*; si enim illius supernaturalis boni privatio, seu amissio aliud secum traheret; & tunc juxta mala, quæ induceret, vel bona, quæ impediret, alia assignanda erit solutio. Unde si ex illius supernaturalis boni privatione malum divini honoris læsivum in ipso sequeretur, tunc, ut in posit. 1. n. 40. diximus, ab hujusmodi jejunio, aliove opere ex humano jure procedente oriretur exemptio. Huc facit, quod dicit s. Antoninus in summa, part. 2. Tit. 6. cap. 2. §. 5. Ricardi opinionem referens: *Ricar. in 4. dicit: quod si necessitas immineat statim peregrinandi.., vel propter aliquod,* *ne-*

necessariam ad vitam spiritualem, cum quibus laboribus non potest jejunare, non obligatur talis ad jejunium. Non enim bonum, ad spiritualem vitam necessarium, cum prædicto jejunio servatu impossibile, relinqui, sed potius jejunii omissio eligi debet; & rationem assignans, sic pergit: *Quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, per hoc impedire alias magis pias, & necessarias causas*. Idemque sentiens Angelicus, 22. q. 147. art. 4. ad 3. sic procedit: *Si peregrinatio, & operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda; si autem immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas diætas faciendi, vel etiam multum laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, & simul cum hoc non possunt jejunia Ecclesiæ observari, non obligatur homo ad jejunandum: quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ, statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas*. Cujus rei intrinsecam assignans rationem, loc. cit. ad 1. sic procedit. *Præcepta dei sunt præcepta juris naturalis, quæ secundum se sunt de necessitate salutis, sed statuta Ecclesiæ sunt de his, quæ non per se sunt de necessitate salutis, sed solum ex institutione Ecclesiæ. Et ideo possunt esse aliqua impedimenta, propter quæ aliqui ad observanda jejunia hujusmodi non tenentur*. Unde si supernaturale bonum ad spiritualem salutem necessarium judicetur, cum jejunio, aliove opere, ex humano jure procedente servatu impossibile, non ab hoc supernaturali bono conservando, vel acquirendo, sed potius ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex humano licet ju-

jure procedente, oriretur exemptio. Quoad jejunium autem, aliudve opus, a confessario impositum etiam juxta hypothesim non absoluta exemptio, sed commutationis onus exurgeret.

Ad physicum malum, in seipso impediendum an dictante jejunium humano jure, ab hujusmodi jejunio consurgere possit exemptio, discutiendum, suscipimus.

XLVI. Positio III. dictante universalis Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto, vel particularis diœcesis lege, vel probata consuetudine, sive Episcopi, aut confessarii præcepto jejunium, aliudve opus; & jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, naturale animæ, corporisve malum in se impedire, vel repellere; tunc ad naturale animæ, corporisve malum in se impediendum, vel repellendum, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ab humano jure, sub quacunque ratione procedente, consurgeret exemptio. Et quia ex jejunio, aliove opere notabile incommodum, quantum ad naturale animæ corporisve malum; ad quinque capita reducitur, quæ sunt infirmitas; ætas; labor; paupertas; vel ciborum defectus; idcirco has quinque causas exagitare, plurimisque doctrinis confirmare, ac demonstrare placet. Cujus exemptionis ordinem juxta ea, quæ cap. 3. diximus, intelligi oportet.

Et I. Ad impediendam, vel auferendam infirmitatem, a jejunio, aliove humani juris opere consurgat exemptio, discutitur, ac resolvitur.

XLVII. Prima igitur exemptionis ratio, ad hanc tertiam positionem pertinens, infirmitas est, quæ si talis sit, ut servatis Ecclesiæ jejuniis, aliisve ex humano jure procedentibus operibus, impediri, vel auferri non posset, ad eam impediendam, vel auferendam, a jejuniis, aliisve operibus, ex humano jure procedentibus, consurgeret exemptio. Unde Navarrus in suo manuali cap. 21. n. 16. inter alios, illos excusat, qui unica comestione non possunt tantum comedere, quantum naturæ sufficeret, dicens: *Eadem*, causa, *excusat infirmos*, *non valentes*, *vel non debentes simul tantum comedere*, *quantum* co-

eorum saluti satisfaciat. Et S. Vincentius Ferrerius in edit. Augustæ Vindelic. an. 1729. serm. 1. feriæ IV. Cinerum de pœnit. sic habet. *Tertio infirmi excusantur non tamen de omni infirmitate, sed solum illius, quæ aufert appetitum comedendi, nec possent semel recipere unam bonam refectionem; nam podagra, vulnus, & hujusmodi infirmitates, quæ non perturbant appetitum, & de gutta, quæ venit propter excessum cibi & potus, &c: non excusant hominem. Et ideo* secundum Guilielmum *in hoc standum est arbitrio boni viri*. Idem sentit d. Antoninus in summa part. 2. tit 6. cap. 2. §. 6. dicens: Sexto excusantur, *etiam infirmi, & debiles, sed pro qua infirmitate, vel quanta debilitate excusentur, arbitrio boni viri statur. Et si quidem fuerit manifesta causa necessitatis, vel evidens quævis infirmitas, non est necessarium petere dispensationem secundum Guilielmum, & præsertim consuetudine sic se habente secundum Thomam*.

XLVIII. Ad infirmitatem revocat Navarrus complexionem illam, quæ ad impediendam vertiginem, vel capitis dolorem, passim, & modica indiget comestione. Unde in suo manuali cap. 21. n. 16. sic habet: *Eos item, qui tam infirmæ sunt complexione ut vacuo, stomacho, capitis dolorem, vel vertiginem patiantur, aut tota nocte calere, vel dormire, nequeant*, ab unica scilicet comestione multos excusat, ac prout eorum necessitas exegerit, plures permittit refectiones.

Idem prosequ tur explicandum.

XLIX. Quoad prægnantes autem, & lactantes, divus Antoninus loc. cit. sic habet: Quinto *prægnantes, & lactantes, si debilitas impedit eas, vel si ex hoc timetur de periculo earum, aut abortus, vel defectus alimenti pueri, excusantur a jejunio, immo deberent dimittere jejunium*. Et Navarrus in suo manuali cap. 21. n. 16. sic habet: *Eadem etiam*, causa, scilicet impotentia,

Idem quoad prægnantes, & lactantes prosequitur argumentum.

mu-

mulieres gravidas, & nutrices excusat; quippe quas non solum sibi, sed etiam aliis edere oportet, & ita una comestio eis non sufficit. Et subjungit. *Immo peccarent, nisi ita robustæ essent, ut una comestione sibi, & infantibus sufficere possent.* Et S. Vincentius Ferrerius serm. 1. fer. 4. can. de pœnit. quærens, quinam a jejunio eximantur, *Respondeo*, inquit, *quod multæ personæ excusantur; quia nec deus, nec sancta mater Ecclesia intendit aliquem obligare ad impossibile, vel periculum personæ.* Et protestatur, quod ex Theologiæ doctoribus epilogavit octo personarum conditiones, a jejunio excipi, quas inter quoad præsens sic habet: *Et primo excipiuntur mulieres prægnantes, quia tales habent providere duabus personis, sibi ipsis, & filio, vel filiæ, quia, si jejunarent, creatura in utero existens, nimis posset debilitari, & non diu vivere; ideo possunt cœnare sine peccato*; immediate tamen subdit: *sed si mulier est bene complexionata & bene fortis, potest aliquando jejunare.* Et pergit: *Secundo excusantur mulieres lactantes ex eadem ratione, qua supra.* Idem docet Caetanus 22. q. 147. ar. 4. dicens: *De prægnantibus, ac lactantibus dicitur, quod, nisi sint mulieres adeo robustæ naturæ, ut unica comestione possint tantum alimenti sumere, & digerere, quod sat sit pro se, & fetu, seu prole, non tenentur ad jejunium, immo peccarent jejunando propter nocumentum prolis, communiter autem mulieres non sunt tam robustæ naturæ: propter quod concludendum est, quod secundum legem, quæ fit, ut in pluribus, appellatione potentium jejunare, non veniunt mulieres prægnantes, aut lactantes. Et sic sub lege illa: omnes potentes jejunare, jejunent &c. non comprehenduntur.*

Prædictorum ratio ex natura

L. Quia enim jejunii forma ab Ecclesia præscribitur, quæ sane cum notabili incommodo præ-

Ecclesiastici præcepti assignatur.

præcipere non solet, nec potest; inde, etiamsi ex jejunio, aliove opere, ex humano jure procedente, vitæ periculum non immineret; adhuc tamen ex notabili incommodo nemo ad illud teneretur. Notabile autem incommodum contra naturale-divinum præceptum esset, quo unicuique nedum vitam conservare, verum & ad eam conservandam, media, ejusdem conservationi necessaria, adhibere præcipitur, naturæ, vel salutis detrimentum, humani juris opus implendo, experiri. Unde, etiamsi jejunium, aliudve opus ex humano jure procedens, implere, in his, illisve personis mortem non induceret; si tamen vitæ, vel salutis conservandæ mediis opponeretur, in talibus ab hujusmodi jejunio, alioye opere, ex humano jure procedente, oriretur exemptio: non quidem ab omni jejunii conditione, sed ab ea, illisve, vel etiam ab omnibus jejunii conditionibus, prout uniuscujusque pensatis personarum incommodis, quin & modo ab una, modo ab alia, prout urgeret necessitas, exemptio consurgeret. Cujus rei discretionem advertens Zacchias, in suis quæst. medico-legalibus lib. 5. Tit. 1. q. 5. n. 8. sic habet. *Non enim quivis morbus a quavis jejunii conditione excusare debet indifferenter; sed alter quidem ab esu carnium, alter ab esu tantum ovorum, non carnium, alter ab unitate comestionis, alter ab hora refectionis, alter ab omnibus simul immunem reddere hominem potest*. Unde e. g. dormire impotens sine prandio, non proinde ab omni jejunii conditione, quin etiam nec ab una comestione eximeretur; sed prius tentare deberet, an per jejunii inversionem, in meridio scilicet sumens refectionem, ac sero comedens, suæ indigentiæ satisfaceret, vel alio modo se eximere, prout exemptionis ordinem, cap. 3. servandum, proposuimus,

LI,

Idem prosequitur argumentum.

LI. Nec proinde audiendi ſunt, qui dicerent, tales, nedum in meridie juxta communem uſum, verum & ſero propter ſomni neceſſitatem prandere poſſe; quia, dicunt incauti homines, jus habent tales comedendi in meridie juxta communem uſum, ab Eccleſia receptum, ſero vero propter neceſſitatem: horum enim ratiocinatio non ſubſiſtit: Cum enim unusquiſque ad ſervandum jejunium, aliudve opus ab Eccleſia præſcriptum, teneatur, debet, quantum poterit, ſuam voluntatem Eccleſiæ præcepto ſubjicere. Non faceret autem, quantum poterit, nec ſuam voluntatem Eccleſiæ præcepto ſubjiceret, ſi in meridie refectionem ſumens, ac ſero comedens, ſuæ indigentiæ ſatisfaceret, ipſe tamen in meridie, ac ſero comedere voluerit. Inde in caſu poſito non ab unica comeſtione, ſed ab ejus ordine ſervando exemptio conſurgeret. vide cap. 3.

Exemptionis ratio ſub eadem conſideratione ulterius diſcutitur, ac reſolvitur.

LII. Exemptionis autem rationes introſpiciens cardinalis Turrecremata, de conſecr. diſt. 5. can. *Non mediocriter*, ac diſquirens, in quibus caſibus non ſit laudabile jejunium, ex Angelico ſic habet: *Jejunare non eſt laudabile, maxime in tribus caſibus, qui tanguntur in littera præſentis capitis. Primum eſt, quando per jejunium ſubtrahitur id, quod eſt neceſſarium naturæ; hoc enim non licet, ſicut nec interimere ſeipſum. Secundum eſt, quando per jejunium ſubtrahitur id, quod eſt neceſſarium ad convaletudinem corporis ſervandam, habito reſpectu ad ea, quæ incumbunt officio ex ſocietate eorum, quibus homo convivit, neceſſario agenda, ſicut cum quis tantum jejunat, ut lectioni pſalmodiæ, ac officiis communibus redditur impotens, ſive ab aliis operibus impeditur, ad quæ obligatur. Tertius caſus eſt, cum tanta abſtinentia obſervatur in jejunio, ut homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis*

ad

ad ea ex necessitate non teneatur; indiscretum est enim tale jejunium, etsi non sit illicitum. Quorum omnium ratio est, quia jejunium qua tale nullo modo præcipi intelligitur, nisi sub ratione virtutis. Ubi ergo a virtutis ratione deficere invenitur sub ratione præcepti non intelligitur. Sicut igitur a ratione virtutis jejunium deficeret, siquis plus comederet, quam natura exigeret, & Ecclesia permittit; ita a virtutis ratione deficeret, siquis minus comederet, quam pro sui sustentatione naturale jus requireret. Nimia igitur abstinentia, naturæ nociva, ab Ecclesia non intenditur; immo, & reprobari intelligitur; præsertim si majori bono præferatur. Unde Hieronymus, relatus can. *Non mediocriter* de consecr. dist. 5. sic habet: *Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum. Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati, aut vigilias præfert sensus integritati ut propter abstinentiam immoderatam, atque indiscretam psalmorum, vel officiorum decantationem, aut amentiæ, aut tristitiæ notam incurrat?* Et pergit: *Audiant itaque qui ea, quæ necessaria sunt, corpori subtrahunt, illud, quod per prophetam*, scilicet Isaiam cap. 61. v. 8. *dominus loquitur: Ego dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto: de rapina vero holocaustorum offert, qui sive ciborum nimia egestate, vel somni penuria corpus immoderate affligit*.

LIII. Quod more suo discutiens Angelicus in sua 22. q. 141. art. 1. c. sic ratiocinatur: *Quia bonum . . . hominis est secundum rationem esse . . . Ideo virtus humana est, quæ inclinat ad id, quod est secundum rationem: Manifeste autem*, seu potius, ut veteres legunt, maxime autem, *ad hoc inclinat temperantia: nam in ejus nomine imper-* Prædicta doctrina, ex Angelico roboratur.

 ta-

tatur quædam moderatio, seu temperies, quam ratio facit. Et ad 1. sic eloquitur: Quia *natura inclinat ad id, quod est conveniens unicuique*, ideo *homo naturaliter appetit delectationem sibi convenientem. Et quia ... homo, in quantum hujusmodi, est rationalis, consequens est, quod delectationes sint homini convenientes, quæ sunt secundum rationem: & ab his non retrahit temperantia, sed potius ab his, quæ sunt contra rationem*.

Idem prosequitur ex Angelico explicandum.

LIV. Propius autem ad rem nostram accedens, ac temperantiæ regulam proponere volens, loc. cit. art. 6. c. sic procedit: *Bonum virtutis moralis præcipue consistit in ordine rationis. Nam bonum hominis est secundum rationem esse ... præcipuus autem ordo rationis consistit in hoc, quod aliqua in finem ordinat; & in hoc ordine maxime consistit bonum rationis; nam bonum habet rationem finis; & ipse finis est regula eorum, quæ sunt ad finem. Omnia autem delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem, sicut ad finem. Et ideo temperantia accipit necessitatem hujus vitæ, sicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vitæ requirit*. Et quia, ut eodem artic. ad 2. dicitur: *necessitas humanæ vitæ potest attendi dupliciter: uno modo secundum quod dicitur necessarium illud, sine quo res nullo modo potest esse, sicut cibus est necessarius animali; alio modo secundum quod dicitur necessarium illud, sine quo res non potest convenienter esse. Temperantia autem non solum attendit primam necessitatem, sed etiam secundam*; idcirco hujus vitæ necessitatem sub duplici ratione considerans, sic procedit: *Quædam enim sunt impedimenta sanitatis, vel bonæ habitudinis: & his temperatus nul-*

nullo modo utitur; hoc enim esset peccatum contra temperantiam. Quædam vero sunt quæ non sunt his impedimenta: & his moderate utitur pro loco, & tempore, & congruentia eorum, quibus convivit.

LV. Ex quibus juxta ea, quæ in eadem 22. q. 142. art. 1. c. proponit, sic ex eodem ratiocinari videor: *Siquis ergo in tantum delectationem refugeret, quod prætermitteret ea, quæ sunt necessaria ad conservationem naturæ, peccaret, quasi ordini naturali repugnans*; nec consequenter virtutem exerceret, quia *hoc* juxta eumdem *pertinet ad vitium insensibilitatis*. Ex eodem autem Angelico advertendum est, quod ibidem dicit: *Sciendum tamen, quod ab hujusmodi delectationibus, consequentibus hujusmodi operationes, quandoque laudabile, vel etiam necessarium est abstinere propter aliquem finem, sicut propter sanitatem corporalem aliqui abstinent a quibusdam delectationibus ciborum, potuum, & venereorum*, sub ea etiam ratione, sub qua in conjugali statu tamquam licitæ permittuntur, *& etiam propter alicujus officii executionem, sicut athletas, & milites necesse est a multis delectationibus abstinere, ut officium proprium exequantur; Et similiter pœnitentes ad recuperandam animæ sanitatem, abstinentia delectabilium, quasi quadam diæta utuntur; & homines volentes contemplationi, & rebus divinis vacare, oportet, quod se magis a carnalibus desideriis abstrahant. Nec aliquid prædictorum ad insensibilitatis vitium pertinet, quia sunt secundum rationem rectam.* Idem prosequitur argumentum.

LVI. Ideo autem ad supernaturale virtutis bonum, vel etiam ad honestum finem obtinendum, etiam naturæ detrimentum sustinens, a virtutis ratione non deficeret, quia hoc ipsum naturæ detrimentum a recta ratione procederet; non quidem Idem prosequitur, & concluditur argumentum.

sub ratione detrimenti, sic enim repugnaret potius quam congrueret, sed sub ratione medii ad utilem, vel necessarium, sive honestum finem consequendum. In servandis autem Ecclesiæ jejuniis, in quantum ab eadem præcipiuntur, secundum se virtutis ratio non daretur, si cum notabili naturæ detrimento servarentur. In servandis igitur Ecclesiæ jejuniis notabile detrimentum pati ex ejus mente non cogimur. Ab Ecclesiæ igitur jejuniis, non nisi cum notabili detrimento servandis, præterquam quod ex naturali jure, ac temperantiæ ratione, etiam ex ipsius Ecclesiæ mente exemptio consurgeret. Placet hic divi Basilii monitum subjicere, qui hom. I. de jejunio illorum excusationes confutans, quibus jejunare displicet, sic habet: *Ne causeris corporis infirmam valetudinem: ne dixeris, te jejunium ferre non posse. Neque enim mihi istas excusationes profers, sed... deo, quem nihil fugit. Age, dic mihi, jejunare non potes, & potes expleri eduliis? potes conficere corpus escarum pondere?* & subjungit: *Infirmis non variam ciborum copiam, sed inediam, & abstinentiam a medicis solere præscribi scio. Qui fit igitur, ut, cum ista possis, illa te non posse causeris?*

Et II. An ad ætatis mala impedienda, a jejunio, aliove opere, ex humano jure procedente consurgere possit exemptio, discutitur, ac resolvitur.

LVII. Explicatis infirmitatis rationibus, quæ ad exemptionem ab Ecclesiæ jejuniis, aliisve operibus ab humano jure procedentibus, inducendam, sufficere valeant, aliam, ad eamdem tertiam positionem, n. 46. positam, spectantem exemptionis rationem discutiendam, suscipimus, quæ sub ratione senectutis, seu ætatis exagitari solet. Ad quod intelligendum scire juvat sex hominis ætates, in proœmio sexti decretalium v. *Perfectus* lit. q. a Glossa propositas, quæ sic habet: *Prima enim ætas in homine est infantia, quæ durat usque ad VII. annum*; ab initio nempe nati-

tivitatis usque ad septimum ætatis annum completum. *Secunda* ætas est, *pueritia usque ad XII. vel XIV. annum*; in puellis nempe ad annum duodecimum completum; in pueris vero usque ad annum decimum quartum completum: ab initio scilicet octavi anni usque ad finem duodecimi, vel decimiquarti anni respective. *Tertia*, ætas est, *adolescientia usque ad XXV.* annum; ab initio scilicet anni decimitertii, vel decimiquinti respective usque ad anni finem vigesimi quinti. *Quarta* ætas est *juventus*, *vel virilis ætas usque ad* L. annum; ab initio nempe anni vigesimi sexti usque ad anni finem quinquagesimi: *Quinta* ætas est, *senectus usque ad LXX.* annum; ab initio scilicet anni quinquagesimi primi ad finem usque anni septuagesimi. *Sextas* ætas est, *ab inde*; *&* *dicitur senium*, *aliarum ætatum terminus*; ab initio scilicet anni septuagesimi primi, ac deinceps. Et quia de infantibus, puellis, ac pueris, nec non & adolescentibus relate ad jejuniorum obligationem part. 1. cap. 2. §. 3. satis discussimus, de juvenibus autem nihil speciale quoad præsens, sub ætatis ratione dicendum venit; inde in præsentiarum quæ de jejunio relate ad senes tantum dici poterunt, exagitare, ac discutere judicamus. Senectus autem ab Arist. de vita, & morte cap. 14. plantis comparatur, dicente: *Juventus est primæ refrigerativæ particulæ augmentatio*; *senectus autem hujus decrementum*. *Et quæ in plantis vocatur ariditas*, *in animalibus vocatur senectus*. Senectutis autem ætas in anno septuagesimo terminare multis videtur, illis innixis verbis ps. 89. v. 10. *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*. *Si autem in potentatibus octoginta anni*, quasi scilicet senii, ac vitæ terminus. Quia vero nos in toto hoc opere neque nostro, neque privatorum judicio innixi, sententiam proferre

sta-

ſtatuimus, ſed demonſtrativam, quantum res patitur, ferme in omnibus ſequuti methodum, non niſi cum ſolidioribus philoſophiæ principiis, vel dialecticis demonſtrationibus, aut catholicis veritatibus connexa ſententia, mentem noſtram aperire ſtuduimus; inde more ſolito altioribus principiis res iſta dijudicanda videtur.

Senectus juxta propoſitum, diſcutienda ſuſcipitur.

LVIII. Ut igitur ſolidiori fundamento procedamus, mulierum juventutem juxta Canonicas ſanctiones longius protrahi, quam ſupra ex Gloſſa retulimus, fateri oportet. Mulieres enim, ut ex can. *Juvenculas* 20. q. 1. innoteſcit, ante annum ſexageſimum juvenculæ appellantur: unde Gregorius, cujus verba in eodem Canone referuntur, ſic habet: *Juvenculas fieri Abbatiſſas vehementiſſime probibemus. Nullam igitur Fraternitas tua, niſi ſexagenariam virginem, cujus vita, hoc, atque mores exegerint, velari permittat.* Et Epiſt. 1. ad Tim. 5. v. 9. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum*. Et licet Gregorius, immo & Apoſtolus ſexagenariam indicentes ætatem, non juventutem in mulieribus uſque ad annum ſexageſimum perdurare declaraverint, ſed in ſexagenaria ætate eligendam indixerint, in qua omnis ſenſualitatis æſtus, nec non & generationis ſpes evanuerit, ne cum Eccleſiæ dedecore munus ſuum relinquere, vel cum ſui, aliorumque periculo exercere contingat; certiorem proinde quoad hoc ſententiam eligentes, potius in ſexageſimo anno juventutem in fæminis deſinere, atque ut plurimum a ſexageſimo anno in mulieribus ſenectutem incipere intellexiſſe videantur; quia tamen ſenectus proprie in defectu augmenti conſiſtit; illi autem mulieri, quæ per generationem naturam aliis communicat, non adhuc quoad totum augmenti defectus adveniſſe dignoſcitur; inde ea ætas ju-

juventus dici poterit, in qua natura aliis per generationem communicatur; senilis vero ætas ea intelligitur, in qua corpus suam naturam alteri per generationem communicandi incapax existit. Quia igitur mulieres usque ad annum quadragesimum quintum, mares autem usque ad annum sexagesimum quintum ut plurimum generare solent; gignendi autem terminus in mulieribus annus quinquagesimus est, in maribus vero septuagesimus, dicente Arist.lib.5.de historia animalium cap. 14. *Mulier usque ad quinquagesimum potest generare; verum id raro; paucis enim proles in eo ætatis tempore procreata est, sed magna ex parte maribus quintus & saxagesimus annus finis progenerandi est, fæminis quintus & quadragesimus*; inde postquam retulerit ad quam usque ætatem generare soleant homines; refert, postea in qua ætate generare ut plurimum desinant, lib. 7. Politic. cap. 16. dicens: *Finis gignendi ut plurimum viris est septuagesimus annus, mulieribus autem quinquagesimus*. Nec casu dixit: *ut plurimum*, quia, ut lib. 7. hist. animal. cap. 6. refert, septuagenarios generasse patet. Unde a Plinio lib. 7. naturalis historiæ cap. 14. de Cornelia e Scipionum familia refertur, quod post sexagesimum secundum annum Volusium Saturnum pepererit; & aliæ observationes quoad hoc a peritis enarrantur; quæ per naturæ excessum, sive per miraculum, generalem doctrinam non infringunt. Unde & idem Philosophus, pensata naturæ varietate, lib. 7. de historia animalium cap. 6. in princ. sic habet: *Mares plurimi ad sexagesimum generant, quem si excesserint, ad septuagesimum usque procedunt*. Ex quibus colligi poterit, juventutem in mulieribus usque ad annum quinquagesimum, in maribus vero usque ad annum sexagesimum quintum ut plurimum pertin-

gere; quod idem est, ac dicere, senectutem in mulieribus ab anno quinquagesimo, in maribus vero ab anno sexagesimo quinto incipere. Nec mirum, si longius in maribus, quam in mulieribus poni debeat senectutis initium. Quia enim præcipuus vitæ administer calor est; senectus autem, seu senium, seu senilis ætas ex caloris defectu advenisse intelligitur; inde, quia diuturnius in maribus, quam in mulieribus caloris æstus conservatur; citius in fæminis, quam in maribus admitti debet senectutis initium. Ex quibus pro generali regula dici poterit, senium, seu senilem ætatem eam esse, in qua nedum non augetur calor, verum & a suo statu deficiens passim, ac pedetentim in sui declinationem tendit; ad quem conservandum modico, ac delicato cibo per multiplicem comestionem opus est.

Idem prosequitur explicandum.

LIX. Et de his senibus, quorum nempe calor nedum non augetur, verum & in sui declinationem tendit, qui scilicet, vel tantum natura, vel ætate simul, ac natura senes sunt, atque in senio consistunt, in suis commentariis sic eloquitur Galenus: *Tale patiuntur senes, quale lucernis pene extinctis accidit, quæ continuam exigunt olei suffectionem; multum autem, & subitam simul nequeunt sustinere*; Cui consonat Aristoteles, lib. de juventute, & senectute cap. 14. dicens: *Propterea quod paucum est calidum, velut plurimum evaporatum in multitudine vitæ; si qua utique intensio fiat particulæ, cito extinguitur, quemadmodum, pauca & momentanea in ipso flamma existente, propter parvum motum extinguitur: qua propter & sine dolore est, quæ in senibus mors; nulla enim violentia ipsis passione contingente, moriuntur, sed insensibilis animæ absolutio fit omnino*. Et hujusmodi senes, cum ex caloris defectu non possint simul comedere, quantum

tum naturæ satisfaciant, jejunium ferre vix possunt. Unde quod dicit Hippocrates aphorismo 13. lib. 1. *Senes facillime jejunium ferunt; secundo loco qui ætatem habent consistentem; minus adolescentes; omnium minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt vividiores*, id non de senibus, qui vel natura tantum, vel ætate simul, ac natura, quorum scilicet calor nec augetur, nec in suo statu consistit, immo a suo statu deficiens, continuo in sui declinationem tendit, sed de senibus ætate solum dixisse, atque intellexisse credendus est. Unde Philotheus præstantissimus medicus, in suo commentario Hippocratem explicans, sic habet: *Senes autem vocat non senio confectos, verum ad summum sexagesimum agentes annum: Consistentes autem vocat eos, in quibus calor innatus decedit, & remittitur*. Et quoad senes, & consistentes concludens idem Philotheus, sic pergit: *Utrique igitur*, senes nempe solum ætate, ac consistentes, *inediam facile ferunt, verum senes quidem facilius, quod facultas naturalis in ipsis fere sit extincta, & ideo frigidiores sint. Consistentes autem, id est, qui parum absunt a statu*, qui scilicet nec in fervore caloris sunt, nec frigidiores, *& ipsi quidem ferunt inediam, difficilius autem, quam senes*, ætate tantum, *ex iisdem causis*. Et immediate sic prosequitur: *Adolescentes autem minime, hoc est, parum; quia in ipsis ferveat innatus calor; pueri autem nullo modo; cum corpus habeant difflabile, nec longe absint ab insito calore. Sed ex pueris quicunque humidiores sunt, adhuc difficilius ferunt inediam; nam cum mobiliores sint, vehementius calefiunt; quanto autem vehementior est calor, & intensior, tanto ægrius sustinetur inedia*.

LX. Hinc juvenes potius, quam senes a jejunio excusari oportet ob rationes, ab Hippocrate assi- Relate ad ætatem exemptionis a

jejunio innotescit discretio.

assignatas lib. 1. aphorismo 14. sic dicente: *Qui crescunt*, ut solent esse adolescentes usque ad annum vigesimum primum, *plurimum habent calidi innati; plurimo igitur indigent alimento, alioqui corpus absumitur*. Et notandum videtur, juventutem hic non sumi ab Hippocrate, prout supra n. 57. ex Glossa, quos enim juvenes dicit hic Hippocrates, a Glossa adolescentes appellantur. Et pergit idem Hippocrates: *Senibus vero*, qui scilicet natura tales sunt, *parum inest calidi innati; paucis propterea fomitibus egent, quia a multis extinguuntur*: Multis enim supra caloris vim simul adhibitis ex ciborum substantia fomentis, senes extinguuntur, seu ex caloris defectu in suam substantiam transmutare non valentes, moriuntur, ut ellychnii flamma, cum subito multum ei olei infundatur, extinguitur. Ex senibus autem, qui ætate tantum senes sunt, magis mulieres, quam viri, servata proportione, jejunium ferre possunt. Ex eo enim, quod mulieres viris frigidiores sunt, propter quod major in fæminis crudorum humorum copia generatur, quam in viris; inde longe minus, quam mares ex inedia detrimentum sentiunt, qui facilius digerunt, & in quibus ex majori, quam in mulieribus, calore radicale humidum depascitur, alimento indigent. Quoad senum autem jejunium S. Basilius serm. 11. de jejunio sic habet: *Senibus assuetudo, ac familiaritas ab antiquo ad ipsum* (jejunium) *levem facit laborem*.

Discretio exemptionis a jejunio relate ad senes quoad praxim declaratur.

LXI. Quoniam igitur senectus non tantum sub ratione ætatis, quantum sub ratione senilis naturæ quoad exemptionem a jejunio consideranda est, in qua scilicet calor nedum non augetur, nec in suo statu consistit, verum & in sui declinationem tendit; inde qua fronte, quave auctoritate, quasi ab Ecclesiæ jejuniis obligationis ter-

terminum determinatam senectuti ætatem non pauci assignare contendant, ignoro; cum ab Ecclesiæ jejuniis non ex doctorum placito, sed ex intrinsecis motivis oriri debeat exemptio. Quoad hoc igitur, non secus ac d. Antoninus part. 2. Tit. 6. cap. 1. §. 5. sentit, mentem nostram declaramus: *Senes*, inquit, *si sunt multum debiles, eo modo possunt excusari*, scilicet a jejunio, *sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantum*, ratione nempe senilis ætatis tantum, *non excusantur, si sunt fortes ad ferendum jejunium: nec est determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quis tenetur ad jejunium*: quod confirmans S. Vincentius Ferrerius serm. 1. Fer. IV. Cin. de pœnit. sic habet: a jejunio excusantur *octavo senes in certa ætate, scilicet quando habent talem senectutem, quæ aufert ab eis appetitum comedendi, vel quia perdiderunt dentes, & comedunt sæpe, vel sæpius, sicut faciunt pueri*; Et subjungit, ut supra statuimus; *sed senes octoginta annorum, vel amplius, qui semel bene possunt*, in unica scilicet comestione sufficienter, *comedere, tales non excusantur in aliquo prædictorum, quin ipsi peccent mortaliter. Ideo cum diligentia omnes jejunemus.* Et de homine, centesimum annum agente, refert Hieronymus: *oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum, cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt, non memoriæ tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior senecta dissolvit, non calidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit, non contractam rugis faciem virata frons, non denique tremulæ manus per curvos ceræ tramites stylum ducit*. Non igitur ætas secundum se spectata, sed senilis naturæ ratio quoad præsens institutum attendi debet.

LXII.

Doctoris Llamas hallucinatio aperitur, & confutatur.

LXII. Quod autem Llamas in parvula sua summula, seu quadam dubiorum collectione, ex aliis auctoribus confecta, adducit, scilicet quod Pius V. decreverit, *Homines sexagenarios ad jejunium non teneri ex Ecclesiæ præcepto*; *excipit enim illos etiam si Regulares essent, ab abstinentia ovorum, & lacticiniorum in quadragesima, cum alios Regulares omnino extra privilegium quoad hoc reliquerit, etiam accipientes cruciatam. Insuper interrogatus, viva voce asseruit*, senes, nempe sexagenarios, non obligari ad jejunium; subjungens idem Llamas: *Et certe satis juste: Nam cum infirmitas a jejunio liberet, & senectus infirmitas magna sit*; inde &c. Hoc autem privilegium non apparet, neque ullibi inveniri licuit; sed est aliquorum figmentum, seu credulitas, vel saltem argumentum, & judicium ipsius Llamas, ex verbis bullæ communis decepti, in qua lacticiniorum usus pro libito, & salubrium carnium usus de consilio utriusque medici Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac Presbyteris non conceditur, *nisi sexagenarii fuerint*: quæ ultima bullæ verba: *nisi sexagenarii fuerint*, privilegium tantum concedunt in Quadragesima, vel aliis jejunii diebus comedendi pro libito lacticinia, ac de consilio utriusque medici, etiam salubres carnes, secus vero exemptionem a jejuniis; Llamas vero, qui nec dialecticus, nec Theologus multis videtur, quique suo fisus ingenio, sua, aliorumque reprobanda probat, ac probanda reprobat, etiam in hoc deceptus est: Ex eo scilicet, quod in bulla, quæ dicitur *communis*, lacticiniorum usus in diebus jejuniorum etiam antipaschalium conceditur, exceptis Presbyteris, Patriarchis &c. *nisi fuerint sexagenarii*, ex hisce, inquam, verbis infert, sexagenarios indiscriminatim omnes dici senes, & quidem non ætate solum, verum & natu-

ra:

ra: Cumque communem bullam sumentibus sexagenariis quibuscunque, etiam presbyteris &c. esus lacticiniorum concedatur, ratiocinio, infirmo suo judicio respondente, infert noster Llamas, sexagenarios omnes indiscriminatim etiam ab Ecclesiæ jejuniis esse exemptos: & quia non sub ratione necessitatis intrinsecæ, sed, ætatis ratione pensata, arguit; inde ex uno sophismate aliud deducit, quia scilicet annus inceptus in jure in favorabilibus pro completo reputatur; inde quasi a jure communi exemptio res favorabilis esset, quinquagesimo nono elapso anno, jejunandi obligationem cessare dixerit; ejusdemque furfuris homines id ipsum blaterare solent: non advertentes contra jus commune, quale est jejunium, favores extendi non posse, sed stricte interpretandos esse. Ineptis autem hujusmodi ratiociniis, ad generandum eruditis stomachum tantum aptis, respondere non judico; Certus sum enim, ineptas hasce ratiocinationes apud Theologos, ac de re canonica benemeritos, infirmas, ac nullius roboris, falsisque innixas principiis reputari, atque ad terendum tempus tantum aptas, & ad instruendum perniciosas judicari.

LXIII. Non ergo vera indiscriminatim reputanda aliquorum sententia est, absolute dicentium, sexagenarios ab Ecclesiæ jejuniis esse exemptos; quin immo nec communis est, ut ipsi jactitant, eo ducti ratiocinio, quod Pius V. ejusque Successores in bulla cruciatæ presbyteris, ac regularibus &c. lacticiniorum esum prohibeant, sexagenariis vero presbyteris permittant; cum tamen sexagenariorum ab Ecclesiæ jejuniis exemptio, etiam ex vi prædictorum verborum bullæ, a sanioribus Theologis, & Canonistis minime asseratur. Non enim hujusmodi ratiocinatio dialecticæ regulis consentit: *Permit-* Incepta confutatio prosequitur

ti

titur ſexagenariis presbyteris Epiſcopis, &c. ſi communem bullam ſumant, lacticiniorum privilegio gaudere; Ergo bullam communem tenentes *ſexagenarii*, ab Eccleſiæ jejuniis exempti intelliguntur; quaſi idem ſit lacticiniorum privilegium, atque a jejuniis exemptio. Et multo minus recte proceditur, ſic arguendo: *Ex eo quod ſexagenariis presbyteris* &c. per communem bullam eſus lacticiniorum permittitur. *Ergo & ipſi, & alii quicunque Bullam non ſumentes, ſi ſexagenarii ſint*, indiſcriminatim ex mente Eccleſiæ a jejunio, *eximuntur*. Unde niſi adſit ſaltem aliqua ſenilis ætatis infirmitas, vel alia rationabilis cauſſa, ab Eccleſiæ jejuniis, ſeu ab unica comeſtione, etiamſi bullam ſumentes, ſive non ſumentes ſexagenarii eximi non intelliguntur. Neque in hoc ſophiſticæ rationes, ſolidis principiis non innixæ, attendendæ ſunt; cum ut plurimum, ad futiles tuendas opiniones, ne cum dedecore erraſſe earum fautores dignoſcantur, adinveniri, ac ſuſtineri, & apud incautos, & imperitos diſſeminari ab aliquibus ſoleant. Quod ergo dicit Navarrus in ſuo manuali cap. 21. n. 16. *Hæc eadem*, cauſa, ſcilicet impotentia, *eximit ſenes ſexagenarios ſecundum communem; licet s. Thomas nihil de hoc dicat; & merito; quia ut ibi ait Caetanus, alii aliis citius fiunt ad id impotentes: & ideo arbitrio prudentis, aut ſuperioris id relinquendum eſt*; id certe non eſt de omnibus ſexagenariis abſolute tenendum, ſed ſolum de illis, in quibus ſenili ætati ſenilis natura in ſenſu ſupra expoſito acceſſerit. Unde de ſeipſo idem Martinus ſic habet. *Et quidem gratia deo octogeſimum annum agens, proinde poſſum jejunare, ac cum agerem ſexageſimum, immo & quinquageſimum.*

LXIV.

LXIV. Caetani autem ratiocinatio quoad senectutis motivum, ut a jejunio eximantur senes, non omnino reprobanda videtur: Sic autem 22. q. 147. art. 4. procedit: *Quia senectus non est evidenter omnibus una, sicut ætas augmenti: quoniam ætas augmenti determinatur ab ortu, qui certus est; ætas vero senectutis a naturali occasu, qui incertus est.... ideo non determinatum est tempus, quando homines propter senectutem excusantur a jejunio. Formaliter tamen loquendo, quandocunque quis est vere senex, non tenetur ad jejunia Ecclesiæ. Et ratio est, quia natura est adeo debilis in sene, ut non possit multum simul cibum digerere, & propterea egent frequenti alimento modico, sicut infirmi.* Si enim loquitur de senibus non ætate tautum, sed natura; a nostra proinde sententia quoad hoc discedere non videtur; nisi forte minime sibi cohærentibus principiis, minimeque aptis mediis ad idem probandum, uti velit; vel sibimet constare curare nolit. Notandum proinde est id, quod subjungit: *Communiter autem videtur hoc accidere anno sexagesimo ætatis, cum scriptum sit* ps. 89. v. 10. *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem, in potentatibus, octoginta anni.* Et ad Hebr. 8. v. 13. *Quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est. Est ergo sexagenarius communiter prope naturalem interitum; ac per hoc senex. Unde nisi evidenter constet, quod possint alimentum pro jejunio opportunum digerere, & tolerare, non debent conari ad jejunium, sed debilitati, quam sentiunt, subvenire frequenti, bono, & modico alimento: quoniam senectus morbus est incurabilis.*

Caetani ratiocinatio quoad præsens discutitur.

LXV. In eo, inquam, quod addit, multiplici errore videtur deceptus; & primo quidem in

Eadem continuatio discussio.

in eo, quod de ſcriptura dicit. In ſcriptura enim nedum ſeptuaginta & octoginta, ut in pſalmis, verum & centum anni vitæ humanæ tribuuntur juxta illud Eccli. 18. v. 8. *Numerus dierum hominum, ut multum centum anni*: Cumque annus ſexagenarius a centenario longe diſtet, e ſcriptura conſtare non poterit, an hominis ſeptuagenarii vita prope interitum ſit. Secundo autem in ſuo efformando argumento recte procedere non videtur. Cum enim uniuſcujuſque ad interitum propinquitas non ab alterius longiori, vel propinquiori interitu pendeat, ſed a proprio, juxta majorem, vel minorem caloris defectum, prout ſcilicet in declinationem tendat: & hominum interitus ſit tempore varius; ut ex ipſomet Caetano, ac ſacra ſcriptura patet, a ſexageſimo ſcilicet, ſive ſeptuageſimo propriæ ætatis anno ad centeſimum; inde fit, quod, per hoc quod aliqui ſexageſimo, aliqui ſeptuageſimo, aliqui octogeſimo, vel centeſimo anno moriuntur, non poteſt proprii interitus adinveniri tempus. Ex longæva igitur ætate interitus propinquitas conſtare non poterit, niſi forte ante actæ vitæ tempus centenario anno appropinquaverit, in qua certe ætate uniuſcujuſque interitum propinquum eſſe moraliter certum eſt; dixi: *moraliter*; in hoc enim ſæculo quemdam centum & viginti circiter annos vixiſſe ſcio. Annus autem ſeptuageſimus, & multo magis ſexageſimus a centenario multum diſtat. Non igitur ſexagenarius, vel ſeptuagenarius prope ſuum naturalem interitum exiſtere dicendus eſt. Cæterum parum refert; quantum ad jejunii exemptionem attinet, ſi cum probabilitate conjici poterit, interitum non longe eſſe. Ad jejunii enim exemptionem inducendam, non interitus propinquitas ſecundum ſe, ac directe, quæ vix conjici po-

potest, & multo minus dignosci; sed intrinseca ratio per extrinseca signa, inquirenda, & adinvenienda est, cujusmodi est impotentia, infirmitas, & caloris defectus, qui nec augeri, nec in statu consistere, sed in declinationem tendere dignoscatur. Enim vero si ex proximi interitus probabilitate a jejunio quis eximi possit, multo magis paucis ante mortem annis, sive mensibus suæ mortis ex dei revelatione conscius, exemptus intelligi deberet, etsi ejus calor in declinationem non tenderet; quod certe Caetanus non concederet. Non igitur proximi interitus probabilitas, qualis in ætate longævis conjicitur, vel a sexaginta annis, & ultra, ad jejunii exemptionem sufficit; nec proinde senilis ætas, secundum se considerata, sed quid aliud senili ætati conjunctum, senilis nempe natura superius exposita tamquam sufficiens ratio, per externa signa manifestata, requiritur, ut ab Ecclesiæ jejuniis exemptio consurgeret.

LXVI. Textus autem Apostoli potius contra Caetanum est. Antiquatum enim testamentum prope interitum esse asserens, ibi terminum, *Antiquatum* Apostolus pro termino, qui morti æquivalet, accipit; tunc enim antiquatum dictum est testamentum, ac prope interitum, cum novum in suo vigore succederet. Unde si Apostoli verba ad suum institutum applicare velit Caetanus, non pro ipso, sed contra ipsum existunt. Tunc enim in ætate senibus a jejuniis exemptio consurgeret, cum jam deficientibus viribus, mors immineret; sicut vetus testamentum antiquatum asseritur, cum ejus vigore cessante, mori inceperit: quod non negamus, tunc scilicet antiquatum, ac prope interitum dictum esse, cum ejus virtute cessante, obligationis quoque virtus in novo eluxerit. Dicere autem sexagenarios, sola ætate spectata, mi-

Eadem prosequitur, contra Caetanum, & concluditur discussio.

 ni-

nime autem ſenili natura, ſenſibilibus ſignis manifeſtata, communiter in ſenſu Apoſtoli prope interitum eſſe divinare eſſet.

Sylvii opinio diſcutitur.

LXVII. Nec multum a Caetano diſcedit Franciſcus Sylvius a Brania comes, Sacr. Th. doctor, in Academia Duacæna regius, & ordinarius Profeſſor, & Vicecancellarius, in 22. q. 147. art. 4. dicens: *de ſenibus non dubium eſt, quin a jejunio excuſentur, quando per ætatem ſunt imbecilles; ſed non eſt certum aliquod tempus præfinitum. Quidam enim ſeneſcunt citius, alii tardius*: at ferme cum Caetano ſentiens ſubjungit: *Poſt ſexageſimum tamen annum communiter poſſunt excuſari, niſi adhuc appareant ſufficienter vegeti, & ad jejunium apti ſine incommodo*. Non multum, inquam, a Caetano diſcedit. Gratis enim dicit, communiter poſt ſexageſimum annum excuſari poſſe. Ætas enim ſecundum ſe, ut ſupra diximus, exemptionis ratio non eſt, niſi ſenilis natura advenisse dignoſcatur. Gratis etiam dicit, ſexagenarios communiter excuſari a jejunio, niſi appareant ſufficienter vegeti, &c. & quaſi requiri evidentia ſigna valetudinis, aptoſque eſſe ad jejunandum ſine incommodo; ſi enim quodcunque incommodum ad non jejunandum ſufficeret, cum ſine incommodo jejunium non ſubſiſtat, jejunii lex omnino delebitur. Quod ſi de incommodo, ſaluti nocuo, loquatur, quod nempe naturæ nocivum ſit; non ergo ætas ſecundum ſe, ſed ſi ætati ſenilis natura accedat, & conſequenter ſi ætatem ſaluti pernicioſum comitetur incommodum, ab Eccleſiæ jejuniis exemptio conſurgit. Et in hoc non diſſentimus.

Fagnani ex Abbate ratiocinatio diſcutitur.

LXVIII. Quod autem ex Abbate cap. *Quoniam frequenter* Tit. *Ut lite non conteſtata* refert Fagnanus Cap. *Cum ſis* de convers. conjug. dicens: *In ſeptuagenariis, & ſupra non eſſe locum* ar-

arbitrio Judicis, an dicantur senes, necne; cum in tali ætate valde proprie dicantur senes, & a septuagesimo anno incipit senium, quod est aliarum ætatum terminus; & quantumcumque quis sit bene complexionatus, in ea ætate timere debet mortem, nostram doctrinam non infringit. In prædicto enim cap. *Cum sis* Episcopo respondens Alexander III. postquam commemoraverit non posse permittere unum conjugum religionem ingredi nisi alter religionem similiter ingrediatur, subjungit: *verum, si ita uxor senex est, & senilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut, ea in sæculo remanente, & castitatem promittente, ad religionem transeat vir ejusdem.* Non, inquam, nostram infringit doctrinam. Ad hoc enim quod omnis suspicio contra castitatem desit quoad extrinseca credibilitatis argumenta, sufficit, quod cum longæva ætate sterilitas accedat, etsi cæteroquin alter conjugum adhuc cum talibus argumentis stimulos contra castitatem sentiret, necnon & per occultos actus, vel saltem per elicitos tantum sæpe contra castitatem laberetur. Non enim in Episcopo, ut alterum conjugum in sæculo remanere permittat, prophetiæ donum, quod scilicet ille in sæculo remanens, nunquam laberetur, sed credibilia exteriora tantum argumenta requiruntur, ac sufficiunt. In casu autem nostro, qui ad uniuscujusque conscientiam pertinet, non exteriora credibilitatis argumenta, sed intrinsecæ exiguntur rationes. Unde sicuti tuto poterit aliquis juxta necessitatis rationem a jejunio eximi, si in ipso necessitatis ratio militaret, etiam si cæteroquin, bene complexionata apparente natura, nulla exemptionis signa dignosci videantur; ita e contra etsi secundum apparentiam, per extrinseca scilicet credibilitatis argumenta eximendus videatur;

si tamen nullæ revera sint intrinsecæ necessitatis rationes, illa extrinseca exemptionis argumenta hujusmodi conscientiam, ut a jejunio eximatur, non justificant. Nostram igitur non infringit doctrinam. Prætereo quod relata a Fagnano verba, quod scilicet *in septuagenariis*, *ut supra* non sit locus arbitrio judicis, ut dicantur senes, vera sunt quoad aliquas pœnas, a quibus septuagenarii, ac supra ex legum benignitate eximi solent: Quodque subditur: *quantumcunque quis sit bene complexionatus*, *in ea ætate timere debet mortem*, contra nos non est; in ea enim ætate debere timere mortem idem est ac dicere in ea ætate existentem, prope interitum esse dubitari debere: quis autem id revelaverit? cum homines prope centenarium pertingant annum, & varius sit uniuscujusque interitus. Cumque præsertim ista exemptio, ut sæpe innuimus, non a senili ætate secundum se, sed a senili potius natura venanda sit; inde siquis septuagenarios ac deinceps sub ratione tantum ætatis ab Ecclesiæ jejuniis eximere velit, eodem ferme modo, ac Caetanum confutare intendimus. Ex quibus clare innotescit, exemptionis regulam non ab ætate solum in senibus petendam esse, sed ab intrinsecis exemptionis motivis, per externa senilis naturæ signa manifestatis, longævam ætatem comitantibus, eruendum esse.

Tenenda doctrina proprio ratiocinio discutienda proponitur.

LXIX. Ad hoc autem discutiendum, præterquam quod satis in superioribus probatum sit, si judicium ferre fas erit, sic ratiocinari videor: Enimvero potest jejunium considerari ex humano jure procedens, quoad modum scilicet, ac tempus, ab Ecclesia præscriptum; vel ex divino jure, ex voto scilicet, vel juramento, sive ex divina lege, vel divino præcepto, ad domandam passionum insolentiam procedens; vel ex naturali ju-

jure, quoties nempe ciborum moderatio, vel delectus ad vitæ, vel salutis conservationem necessarius reputetur. Et quia superiori prævalente jure, jus inferius sub eadem ratione cessare debet; quin immo & sub eodem superiori jure duplici, servatu impossibili, concurrente præcepto, unum cessare, alterum servari debere omnino judicandum est; naturale autem jus positivo divino juri, positivum autem divinum jus, in suo vigore subsistens, humano juri præferri debere tenendum est; inde ad discernendum, an senes ab Ecclesiæ jejuniis eximantur, discutiendum est, an jejunium, ex humano jure procedens, naturali, divinove juri in senibus contradicat? ad naturalis nempe, divinique præcepti conservandæ vitæ, ac salutis transgressionem inducat?

Sub qua ratione relate ad ætatem exemptionem procedere intelligi debeat, discutiendum prosequimur.

LXX. Ex humano autem jure procedens jejunium, tunc divino, naturalive juri contradicere censendum est, quando, illo servato, divinum, vel naturale jus non servaretur. Et quia ex naturali divino præcepto, nedum mortem, verum & media ad eam, quin & impedimenta salutis arcere debemus; inde ad inquirendum, an senes ex naturali divino jure ab Ecclesiæ jejuniis eximantur, discutiendum erit, an servato Ecclesiæ jejunio, mortem sibi accelerarent senes, vel media ad mortem, vel saltem salutis impedimenta inducerent? Et quia omnis caloris augmento deficiente, eodemque in declinationem tendente, in quo proprie senilis natura consistit, eorum natura est adeo debilis, ut multum cibum simul digerere impotens, frequenti alimento, bono ac modico opus habeat; inde, vere adveniente senio, non quidem per senilem ætatem juxta multorum placita per errorem intellecto, sed per senilem naturam, eo sensu, quo in superioribus di-

discussum est, a jejuniis humani juris ex naturali-divino jure exemptio consurgeret. Quia igitur non nisi vero adveniente senio, senili nempe consistente natura, ex naturali-divino jure ab humani juris jejuniis exemptio consurgit; senium autem ut tale in sensu exposito non sub eadem vitæ ætate omnibus advenit; inde non omnes ætate senes, sed illi ab Ecclesiæ jejuniis exempti reputari debent, qui ex peritorum judicio nedum ad generandum, quod ex naturæ superfluo contingit, & ad quodcunque caloris augmentum impotentes reputantur; verum etiam si a suo statu deficiens in eis calor, in declinationem tendat. Unde ad exemptionem in senibus declarandam non tantum septuagenaria in viro ætas, in muliere vero sexagenaria pensari debet, verum & certa signa dignosci, an scilicet hujus caloris defectus, ac declinatio habitualis appareat? atque a posteriori, ex ipsorummet nempe senum testimonio agnosci a peritis debet, an scilicet quasi ex habitu per unicam comestionem sustentari non valeant, in quantum scilicet multum simul cibum digerere impotentes existant, propter quod frequens, modicum, & bonum alimentum sumere opus habeant. In quo solo casu possunt periti ex apparentibus signis, atque ex ipsorummet senum testimonio id dignoscentes hujusmodi senes ab Ecclesiæ jejuniis, seu ab unica comestione exemptos declarare. Quia igitur senium in sensu exposito hanc naturæ necessitatem inducit, ut ab Ecclesiæ jejuniis eximantur; idcirco aliquorum error non in eo consistit, quod senes a jejunio, seu ab unica comestione eximant, sed potius in eo, quod senium ad hanc, illamve ætatem quoad hunc effectum, ut scilicet a jejuniis, ex humano jure procedentibus eximantur, nulla spectata uniuscujusque personæ senili natura, indiscriminatim determinent. LXXI.

LXXI. Et quoniam aliud est ad Ecclesiæ jejunia servanda non teneri, aliud vero, certis aliquando concurrentibus publicis rationibus, ad ea servanda etiam natura senes conari non debere; inde, etsi natura senes ad Ecclesiæ jejunia non teneantur, non proinde, communibus, ac publicis concurrentibus rationibus, ad ea servanda eximi facile poterunt, si absque mortis periculo, ac sine speciali naturæ incommodo in his, ac similibus circumstantiis jejunare valerent juxta illud Joel. 2. v. 15. *Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum*, v. 16. *Congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, & sugentes ubera*: Non quidem eo sensu, quod omnimoda interveniente impotentia, jejunare, etiam publicis existentibus rationibus, debeant; sed alio rationabili sensu: Etsi scilicet communia Ecclesiæ jejunia cum notabili incommodo, etiam a patiente superabili, non obligent, in communi tamen necessitate, eo quod ob commune bonum nova quædam, excepto mortis periculo, obligandi ratio emergit; inde in senibus, etiam cum notabili incommodo, si superari, ac vinci possit, pro bono publico jejunandi obligatio, etiam in senili natura consistentibus, consurgit.

Quod in senibus in senili natura consistentibus, notabile incommodum, etsi superabile, ad exemptionem inducendam sufficit, publicis, & communibus concurrentibus calamitatibus, aliquando non sufficere dignoscitur.

LXXII. Tertia autem exemptionis ratio, ad eamdem tertiam positionem, n. 46. positam, spectans, labor est; non quicunque, neque sub quacunque ratione susceptus, neque quoad omnes circumstantias consideratus; sed ille ad jejunii exemptionem inducendam sufficiens causa dijudicari debet, qui ad sustentandam naturam necessarius cum sit, tale afferret cum jejunio detrimentum, ut laborantis natura nimis gravaretur; quo proinde deficiente nimio naturæ incom-

Et III. An ad impedienda mala, ex labore provenientia, ab humani juris jejunio, aliove opere consurgere possit exemptio, discutitur, ac resolvitur.

commodo, ratione laboris secundum se considerati, ab Ecclesiæ jejuniis exemptio non consurgeret.

Quo sano sensu exagitari poterit, ratione laboris, ab Ecclesiæ jejuniis exemptio aperitur.

LXXIII. Ad inquirendum igitur, utrum, & qualis labor exemptionem inducat, discutiendum est, an labor cum jejunio componi possit? Si enim componi possit, ut scilicet laborans notabile detrimentum ex jejunio non sentiret, tunc, sive necessarius sit, sive non, sive magnus, sive levis, ab Ecclesiæ jejuniis exemptio non consurgit: Quod si cum jejunio componi non possit, non illico concludendum, ab Ecclesiæ jejuniis exemptionem exurgere, sed vel a jejunio, vel a labore: Si enim labor necessarius non sit, non a jejunio exemptio, sed a labore cessandi obligatio consurgit; quod si necessarius reputabitur, tunc non a labore, sed a jejunio exemptionem oriri tenendum est. Iterum autem, etiamsi necessarius reputetur labor, non statim ab omnibus jejunii conditionibus, sed ab ea solum, quæ ad notabile detrimentum impediendum, tamquam necessarium medium sufficiens judicabitur, juxta ea, quæ cap. 3. resolvimus, exemptio consurgeret.

Idem quoad praxim relate ad artifices proponitur, a resolvitur.

LXXIV. Quoad praxim autem ab artificibus incipientes, si eorum labor cum jejunio componi non possit, & ex officio susceptus, ad sui, suorumque sustentationem necessarius sit, utique ab ea jejunii conditione hujusmodi laborem illos excusare dicimus, cujus exemptio tamquam medium ad notabile detrimentum impediendum respectu illorum judicabitur. Unde ex hac ratione ab unica comestione excusari possunt fabri ferrarii, lignarii, cæmentarii, agrorum cultores, ac similes, secus vero a ciborum delectu.

Doctorum placita quoad præ-

LXXV. Quoad doctorum autem placita, ad præsens institutum spectantia, Fr. Thomas Milante

te in expositione propositionnm 29. 30 31. & 32. ab Alex. VII. damnatarum, exercit. 28. sic habet: *Officiales igitur, qui laboriosa exercent opera, incompatibilia cum jejunio, sunt fabri ferrarii, lignarii, fossores, murarii, agricolæ, seu aratores, lapidicidæ, bajuli, idest, onera laxantia humeros, & gravantia corpus per diem portantes, pistores, seu panifici, qui quotidie panem ex munere conficiunt, molitores, at non ii, qui dumtaxat molindino assistunt, sed ii certe, qui molindino motum proprii corporis actu, & labore impetunt, sive qui mulorum instar lapideam gyrant molem, fullones, qui tota die pannis, telis, vestibusque lavandis operam navant, lanarii, id est, qui lanas lavando, tergendo, discutiendo, curant, & idem dicas de coriariis, idem agentibus circa pelles, quas curant; argentarii, & artifices, qui tamen malleo, lima, aliove instrumento laboriosum revera opus exercent per diem, quo nomine pariter comprehenduntur ii omnes, qui cujusvis generis metalla versant, contundunt, & in opus redigunt, veredarii,* (vulgo corrieri) *remiges, & nautæ, qui tota die nautica laboriosa opera præstant, typographi non quidem ii, qui litteras ordinant, sed qui torcular premunt, vulgo torcularii dicti; mercenarii, ii nimirum, qui, ut merces suas vendant, iis onusti urbem circumeunt, gravi pondere pressi; idem dicas de ornantibus Templa, seu de iis, qui scalas transferentes per gyrum, per eas ascendunt, descenduntque assidue, unde nimium laxantur, cæterique id genus, qui laboriosa revera opera exercent, absolute ab onere jejunii eximuntur.* Semper autem id intelligendum est, si scilicet talis sit labor, talisque laborantium natura, ut si jejunarent, notabile detrimentum sentirent. Non absimiliter autem ac supra, etiamsi notabile

sens proponuntur, & explicantur

bile detrimentum ex jejunio oriretur, non statim ab omnibus jejunii conditionibus, neque, in omnibus artificibus, & operariis ab eadem, sed ab ea solum jejunii conditione servanda unusquisque eorum excusari poterit, cujus exemptio ad peculiare uniuscujusque proprium detrimentum impediendum, tanquam necessarium medium judicabitur. Et licet hujusmodi artifices ab unica comestione excusari ut plurimum soleant, tentare tamen debent ab iis jejunii conditionibus, quæ cum jejunio minus pugnare videntur, prius exemptionem incipere; quarum ordinem, in exemptione servandum, cap. 3. proposuimus, ac discussimus, illucque lectorem quoad præsens remittimus.

Idem prosequitur relate ad doctorum placita de artificibus argumentum.

LXXVI. In idem recidit Navarrus in suo manuali de Ecclesiæ præceptis cap.21. n. 16. dicens: *Excusatur .... a jejunio faber ferrarius, carpentarius, agricola, & quilibet alius operarius, qui aliter quam assiduo suo labore, non potest se, aut suam familiam sustentare, aut collocare suas filias, aut studiis filiorum necessaria suppeditare, nec sibi, nec suis ad cultum decentem necessaria comparare*. Et S. Vincentius Ferrerius serm. 1. feriæ 4. Cin. de pœnitentia sic habet: *Sexto*, excusantur, *laborantes, ut fossores, fabri, qui in toto, vel in parte non possent, & qui alias non possunt providere uxori neque filiis; sutores autem, & sartores, notarii, & similes, qui sedendo faciunt opera sua, non excusantur*. Et S. Antoninus in summa part. 2. Tit. 6. cap. 2. §. 6. sic habet: *Tertio*, excusantur, *cursores, quorum usus necessarius est dominis, vel civitatibus, si non possunt cum jejunio iter agere .... secus cum modicum vadunt, vel quiescunt, nisi indigerent ex labore præcedente, vel etiam in proximo debentes magnum iter facere, oportet, quod re-*

fici-

ficiantur. Guil. hi secundum Petrum de Palude videntur excusari non solum si sine tali officio non possunt vivere, quia tunc paupertas excusaret, sed etiamsi aliter possent vivere, sed non æque bene. Et subjungit: *Aliud est de illis, qui ad certum diem se locant, quia non debent se locare, nisi possint tunc jejunare, si habent alias, unde vivant; aliud est de alio, qui locat se ad totum annum, & ad totale servitium, qui si exciperet, quod nunquam diebus jejunii itineraret, non inveniret, qui eum reciperet*.

Utrum operarii, ratione laboriosæ artis exempti, diebus, quibus non laborant, eximi possint, discutitur, ac resolvitur.

LXXVII. Utrum autem in diebus, in quibus non laborant, a jejunio excusari possint, id ex notabili detrimento laboris, elapso die suscepti, vel morali certitudine notabilis detrimenti ex labore sequentis diei necessario suscipiendo, quod sibi obveniret, dijudicari debet. Quod si per plures dies a labore cessarent, saltem a secunda quietis die ad jejunium adstringuntur, si ex labore præteriti diei nimis fatigati, in illo primo quietis die jejunare non possint, secus etiam a primo quietis die jejunare tenentur. Utrum autem ultima quietis die jejunare teneantur, ne scilicet ad laborem, die crastina ineundum, inepti, ac debiles inveniantur, ut plurimum teneri dicendi sunt. Cum enim die crastina, in qua laborabunt, a jejunio excusentur, possunt, anteriori die servato jejunio, die crastina summo mane se reficere; sicque saltem præteriti diei jejunium servare. Cæterum, si talis sit eorum consuetudo, pluries nempe in die comedendi, ut in naturam versa, sine gravi incommodo etiam in diebus, in quibus non laborant, semel tantum comedere non permittat; tunc a jejunio, seu ab unica comestione excusari possunt. Tenentur tamen saltem in diebus, in quibus non laborant, eo modo, quo possunt, jejunio con-

formari; eoque modo se gerere, qui cum jejunio minus pugnare dignoscatur; comestionem scilicet invertendo, vel si eam multiplicare fas erit, vices minuant, quam soleant, juxta ea, quæ part. 1. cap. 4. §. 3. & in hac parte cap. 3. exagitavimus, ac discussimus.

Artificum privilegium quoad præsens proponitur.

LXXVIII. Quod autem aliqui adducunt Eugenii IV. vivæ vocis oraculum circa annum 1440. declarantis, *quod artifices laboriosas artes exercentes, & rustici, sive divites, sive pauperes non tenentur jejunare sub præcepto peccati mortalis; & quod absolvi possunt, & induci ad eleemosynas, & alia bona opera facienda*; multum dubitatur, an hoc vivæ vocis oraculum verum sit. Et S. Antoninus, qui eo tempore vivebat, nullam facit de hoc privilegio mentionem. Memini autem, nisi me fallat memoria, legisse in Azorio, Sylvium asserere, se audivisse a viris doctis, Eugenium IV. his artificibus concessisse, seu potius declarasse opifices, qui laboriosas artes exercent, & agrorum cultores, sive divites sint, sive pauperes, liberos esse a lege jejunii. A Navarro autem in suo manuali de præceptis Ecclesiæ cap. 21. n. 16. absque dubitatione refertur, dicente: *Unde sequitur illud Eugenii IV. non tam privilegium esse, quam juris communis declarationem, opifices scilicet, suas artes exercentes, aut colonos, colendis serendisque agris, aut aliis operam dantes, sive sint divites, sive pauperes, ad jejunia sub peccato mortali non teneri, & a confessariis absolvi posse; consulendo illis, ut in eleemosynis, aliisque piis operibus occupentur.* Et pergit idem Navarrus: *quia nullus eorum, qui operi laborioso incumbunt, ut plurimum tam dives est, qui suo labore ad aliquid ex prædictis non indigeat.* Et sane quia horum artificum divitiæ suo labori innituntur, quo cessante, ad

ege-

egestatem pervenirent; inde si ex officio laboriosam artem exercent, tamquam medium ad necessariam, vel congruam sui, suorumque sustentationem, non est quare a laboriosa arte prohibeantur, seu potius per jejunium impediantur; cum præsertim ex his artificibus divites dici soleant, qui suam familiam commodo sustentare valeant. Quia igitur licite suam artem exercent; inde absque ullo privilegio sequitur, a jejunio in sensu exposito eximi, si eorum laboriosum opus, cum jejunio servatu impossibile, judicetur.

LXXIX. Quoad servitores autem d. Antoninus in summa part. 2. Tit 6. cap. 2. §. 6. sic habet: *Secundo*, excusantur a peccato, *servitores nobilium, si ex causa præveniunt horam comedendi; vel etiam si prælibant modicum ante horam, vel quasi propter continuationem temporis totum possit computari una mensa*.

An famuli, seu servitores eximantur, ex d. Antonino proponitur.

LXXX. Quoad illos vero, qui non adeo laboriosam artem exercent, uti sunt, sutores, sartores, pictores, barbitonsores, sculptores, argentarii, pistores, molitores, furnarii, coqui, & similes, nisi notabile incommodum ex sua arte patiantur, quod jejunando impediri non possit, secundum se ab Ecclesiæ jejuniis excusari non videntur. Et S. Vincentius Ferrerius serm. 1. de jejunio, sutores, & sartores, notarios, & similes, *qui sedendo faciunt opera sua*, a jejunio non excusari asserit. Item Fr. Thomas Milante exercit. 28. multos officiales ad jejunii legem adstrictos, declarat, dicens: *Scriptores, seu notarii, pictores, nec non conficientes statuas ex luto, vel cera.... filum nentes ex lana, bombice, vel lino, dummodo id agant, fuso pendente ex colo; quod si gyrant rotam, quia non levis intervenit labor, inter excusatos debent recenseri*; ad jejunii le-

Quoad illos, qui artem non adeo laboriosam exercent, discutitur, ac resolvitur.

legem similiter adstringuntur: *famuli, comitantes horum per urbem... rhedarii .... iter agentes equo, lectica, navi, carpento (non autem pedestres, quando longum est iter,) musici, cantores, sarcinatores, sartores, medici, chirurgi, confessarii, lectores, seu professores cujuscunque facultatis*, in quibus mentis opus potius, quam corporis labor requiritur, non excusantur.

Quo sensu operarii ab Ecclesiæ jejuniis eximi possint, generalis regula designatur.

LXXXI. Operarios igitur non secus ac supra n. 73. proposuimus, illos tantum excusatos intelligimus, quorum labor, ad vitæ sustentationem necessarius, cum jejunio componi non possit; alias enim ab Ecclesiæ jejuniis eximi non posse sentimus. Quod discutiens Angelicus, in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. q. 4. ad 3. sic ratiocinatur: *ad 3. dicendum, quod de operariis distinguendum videtur, quia, si jejunando, possunt competenter victum pro persona sua habere, & pro familia, cujus cura eis incumbit, (sive quia alias divites sunt, sive quia de eo, quod minori labore sit, qui simul secum jejunium compatiatur, lucrari sufficientia possunt) a jejunio non excusantur. Si autem alias non possunt tantum laborare, quod victum sufficientem acquirant, nisi jejunium frangendo, possunt secundum dispensationem sacerdotis sui jejunium solvere, & laborare. Ex quo patet, quod intentio majoris lucri non necessarii eos a peccato non excusat, si jejunium frangant*, nisi scilicet majus lucrum ad sui, suæque familiæ sustentationem necessarium judicetur.

Idem ab intrinsecis concluditur argumentum.

LXXXII. Quia igitur non officium, nec labor secundum se, sed motivum, seu intrinseca ratio exemptionis occasio est; inde sicuti supra n. 57. de senibus dictum est, non ex ætate secundum se excusari senes, sed si exemptionis motiva concurrant; ita & quoad præsens: nos, qui philosophicæ, sive theologicæ demonstra-

ftrationi, quantum res patitur, infiftentes, nihil afferere ftatuimus, nifi prius probatione dignum dignoverimus, nullo modo doctorum opinionibus affenfum, vel diffenfum præftare intendimus, nifi cum folidis principiis connectere, vel recedere dijudicaverimus; id unum afferentes, fi cum neceffario officio, aut opere exemptionis motiva concurrant, eo modo excufari, prout uniufcujufque neceffitas expofcerit; fecus vero quatenus laboriofum opus fecundum fe confideratum, exercent. Non proinde tamen allatas doctorum opiniones contemnimus; immo ad id, quod ut plurimum contingere folet, non nihil valere declaramus. Quia tamen jejunii exemptio non ex eo, quod ut plurimum, neque ex eo, quod ut in pluribus, fed refpectu uniuscujufque perfonæ penfari debet; inde particulares perfonæ non ratione officii, five cujufcunque actionis, aut operis, fed ex intrinfeca motivi ratione, fi vere adfit, a jejunio eximi poterunt. Quin immo adhuc ex intrinfeco motivo confurgens exemptio, non proinde ab omnibus jejunii conditionibus, fed vel ab unica comeftione, vel a ciborum delectu, vel ab hora tantum, vel per comeftionis inverfionem, aliove modo, in fuperioribus expofito, prout ad tollendum, vel impediendum notabile detrimentum, expofcerit ratio, confurgere intelligitur.

LXXXIII. Quarta autem exemptionis ratio, ad eamdem tertiam pofitionem, n. 46, pofitam, fpectans, paupertas eft, quæ fi talis fit, ut fufficientem fuftentationem impediat, ab Ecclefiæ jejuniis talem exemptionem traheret, qualis ad fuftentandam vitam neceffaria judicabitur. Unde S. Vincentius Ferrerius ferm. 1. feriæ IV. Cin. quarto loco excufat pauperes dicens: *Quarto*

Et IV. Ad impedienda mala, ex paupertate oritura, qua ratione exurgere posfit exemptio, proponitur, ac refolvitur.

to pauperes, qui hora comedendi non possunt habere sufficientem refectionem, ut illi, qui petunt ostiatim, vel alii, qui non possunt habere, vel vix caules cum oleo. Si tales possent jejunare, magnum meritum haberent, alias non tenentur. Et subdit: *divites autem*, pauperes nempe, qui copiosos habent comedendos cibos, *qui possunt habere pisces, & aliqua alia, tenentur jejunare.* Idem sentit Martinus ab Azpilcueta in suo manuali cap. 21. n. 16. dicens: *Eadem etiam* causa, scilicet impotentia, *excusat pauperes, non valentes quærere sibi cibum ad unicam comestionem sufficientem, non tamen alios. Palud. in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. concl.* 3. Idem quoque sentit divus Antoninus in summa part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 6. dicens: *Pauperes, & mendicantes, qui non possunt tantum habere ad unam refectionem, quod sufficiat eis, excusantur, secus si haberent ad sufficientiam, nisi ex præcedente inedia non possent ferre jejunium.* Et Angelicus 22. q. 147. art. 4. ad 4. *Pauperes*, inquit, *qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejuniis Ecclesiæ.* Quoad alios vero pauperes sic pergit: *A quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat.* Idemque sentit in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. q. 4. ad 2. dicens: *Ad secundum dicendum, quod paupertas non semper excusat a jejunio, sed in illo casu, quando simul haberi non potest tantum hora comestionis, quod ad victum totius diei sufficiat, sicut frequenter egenis contingit, qui frustatim eleemosynas quærunt; vel etiam quando ex præcedenti inedia tantum debilitati sunt quod jejunium sufferre non possunt.*

LXXXIV.

LXXXIV. Exſcuſari etiam videntur, ſi qui ex vitæ ratione ſuis cibis præparandis vacare non ſolent, & in meridie comedentes, extra modum & quantitatem ſuæ naturæ neceſſariam, ſibi non ſatisfacerent. Tunc enim, neceſſitatis ratione penſata, poſſent etiam vel altera vice comedere, vel etiam a ciborum delectu ſe eximere, ſi eſuriales cibi præparati non eſſent juxta exemptionis ordinem cap. 3. diſcuſſum. Unde d. Antoninus loc. ſupra cit. quoad præſens ſic habet: *Et videtur etiam poſſe comprehendi*, ſcilicet inter excuſatos pro illa tantum vice, *illos qui non habent eis præparantes neceſſaria jejunio, & ipſi huic non poſſunt vacare*. Quod ſane etiam ex Chriſti domini verbis poſſe confirmari videtur, qui ſuos inſtruens, Luc. 10. v. 8. dixit *manducate, quæ apponuntur vobis*. Quod certe nedum ex eo dictum videtur, eos ſcilicet iis cibis, etſi vilioribus, qui ipſis apponuntur, contentos eſſe debere, quatenus, ſicut non habentibus, & egenis comedere licet, quæ ſibi apponentur, ita & Apoſtolis comedere licuerit, quæ ſibi apponebantur, cum pauperes fuerint, neque ſaccum, neque peram habentes; verum & in alio ſenſu, qui non longe a vero diſtare videtur, intelligi poterit; quatenus nempe ipſi, utilioribus vacantes operibus, præparandis cibis non attenderent, liceret eis ad ſuſtentandam naturam, quæ ab aliis præparata apponerentur, manducare. Et licet jejunii forma ſit ab Eccleſia præſcripta, videtur tamen, etiam jejunii tempore, poſſe hanc doctrinam illis applicari, quibus præparandis cibis non vacantibus, quos jejunio ſervando aptos præparatos apponerent præparantes, cibi non ſatisfacerent; idemque dicendum, ſi non eſuriales cibos præparatos, præparantes apponerent; dummodo ex utraque parte,

An ſub genere pauperum, quantum ad præſens, intelligi, quave ratione excuſari poſſint, qui ex vitæ ratione ſuis præparandis cibis non incumbunt, discutitur, ac reſolvitur.

te, manducantium ſcilicet, ac præparantium religionis, & Eccleſiaſticæ poteſtatis contemptus, abſit; omnisque fraus ac dolus, et mala intentio ex parte manducantium deſit.

Sub qua ratione excuſari poſſint coqui, proponitur, ac reſolvitur.

LXXXV. Quoad coquos autem, aliam artem exercere non valentes, ſub ratione neceſſariæ artis excuſari poſſunt juxta S. Antoninum in ſumma loco cit. qui ſic habet. *Qui etiam prægustant cibos dominorum ad faciendam credentiam quo caſu etiam diceret* (potius liceret) *prægustare carnes, ſi tali die dominus licite comedat, vel etiam, ſi ſurgit de menſa, ut portet anxenium alicui, vel etiam ſi ſerviunt, vel legunt in menſa religioſorum cum licentia ſuperioris Guilelmus*. Generatim autem loquendo, talis exemptio pauperibus licet, qualis pro naturæ indigentia neceſſaria reputabitur, exemptionis ordine eo ſenſu ſemper intellecto, cap. 3. discuſſo.

Et V. Ad impedienda mala, ex ciborum defectu provenientia, qua ratione conſurgere poſſit exemptio, proponitur diſcutitur, ac reſolvitur,

LXXXVI. Quinta autem exemptionis ratio, ad eamdem tertiam poſitionem n. 46. poſitam ſpectans, ciborum defectus eſt; quæ licet cum quarta exemptionis ratione n.83. huc uſque diſcuſſa, quoad ſolutionem convenire videatur, quoad cauſam vero non nihil differre dignoſcitur. Quarta enim exemptionis ratio, a paupertate oritur, vel in ſenſu proprio, vel quoad effectum; atque ut plurimum ex defectu pecuniæ, ſeu medii ad emendos cibos naturæ ſufficientes; iſthæc autem quinta exemptionis ratio non ex defectu pecuniæ ſeu medii ad emendos cibos, ſed ex ipſorummet ciborum penuria conſurgit. Ciborum igitur penuriam conſiderantibus, pro generali reſponſione videtur dicendum, quod illi, per quos non ſtat, ut ipſis eſuriales cibi præparentur, vel ut ipſis ſufficiens ciborum quantitas diſpo-

ponatur, possunt, quantum naturali indigentiæ satisfaciat, quosquos, & quoquo modo cibos præparatos invenerint, possibili servato exemptionis ordine cap. 3. discusso, sibi appositos comedere. Unde qui quadragesimali tempore ex esurialium ciborum inopia carnes comedunt, non sunt puniendi juxta illud Innoc. III. qui Bracharensi Archiep. respondens, cap. *consilium* de observatione jejuniorum, sic habet: *Cum autem quæsieris, quæ sit illis pœnitentia injungenda, qui diebus quadragesimalibus, quo tempore tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti: respondemus, quod in tali articulo illos non credimus puniendos*. Et Alphonsus Tostatus in caput 6. Matth. q. 171. postquam dixerat: *Generale est apud omnes quod in quadragesima abstineant ab istis*, scilicet a lacticiniis &c. subdit: *Et hoc verum est, nisi propter penuriam, quia regio illa non habet pisces ad sufficientiam; quia potest tunc recurri ad alios cibos: nam cum necessitas faciat licitum usum carnium, a fortiori licitum faciet usum lactis, casei, & ovorum*. Ciborum igitur penuria invalescente, necessitas, a servando in jejuniis ciborum delectu, excusat; dummodo, quantum fieri poterit, servando præcepto saltem quoad partem, quoad unicam nempe comestionem, & horam, conformetur. Unde cap. *Licet tam veteris* de pœnit. & remiss. Alexander III. Triburiensi Archiep. scribens, dicit: *Si autem illi, qui aliquos dies in pane, & aqua ex injuncta sibi pœnitentia tenentur peragere, panem, quo vescantur, non habent, leguminibus, aut piscibus, aut aliis cibariis reficiantur, si necessitas id exposcat: discretione tamen adhibita, quod his non ad delicias; sed ad sustentationem utantur*. Quoad illos autem ru-

sticos, & pauperes, qui tales sint, ut herbis, & leguminibus, pane, ac fructibus, ut plurimum vescantur, ex piscium penuria nedum carnes comedere non possunt, verum & nec lacticinia in diebus jejuniorum, nisi aliud necessitas exposcerit, vel Ecclesiastica potestas indulserit.

Prædictæ doctrinæ extensio proponitur.

LXXXVII. Huc spectare videntur filii familias, uxor, servi, sive famuli, & ancillæ, quæ e mensa domini vivunt; ac dependentes, qui scilicet ab alio sustentantur. Et multo magis si filius, uxor, servus, famulus, vel ancilla, qui e mensa patris, viri, domini vivunt, in sui sustentatione, a patre, viro, domino, vel ab alio pendent, pater autem vir, dominus, vel alius, a quo sustentatio pendet, ac domum gubernat, in die jejunii comedendos in meridie cibos pararet, qui non sufficerent: posset enim tunc filius, uxor, servus, famulus, ancilla, vel alius quicunque in sensu exposito dependens, absque ullo scrupulo vel in serotina refectione suæ indigentiæ satisfacere; vel in meridie parum cibi sumere, jejunium invertens, sero scilicet comedere; eoque modo, exigente necessitate, a jejunii conditionibus sese eximere, quo minus Ecclesiæ menti contraire judicaverit, prout cap. 3. discussum est.

Qua ratione prædicta extensio procedat quoad praxim explicatur.

LXXXVIII. Id autem intelligendum est, si inviti, & non ex industria, neque in jejunii fraudem sic constituantur, Sic enim rebus positis, quoad prædictos dependentes, non videtur scrupulose agendum, si sine gravi incommodo secus agere non possunt, Quod si in servando jejunio ab Ecclesia præcepto, detrimentum sit leve, servari debet; neque proinde ab ulla jejunii conditione exemptio consurgeret: quod si detrimentum in se leve, ex circumstantiis tamen grave fiat, & inevitabile; tunc ab eo jejunio servando, pro-

prout necessitas exegerit, juxta exemptionis ordinem cap. 3. discussum, exemptio consurgeret, dummodo inviti, & non in jejunii fraudem in exemptionis necessitate constituti, dignoscantur.

LXXXIX. Quocunque autem casu proprii individui necessitas immineret, cui jejunium servans, subvenire non poterit, poterit autem non jejunans, vel aliquam jejunii conditionem non servans; tunc jejunium, vel aliquam ejus conditionem, prout necessitas exegerit, omittere potius deberet, quam proprii individui notabile detrimentum sustinere liceret. Ex illo enim Gen. 1. v. 28. *crescite* proprii individui conservatio omnino præcipitur, quæ ad charitatem pertinet. Quocunque igitur inevitabili modo proprii individui conservatio per jejunium, vel aliquam ejus conditionem impediretur, ab hujusmodi jejunio, vel aliqua ejus conditione oriretur exemptio, dicente Apostolo: *Adversus hujusmodi non est lex*.

Licitæ praxis ratio quoad totam hanc positionem iterum explicatur, ac roboratur.

XC. Ex quibus exemptionis discretio oriri dignoscitur: Sicut autem cum notabili detrimento exemptionem oriri, ita notabili detrimento non consurgente nec exemptionem consurgere innotescit. Quod explicans Magnus Tostatus in cap. 6. Matt. q. 135. Lit. d. quærens, quid requiritur, ut jejunium frangens, peccet, vel non peccet, sic ratiocinatur: *Requiritur, quod quicunque frangere vult jejunium, habeat causam rationabilem ad hoc faciendum, talem, quam si legislator vidisset, dispensaret cum eo, vel non obligasset ad jejunandum, & tunc poterit jejunium frangere sine peccato mortali*. His ergo positis circumstantiis, a jejunio, vel aliqua ejus conditione oriretur exemptio; secus vero rationabili caussa deficiente; sic enim prosequitur: *Frangens jejunium, peccat mortaliter, si nullam causam ha-*

Hujus tertiæ positionis solutio quoad licitam, vel illicitam exemptionem ulterius explicatur.

habeat rationabilem: Et notandum quod subjungit: *Cum autem habent causam, aliquando nihil peccant, aliquando autem venialiter solum secundum differentiam causæ, pro qua jejunium solvunt.*

Prædictæ doctrinæ ratio assignatur.

XCI. Cujus ratio illa esse poterit, quæ in exposit. cap. 6. Matt. q. 137. col. 1. Litt. K. ab eodem tangitur, dicente: *Lex... habet vigorem a legislatore; ideo quando discordat ab intentione ejus, scilicet quia non dirigit in bonum, sed est occasio mali, non est servanda, quia hoc potius esset agere contra legem.* Uti nempe contingeret, rationabili exurgente causa, ut jejunium solveretur. Tunc enim jejunii custodiam contra Legislatoris mentem esse nemo sanæ mentis ignorat. Quocunque autem modo in ciborum penuria, aliave necessitate, data opera, se constitueret, ut ad jejunium, vel aliquam ejus conditionem impotentem se redderet, peccaret; non quidem eo quod non jejunaret, factus impotens, sed eo quod voluntarie impotentem se reddiderit, & in jejunii fraudem egerit.

Qua ratione jejunii exemptio, a confessario impositi, adhuc necessitate urgente, intelligi debeat, declaratur.

XCII. Quod si jejunium sit ex confessarii præcepto, tunc, quantum ad individui conservationem attinet, si detrimentum non esset, notabile, jejunium servare teneretur: quod si notabile, & inevitabile esset, tunc ab hujusmodi jejunio, prout necessitas exposcerit, exemptio consurgeret; nec sic agens peccaret, dummodo invitus, & non in jejunii fraudem ad has angustias redactus dignosceretur; secus vero si ex industria factus impotens dignosceretur. Confessarii namque præceptum non magis obligare videtur, quam illud veteris legis, quo scilicet præter sacerdotes nullus poterat propositionis panes comedere: quod sane licet de jure divino extiterit. Lev. 24. v. 9. *Eruntque*, propositio-

tionis panes, *Aaron, & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto: quia Sanctum Sanctorum est de sacrificiis domini jure perpetuo*; David tamen Saulis iram fugiens, & Nobe civitatem ingrediens, ab Achimelech sacerdote, fame urgente, aliis deficientibus cibis, propositionis panes oblatos comedit juxta illud 1. Reg. 21. v. 6. *dedit ergo ei Sacerdos Santificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis*: quod sane Davidis factum, utpote in necessitate constituti, a Christo domino approbatur; nacta enim occasione ex Pharisæorum scandalo, eo quod discipuli ejus, urgente fame, spicas vellerent die sabbati, & manducarent, non solum eos, necessitatis caussa, excusat, verum & David exemplo Matt. 12. v. 3. Pharisæos exprobrat, dicens: *Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant*. v. 4. *Quomodo intravit in domum dei, & panes propositionis comedit*, (accepit nempe a Sacerdote in domo dei, non tamen in domo dei comedit) *quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?*

XCIII. Id autem quoad jejunium a confessario impositum, pro imminente tantum necessitate licere intelligimus, quatenus scilicet, ea urgente, ad impositum jejunium servandum non tenetur: non proinde tamen ab illo servando opere omnino eximeretur. Unde, ut alibi dictum est, a jejunio, aliove opere, a confessario imposito, etiam exemptionis urgente necessitate, sive illud implendi emergente impotentia, non absolute, ac proprie exemptio, sed in aliud salutare opus commutationis ratio exurgeret, per confessarium faciendæ.

Idem quoad jejuniũ, a confessario impositum, continuatur, & concluditur argumentum.

XCIV. Positio IV. dictante universalis Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto, vel particula-

An ad naturale bonum in se-

ipso conservandum, dictante jejunium humano jure, ab hujusmodi jejunio exurgere possit, exemptio, discutitur, ac resolvitur.

laris dioecesis lege, aut consuetudine, vel Episcopi, aut confessarii praecepto, in uno jejunium, aliudve opus; & jejunans aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, naturale animae, corporisve bonum conservare, vel acquirere; tunc ad naturale animae, corporisve bonum in seipso conservandum, vel acquirendum, ab hujusmodi jejunio, sub quacunque ratione ex humano jure procedente, considerato, secundum se exemptio non consurgeret. Non casu dictum est *secundum se*. Si enim naturalis animae, corporisve boni privatio, seu amissio physicum animae, corporisve malum traheret, tunc eo, quo superiori positione tertia a n. 46. ac deinceps discussum est, modo ab hujusmodi jejunio, ex humano jure procedente, exemptio consurgeret.

Idem prosequitur explicandum.

XCV. Ad quod explicandum, sic ratiocinari videor: si ex physici animae, corporisve boni, ad quod conservandum impediretur jejunans, privatione, seu amissione, non proprie physicum animae, corporisve malum, quale esset e. g. delirium, phrenesis, mutilatio, visus amissio, &c. sed boni physici tantum diminutio sequeretur, qualis esset e. g. reminiscentiae, visus, auditus, vel sanitatis diminutio, si hujusmodi boni physici diminutio cum physico malo conveniret, tunc, ut in superiori positione 3. n. 46. ac deinceps diximus, ad corporalis sanitatis diminutionem impediendam, ab hujusmodi jejunio, ex humano jure, sub quacunque ratione procedente, exemptio consurgeret: quod si physici boni diminutio cum physico malo non conveniret, sed physici boni perfectionem tantum excluderet, qualis esset perfectissima memoria, perfectissimus visus, perfectissima corporis sanitas &c. tunc si ex hujus perfectionis defectu semper, vel passim, pensatis om-

omnibus, notabile incommodum in patiente sequeretur, quod per jejunii omissionem impediretur, vel saltem magna ex parte diminueretur; ad hujusmodi notabile incommodum impediendum, sive diminuendum, a jejuniis, ex humano jure procedentibus, exemptio consurgeret. Quod si jejunii omissio ad notabile illud incommodum sive impediendum, sive diminuendum, sive repellendum non conduceret, tunc etiam durante illo incommodo, ab hujusmodi jejunio exemptio non consurgeret.

Prædicta doctrina ex Angelico confirmatur.

XCVI. Placet autem ad quartam hanc positionem stabiliendam, Angelici doctrinam adducere, in 4. dist. 15. q. 3. art. 1. q. 2. ad 3. sic ratiocinantis: *secundo accipitur valetudo corporis secundum optimam corporis dispositionem: Et quia caro in suo robore consistens, difficilius spiritui subditur, ideo necessarium ad valetudinem, sic acceptum*, quod scilicet medium sit non ad sanitatem simpliciter, sed ad optimam sanitatis dispositionem, *etsi licite accipi potest, tamen laudabiliter subtrahi potest: & talis subtractio*, hujusmodi scilicet medii omissio, ad sanitatis perfectionem necessarii, *non multum mortem accelerat, cum corpus humanum inveniatur frequentius ex superfluitate, quam ex defectu mortales ægritudines incurrere: unde etiam Galenus dicit, quod summa medicina est abstinentia*. Unde abstinentes diutius vivunt juxta illud Eccli. 37. v. 34. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam*. Et ideo concludit ibidem Angelicus: *Prædicta subtractio*, illa scilicet mediorum omissio, non ad sanitatem simpliciter, sed ad valetudinis perfectionem necessariorum, *non potest dici mortis occasio, cum se habeat ad utrumque, scilicet ad prolongandam vel breviandam vitam: subtractio autem ejus, quod non est necessarium, nec hoc, nec illo*

illo modo, est de necessitate virtutis temperantiæ. Unde, etiamsi ad talem valetudinis perfectionem conservandam, vel acquirendam, jejunii omissio medium necessarium reputetur, ac sit; tamen eo quod valetudinis perfectio ad conservandam vitam necessaria non sit; inde ad eam conservandam, vel acquirendam, præceptum jejunium omittere non tenemur, nec possumus; nisi aliud evidens necessitas exposcerit, ac faciendum dictaverit.

Prædicta solutio ulterius explicatur, & concluditur

XCVII. Advertendum autem hic est, quod licet ad valetudinis perfectionem acquirendam, vel conservandam etiam ex d. Thoma ab Ecclesiæ jejuniis exemptio secundum se non consurgeret; contra vero, si, boni hujusmodi perfectione deficiente, aliud sequeretur incommodum: tunc enim, pensatis omnibus, exemptionis judicium ferri poterit. Unde Caetanus 22. q. 147. art. 3. in fin. mulierem excusat, si ex jejunio macilenta, a viro suo despiceretur, dicens: *Et propter hanc rationem uxor, quæ ex jejunio macilenta, minusque grata viri sui oculis appareat, & hinc despici, aut minus amari se conspicit ab eo, excusatur a jejunio, quoniam ipsa tenetur se conservare gratam viro suo.* Non quidem ex pulchritudinis defectu secundum se, sic enim exemptio non consurgeret, sed ex aliis secuturis incommodis; quibus minime sequentibus, ex pulchritudinis defectu ab Ecclesiæ jejuniis non orietur exemptio; ut contingit in puellis, quæ juris sui sunt, quarum corpulentiæ defectus, etiam si minus gratas quibusdam eas redderet, non proinde ab Ecclesiæ jejuniis exemptionem traheret; etsi cæteroquin jejunantes macilentiores evaderent. Quocunque autem modo jejunii, a confessario impositi omissio, ad physicum animæ, corporisve bonum in sensu exposito conservandum

dum, vel acquirendum, necessaria judicetur, nunquam ab hujusmodi jejunio exemptio, sed commutationis ratio consurgeret.

XCVIII. Positio V. dictante universalis Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto, vel particularis diœcesis lege, aut legitima consuetudine, vel Episcopi, aut confessarii præcepto in uno jejunium, aliudve opus; & jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, externa bona sibi conservare, vel acquirere; tunc ad externa bona sibi conservanda, vel acquirenda, quæ personæ conditioni, aut statui, vel dignitati necessaria, vel congrua judicantur, ab hujusmodi jejunio, aliove opere ex humano jure procedente exemptio consurgeret: Quod si nec personæ conditioni, nec statui, nec dignitati necessaria, vel congrua judicentur; tunc ad ea conservanda, vel acquirenda, ab hujusmodi jejunio ex humano jure procedente, exemptio non consurgeret. Quod si externorum bonorum privatio, seu amissio aliud traheret mali incurrendi, bonive amittendi periculum; tunc mali, bonive pensata qualitate, ac periculo, juxta allatas hactenus positionum solutiones, exurgeret, vel non exurgeret exemptio.

An ad externa hominis bona in seipso conservanda, vel acquirenda, dictante jejunium humano jure, consurgere possit exemptio, discutitur ac resolvitur.

XCIX. Qua super re Navarrus in suo Manuali de præceptis Ecclesiæ cap. 21.n. 16. quoad status honestatem conservandam sic habet: *Secunda causa, scilicet necessitas excusat quem a jejunando, quoties oportet facere ipsum aliquid impatibile, illi ad vitæ, aut sui status decori conservationem necessarium, aut ad vitandum damnum aliquod notabile, aut lucrandum aliquid, quod raro lucrifieri potest.* Et Caetanus 22. q. 147. art. 3. in fine sic habet: *Si oportet aliquem laborare, quia ex solo labore vivere potest, aut si-*

Prædicta doctrina ex doctorum placitis roboratur.

ne talis laboris mercede non potest habere omnia necessaria ad sanitatem, vel statum temporalem sui, & suorum, puta, quia est faber & sine continuo exercitio non potest vivere ipse cum sua familia juxta gradum suum, & dotare filias, & tenere filium in studio, & vestire suos ut decet suam conditionem, & alia hujusmodi. Si scilicet ad suum statum conservandum, talia agere quis debet, cum Ecclesiæ jejunio servatu impossibilia tunc non ab illis agendis, sed ab Ecclesiæ jejunio, aliove opere, ex humano jure procedente, oriretur exemptio. Idque ipsum referens, sic pergit ibidem, dicens: *Similiter ad vitandum damnum non solum repente occurrens, puta propter bellum imminens, sed simpliciter, puta, quia mercator, si non cito pergit, aut perficit talia opera, damnificatur in rebus suis. Et similiter si damnum lucri cessantis repente accidit, ut de piscatione alectium dicitur. In omnibus enim dictis casibus, & similibus necessitas excusat a jejunio Ecclesiæ, ex quo simul cum his operibus non possunt jejunare.*

Quo sensu tenenda doctrina intelligi debeat, aperitur.

C. Id autem non ad quamcunque honestatem sed ad illam solum, quæ necessitati, vel personæ conditioni, aut dignitati, seu officio non superflua, sed congrua judicabitur, conservandam, intelligi debet. Unde dicendum videtur, quod, si ad honorem obtinendum, vel conservandum per extrinsecam honestatem ex superfluo vestium cultu, sive ad hominum gloriam captandam, vel ad delicias prosequendas, sive consequendas, jejunii omissio valeret; tunc ad supradicta prosequenda, sive consequenda in sensu exposito ab Ecclesiæ jejunio, sub quacunque ratione procedat, exemptio non consurgeret. Non ergo quis ullo modo poterit ad prædicta conservanda, vel acquirenda in sensu exposito, je-

ju-

junium frangere, vel illud solvendi periculo se exponere. Ad illum autem honorem, sive honestatem conservandam, vel acquirendam, suæ conditioni vel dignitati, seu officio debitam, ac proportionatam, si quidem id necessitatem quamdam redolet, quam jejunans repellere non potest; tunc ad illam honestatem, ex rationabili caussa consequendam, vel acquirendam, cum Ecclesiæ jejunio, aliove opere servatu impossibilem, ab hujusmodi jejunio, aliove opere orietur exemptio. Quin immo si honor, sive honestas injuste amissa fuerit, ac per extrinsecam, ac proportionatam honestatem in suo decore restitueretur; si hujusmodi honestas, servato Ecclesiæ jejunio, acquiri non posset, etiam ad illam in sensu exposito acquirendam ab Ecclesiæ jejunio oriretur exemptio. Quin immo sive juste, sive injuste amissus fuerit honor; si quidem poterit per extrinsecam vestium &c. honestatem, ubinam saltem amissus non fuerit, instaurari, illic ad illum instaurandum, cum jejunio servatu impossibilem, ab hujusmodi jejunio, vel aliqua ejus conditione exemptio consurgeret.

CI. Cujus ratio esse poterit, quia, licet jejunium, honestas, ac modestia ad temperantiam pertineant; quia tamen jejunium, nedum quatenus abstinentiæ actus est, quæ temperantiæ pars subjectiva est, magis participat de ratione virtutis ipsius temperantiæ, quam sit honestas, quæ ipsius temperantiæ pars tantum integralis est; vel quam sit modestia, quæ temperantiæ quid extrinsecum est; & per hoc adhuc sub temperantiæ ratione jejunium honestate, ac modestia nobilius sit, ac propterea præferibilius: verum & quatenus ad spiritus utilitatem directius, quam vestium modestia, vel honestas ordinatur, quod charitatem spectans, extrinsecæ corporis honesta-

Tenendæ doctrinæ ratio, ulterius discussa, per discretionem assignatur.

ſtati præferri debet; inde fit, quod in concurſu jejunii, ex Eccleſiæ præcepto procedentis, ac honeſtatis, ſeu modeſtiæ ſervatu impoſſibilium, jejunium ſecundum ſe præferri debet. Non ergo ad extrinſecam honeſtatem conſervandam, vel acquirendam, cum jejunio ſervatu impoſſibilem ab hujuſmodi jejunio *ſecundum ſe* exemptio conſurgeret, ſed ſolum ſi neceſſitati, perſonæ conditioni, dignitati, vel officio non ſuperflua, ſed vel neceſſaria, vel congrua judicabitur. Quæ ſane honeſtas ſive in indumentis, ſive in rebus domeſticis, aliiſque conſiſtens, ea congrua dicitur, quæ nec neceſſitatem, nec perſonæ conditionem, nec dignitatis gradum, nec officii uſum excedit. Iſthæc ergo exemptionis ratio, in ſenſu expoſito exurgens, non directe ab illa extrinſeca honeſtate conſervanda, vel acquirenda procederet, ſed potius ex ratione charitatis; ex eo ſcilicet, quod ex hujuſmodi honeſtatis defectu perſonæ dedecus, vel triſtitia, vel forte apud alios murmurationis occaſio, vel dignitatis contemptus, cum publici boni, ac familiæ &c. detrimento conſurgeret.

Idem proſequitur per diſcretionem argumentum.

CII. Et certe ſi cum tuenda fama, vel acquirenda, Eccleſiæ jejunium componi non poſſit, omnino ab Eccleſiæ jejunio exemptio conſurgeret. Et multo magis oriretur exemptio, ſi periculum eſſet non quidem famæ, vel honoris conſervandi, ſed poſitivæ infamiæ, vel dedecoris incurrendi. Quin enim infamia ſcandalum generare ſolet, quod charitati opponitur: inde ſi ad illam infamiam impediendam, ſive avertendam, talia ſuſcipere oporteret media, vel corporis fatigationem, vel quid aliud expediret, cum jejunio, aliove opere, ab humano jure procedente, ſervatu impoſſibile, tunc ab hujuſmodi jejunio, aliove opere exemptio conſurgeret.

Un-

Unde Angelicus de obligatione conservandi famam, eloquens, in sua 22. q. 33. art. 7. c. sic procedit: *Quæ quidem*, scilicet fama, *est utilis primo quidem ipsi peccanti, non solum in temporalibus, in quibus, quantum ad multa homo patitur detrimentum, amissa fama, sed etiam quantum ad spiritualia, quia præ timore infamiæ multi a peccato retrahuntur; unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrenate peccant..... secundo debet conservari fama fratris peccantis: tum quia, uno infamato, alii infamantur*, de aliis scilicet similia credendo; *tum etiam quia ex peccato unius publicato, alii provocantur ad peccandum*. Unde si quis domo exiens, sui capturam, vel aliud notabile, ad famam pertinens, detrimentum rationabiliter timeret; & domi inclusus, rebus sic positis, esurialies cibos ad sui sustentationem sufficientes, non haberet, vel vix pro unica comestione sufficerent, posset, exemptionis ordine servato, cap. 3. discusso, ab Ecclesiæ jejunio, aliove opere, cum sui custodia servatu impossibili, sine scrupulo eximi.

CIII. Nec refert, quod quis sui status honestatem conservandam, neque ad deum, neque ad aliorum utilitatem ordinare cogitaret. Licet enim ad id ex gravi, vel levi culpa ex alio capite teneatur, quantum tamen ad jejunii exemptionem attinet, in sensu exposito inducendam, sufficit, quod honestas personæ conditioni, dignitati, vel officio proportionata, cum jejunio, aliove opere, ex humano jure procedente, servatu impossibilis dignoscatur; non secus ac, sub alia licet ratione, etsi quis in servando jejunio plures adjungeret culpas, e. g. hypocrisim, vanam gloriam, avaritiam &c. Si tamen quoad jejunii actum illud servaret, atque interius animum excluderet secus non servandi jejunium,

Prædicta solutio ulterius discussa, explicatur, ac roboratur.

re-

revera jejunii præceptum impleret, etsi sub aliis rationibus per adnexas culpas peccaret: ita licet quis in sui honestate servanda, suæ personæ conditioni, dignitati, vel officio proportionata, plures adjungeret culpas, vanitatem scilicet, seu vanam gloriam, neque ad deum referendo, neque aliorum utilitatem intendendo, si tamen in ea conservanda, vel acquirenda honestate, suæ personæ conditioni, dignitati, vel officio debitam proportionem non excederet, atque interius animum, seu pravum affectum secus non jejunandi, seu jejunii præceptum non servandi excluderet; si ad proportionatam honestatem in sensu exposito conservandam, vel acquirendam jejunium servans, pervenire non posset, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ex humano jure procedente, orietur exemptio. Quia igitur honestas, in sensu exposito proportionata, secundum se licita est, atque ad jejunii præceptum, servatu impossibile, ab ea decidere nolentem, Ecclesia non constringit; inde fit, quod etsi proportionatæ honestati intendens, sub alia ratione peccaret, dummodo tamen pravum animum secus non implendi Ecclesiæ præceptum excluderet, a jejunii lege sive in totum, sive in partem excusaretur. In his autem, ac similibus ex consilio alicujus periti Theologi, ne falso necessitatis judicio sese exponeret, jejunii exemptio licita reputari poterit, secus vero ex proprio indigentis, sive aliud ex Ecclesiæ precepto opus impleturi, judicio decidendum est.

Non contemnenda disparitas hujus cum tertiæ positionis solutione assignatur.

CIV. *D*isparitas autem quare quoad individui sustentationem, gravi urgente necessitate, facilius sine alterius judicio solvere jejunium possumus, secus vero, si de honore, vel fama tuenda, sive acquirenda, sermo procedat, hæc esse poterit: præceptum enim naturale-divinum Gen. 1. v. 28.

cre-

crescite, in nostro hoc opere sæpe relatum, in particularibus circumstantiis clarius patet observandum, quam sit illud Eccli. 41. v. 15. *Curam habe de bono nomine*. Et quia, si motivum sit evidens, alterius judicio opus non est; idcirco adhuc posito jejunii præcepto, ex evidenti tamen motivo notabilis detrimenti conservationis individui, etiam alterius judicio non audito, solvere illud possumus: contra vero: quia in peculiaribus circumstantiis conservandi honorem, & famam, sive dedecus, vel infamiam avertendi, non clarius apparet dari sufficiens motivum solvendi jejunium; immo & quandoque passione ducti, per improportionata media, vel etiam excedentia, honoris sive honestatis, vel famæ conservatio prætenditur; idcirco ex hac ratione gravis nempe detrimenti honoris, vel famæ, jejunii solutio absque alterius judicio non permittitur, nisi ad summum in casibus imminentibus, & gravibus; ac similiter in illis, in quibus non posset de facili alterius judicium exquiri.

CV. Licet autem inter bona externa etiam amicorum gratia adnumerari possit; amici tamen gratia sive peregrini, vel hospitis jejunium solvi non potest, nisi charitatis ratio ad id cogere dignoscatur, ut de S. Spiridione Episcopo legitur. Quod enim quadragesimali tempore peregrino cuidam advenienti, carnem porcinam præparaverit; quin & ipsemet Spiridion comederit; id sane ex charitate motus peregrino licite apposuit; immo & ipsemet comedere judicavit: quippe cum peregrinus fessus esset, ac famelicus, nec haberet S. Episcopus, quod ex quadragesimalibus cibis apponeret, licite carnes, quas habebat, præparatas apposuit: excusatur etiam ipse ex charitatis ratione eas cum peregrino manducans; cum enim peregrinus ille, licet fessus, & in ne-

An amicitiæ ratio ad relaxandum jejunium secundum se sufficeret, discutitur ac resolvitur.

 ces-

cessitate comedendi constitutus, horreret carnes in quadragesima comedere, neque ad eas comedendas adduci posset, se peccare putans; ad hunc errorem tollendum ipsemet Spiridion ex duplici charitatis ratione ductus, ne scilicet peregrinus ille cum vitæ periculo a carnis comestione abstineret, vel ab ea comedenda non abstinens, ne retrahente conscientia, comederet, etiam ipse cum peregrino carnes comedit. Unde quam inepte ex hoc S. Spiridionis facto aliqui laxitatis amatores intrepide habenas laxant, dicentes, licere amici gratia frustilla cibi sumere, vel etiam ex cibis vetitis comedere, ne contristetur amicus! Quod siqui Patres asserant, amici gratia posse relaxari jejunium, id non de jejuniis ex aliena voluntate, lege scilicet, vel superioris præcepto impositis, sed de illis, quæ libere, & ex propria devotione suscipiuntur, intelligi debet. Et tunc ad charitatem fovendam amicitiæ gratia jejunium libere susceptum, relaxare virtus est, nedum quoad comestionem, verum etsi opus esset, quoad ciborum delectum; nisi, etsi ex libera voluntate susceptum, voto, vel juramento confirmatum fuerit; tunc enim nisi ex necessariæ charitatis ratione relaxari non poterit, immo & relaxatum alio die impleri, vel in aliud salutare opus jejunium illud votum, vel juratum commutari deberet. Horum autem ratio esse poterit, quam assignat Angelicus in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. q. 1, ad 1. *Præcepta dei sunt de eo, quod est de necessitate salutis secundum se; & ideo in quolibet casu observari illa oportet: sed præcepta Ecclesiæ quamvis vim obligandi habeant ex actu præcipientium, non tamen semper obligant propter materiam, in qua proponuntur*. Unde ex rationabili motivo, relaxari Ecclesiæ jejunium potest, nec in alium diem implendi relaxati Ecclesiæ jejunii ob-

obligatio remanet; contra vero si votum, vel juratum existat jejunium.

CVI. Regula autem, ut superioris præceptum non obligare præsumatur, ex eodem Angelico loc. cit. in respons. ad quæst. 2. assignatur, sic ratiocinante: *Ad secundam quæstionem dicendum quod præceptum a legislatore positum, tunc solum ad observandum non obligat, quando ejus observatio intentionem legislatoris evacuat, vel impedit, qua intendit homines inducere ad virtutem, vel bonum statum eorum, quibus legem proponit.* Non est autem superioris mens, ut cum infamia, dedecore, vel bonorum jactura, ad congruam honestatem conservandam, sive acquirendam necessariorum, jejunium servetur: Et viceversa: Non est superioris mens, ut sine rationabili caussa, ut esset ad superflua conservanda, vel acquirenda, a præcepto jejunio consurgat exemptio.

Exemptionis ratio quoad præsens roboratur, & per discretionem concluditur

CVII. Nec otiose sæpe dictum est: *dummodo animum, seu pravum affectum non jejunandi excluderet.* Quia enim Ecclesiæ præcepta obligant in conscientia; inde nedum opus non ponendo, ab Ecclesia præceptum, verum & per animum illud non servandi peccatur. Non secus ac siquis in die festo e. g. SS. Apostolorum Petri, & Pauli ex rationabili motivo sacrum audire non posset, ex hoc certe non peccaret; etsi pravum animum præcepto non satisfaciendi haberet, non quidem ex cognitione quatenus servare non posset, sed ex pravo affectu non servandi præceptum, etiam si posset; utique peccaret; non quatenus non audiret, factus impotens, sed ex interiori pravo affectu non satisfaciendi præcepto, etsi audire posset; licet illud audire posse impossibile dignosceret. Nec non & mutato casu: quis neget eum peccare, si absque rationabili caussa,

Ex pravo animo non servandi jejunium, etiam legitime exemptus quo sensu peccare posset declaratur.

ſa, animum haberet non audiendi ſacrum, licet cæteroquin, mutata voluntate, illud poſtea audiret? Adeo igitur verum eſt, interiorem animum, atque bonum affectum ſervandi Eccleſiæ præceptum magis expedire, quam illud ex rationabili cauſſa non ſervare, ut, eo excluſo, ſeu pravum non implendi affectum habens, contra Eccleſiæ præceptum ageret, licet poſtea illud impleret; contra vero animum, & effectum implendi præceptum, habens, licet ex rationabili cauſſa illud non impleret, non peccaret. Appoſite autem quoad præſens ſic videtur ratiocinandum: Licet is, qui ex rationabili cauſſa jejunium, ab Eccleſia præceptum, aliudve opus non ſervaret, ex hoc non peccaret; quia tamen interius non quidem ad poſitivum actum eliciendum, ſervandi præceptum, ſed ad negativum ſaltem actum, non ſervandi ſcilicet præceptum, excludendum tenetur; idcirco, licet per hoc, quod opus externum ex rationabili cauſſa non ponens, a præcepti jejunii transgreſſione excuſetur: quia tamen Eccleſiæ præcepta in conſcientia obligant; inde a præcepti transgreſſione non excuſaretur quoad culpam, ſi animum, ſeu pravum affectum illud in ſenſu expoſito non ſervandi haberet. Quoad jejunia autem, aliave opera a Confeſſario impoſita, quocunque caſu impleri non poſſent, non proprie exemptio, ſed vel illa differendi, vel in alia pia opera per confeſſarium commutandi, onus emergeret.

SUP-

SUPPLEMENTUM.

Superioris doctrinæ quoad jejuniorum, ex humano jure procedentium, exemptionem, sub qua ratione in alterius favorem subsistere, vel non subsistere possit expositio, per quinque positiones proponitur, discutitur, ac resolvitur.

CVIII. Discusso superiori §. an, quando, & quomodo, humani juris jejuniis, exemptionisque motivis, in uno tantum concurrentibus, respectu ejusdem exemptio consurgat; in hoc supplemento, an, quando, & quomodo humani juris jejuniis in uno, secus vero exemptionis motivis, in altero autem motivis non quidem exemptionis a jejunio, quod in altero non ponitur, sed quæ mali, bonive periculum inducerent concurrentibus, in alterius adjutorium in illo uno ab hujusmodi jejuniis oriatur exemptio, si scilicet jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, a mali, bonive periculo alterum liberare discutiendum, ac resolvendum assumimus.

Hujus supplementi ab anteriori §. discretionis intelligentia aperitur

CIX. Positio I. dictante in uno universalis Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto, vel particularis diœcesis lege, aut legitima consuetudine, vel Episcopi, aut confessarii præcepto jejunium, aliudve opus; Et ille unus jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans malum divini honoris læsivum in altero impedire, vel repellere; tunc ad malum divini honoris læsivum, in altero impediendum, vel repellendum, in illo uno ab hujusmodi jejunio, aliove opere oriretur exemptio. Unde bene advertit Concina cap. 23. n. 12. dicens. *Ad evitandum peccatum in-*

An ex humano jure ad jejunium adstrictus, ad impediendum in altero malum divini honoris læsivum, a tali jejunio eximi possit, discutitur, ac resolvitur.

incontinentiæ, tenetur conjux debitum reddere sub gravi culpa, etiamsi (quod vix contingere potest) frangere jejunium deberet. Quia enim tenetur homo proximum diligere, sicut seipsum; inde si jejunii observatio in uno, charitatem, seu amicitiam dei tolleret in altero, jejunii lex pro illo casu in illo uno non daretur, ut in S. Spiridione supra n. 105. vidimus, qui ne hospes ille scandalum acciperet, quasi non liceret etiam cum gravissima necessitate carnes in quadragesimæ diebus comedere, ex hac ratione & ipse cum hospite carnes comedit. Quid simile autem non videtur, si duo inimici in die jejunii sibi invicem reconciliaturi occurrent; quorum unus, qui jejunaret, esuriales cibos sibi præparasset, qui pro seipso tantum sufficerent; alteri autem, qui ad jejunium non teneretur, ut procedit, cibos non esuriales, carnes nempe præparasset; & ille unus esuriales tantum cibos, secus vero carnes comedens, scandalum de ficta reconciliatione huic præberet; neque reconciliatus inimicus, carnes comedens, sive comesturus, in contrarium adduci posset: tunc enim non posset ille unus, ad jejunium adstrictus, ad impediendum scandalum carnes cum reconciliato inimico comedere; quia in facto S. Spiridionis semper vigebat necessitas, ne scilicet peregrinus fame periret; in casu autem posito, semel, vel bis admonito inimico, alia obligatio non consurgeret. Cæterum si adeo tenax esset reconciliati inimici pertinacia, ut, ab illo ad jejunium adstricto carnes simul cum reconciliato inimico non comedente, nullo modo adduci posset in contrarium, propter quod inimicitia duratura dignosceretur; ex præcipientis mente qui jejunii præcepto charitatis rationem præferri & scandalum auferri velle præsumitur, in charitatis favorem in illo ca-

casu ad ciborum delectum non adstringi dempta fraude, tuto meo videri teneri poterit. A jejunio autem, a confessario imposito, nunquam exemptio, sed vel dilationis, vel commutationis ratio emergeret.

CX. Positio II. dictante in uno universalis Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto, sive particularis diœcesis lege, aut consuetudine, vel Episcopi, aut confessarii præcepto jejunium, aliudve opus; & ille unus jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, supernaturale bonum in altero conservare, vel acquirere; & tunc, si supernaturalis boni privatio, seu amissio malum divini honoris læsivum in alterum traheret, ut superiori positione diximus, ab hujusmodi jejunio, aliove opere ex humano jure procedente, in illo uno in alterius favorem exemptio consurgeret.

An ex humano jure ad jejunium adstrictus, ad supernaturale bonum in altero conservandum ab hujusmodi jejunio exemi possit. discutitur, ac resolvitur.

CXI. Quod non eo solo sensu intelligitur, quo alteri malum divini honoris læsivum proxime immineret, vel existeret, verum etiam si ex animarum zelo ad peccata, in aliis impedienda vel repellenda, laborem, cum jejunio servatu impossibilem, suscipere oporteret. Unde ad spiritualem necessitatem in proximo sublevandam, ab hujusmodi jejunio, aliove opere in illo uno oriretur exemptio. Qua de re in 22. q. 147. art. 3. in fine sic ratiocinatur Caetanus: *Excusat quoque multo magis necessitas spiritualis: Nam si ad vitam spiritualem sui, vel alterius oporteret aliquid incompatiens jejunii perficere puta longam diætam facere, aut ex officio, vel obedientia prædicare, vel confessiones audire, docere verbo, vel scripto aut aliquid hujusmodi, ita quod talis homo non potest, jejunando, aliquid hujusmodi adimplere, excusatur a jejunio. Et simile est de omnibus,*

Prædicta solutio ulterius explicatur, & extenditur.

bus, quæ quis tenetur adimplere. Et notandum quod sequitur: *Ecclesia enim præcipiens jejunia non absolvit hominem ab his, ad quæ alias tenetur, ut prætermissis illis jejunet*. Et pergit: *Pietas deinde excusat, quoties jejunium majoris boni invenitur impeditivum, ut habes in cap. Non mediocriter de consecr. dist. 5. Et ratio est, quia jejunium præceptum est, ut medium promotivum ad spirituale bonum. Constat autem, quod si observaretur, quando est impeditivum majoris boni, tunc contra intentionem legis ageretur: quæ jejunium, ut promotivum, & non ut impeditivum boni præcepit. Intentioni si quidem promovendi ad bonum obstat impedire majus bonum*. Et in calce sui commentarii sic prosequitur: *Nec obstat, quod de consecr. dist. 5. can. Jejunia Gelasius Papa*, (potius Eusebius Papa) *dicit: Jejunia sine rationabili necessitate non solvat*. Ipsissima autem Canonis verba sunt sequentia: *Jejunia, in Ecclesia a Sacerdotibus constituta, sine necessitate rationabili non solvantur*. Pergit autem Caetanus: *Quoniam extra rationabilem necessitatem non est pietas, quoniam valde necessaria est, & magis, quam corporalis jejunii exercitatio juxta illud Apostoli* scilicet 1. Tim. 4. v. 7. *Exerce autem teipsum ad pietatem*, v. 8. *Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*. Et prosequitur Caetanus: *Et hinc fit, ut excusarentur a jejunio, qui ex pietate sponte vacant operibus misericordiæ tam corporalis, quam spiritualis, si jejunium eos ab hujusmodi operibus impediret*. Quod sane in Angelico fundari videtur qui in 4. dist. 15. q. 3. art. 1. q. 2. ad 3. sic eloquitur: *si enim sit tanta abstinentia, quod homo ab operibus utilioribus impediatur,*

quam-

quamvis ad ea de necessitate non teneatur, indiscretum est jejunium, etsi non sit illicitum.

CXII. Idemque intelligi debere sentimus, etiam si pietatis opera ex lucro fiant, si tamen finis ex lucro non sit. Unde Silvius in 22. q. 147. art. 4. sic ratiocinatur: *Majus bonum, quod a jejunio excusat, est opus aliquod sanctum, quod melius est quam jejunium, quodque non potest quispiam simul cum jejunio facere; & tamen vel ex officio incumbit ei illud facere, vel propter singularem utilitatem expedit, quod eo die faciat; vel ex mera pietate solet ei operi incumbere, nec commode potest in alium diem transferre*; & notandum quod sequitur: *Neque hic attendendum est, an lucrum, vel mercedem aliquam temporalem inde percipiat, an vero mere gratis opera illa, quæ jejunio meliora sunt, præstet; sed satis est, quod fiant vel ex officio vel ex pietate, singularive utilitate. Sic a jejunio excusantur concionatores, doctores, confessarii, & similes, vacantes ipsis functionibus, quibus vires multum exhauriuntur; nisi ex circumstantia personæ satis appareat, quod ipsa commode possit utrumque præstare.* Idem sentit Martinus in suo manuali cap. 21. n. 16. dicens: *Tertia causa, scilicet majus bonum, excusat eos, qui non possunt jejunando sanctioribus, & melioribus operibus vacare, quibus non jejunando, vacarent. arg. cap. Non mediocriter de consecr. dist. 5. qualia sunt opera misericordiæ spiritualia, & corporalia, quæ suapte natura sunt actus misericordiæ, quæ est virtus præstantior abstinentia, cujus actus est jejunium.* Quoad eos item, qui ex pietatis operibus lucrum percipiunt, sic pergit ibidem Navarrus: *si principaliter causa se sustentandi, vel misericordiæ, vel cultus dei, & minus principaliter propter mercedem id facerent, ab eo*, Ecclesiæ jejunio, *excusarentur. Quoniam id, quod*

Prædicta doctrina ulterius extensa, declaratur.

quod principaliter intenditur, debet attendi. Nec longe distat præcitatus Caetanus, ibidem dicens: *Qui autem vacant istis*, pietatis nempe operibus, *propter lucrum, ut mercenarii, ex hoc capite non excusantur, sed forte ex alio capite superius dicto scilicet ex necessitate: quia isti non pietatis, sed mercedis gratia operantur: Et propter hoc illi, qui prædicant, aut confessiones audiunt sua sponte, ut lucrentur pecunias, si non possunt simul jejunare, non excusantur propterea a jejunio.* Si scilicet non pietatis affectu, sed lucri gratia operantur; secus vero, si pietatis gratia operantes, lucrum percipiunt.

Principalis hujus positionis doctrina prosequitur explicanda.

CXIII. Nedum autem in illo uno ab Ecclesiæ jejuniis exemptio consurgeret, si ad charitatem in proximo fovendam, sive acquirendam, quæ amicitia est proximi nobiscum cum deo, talia ille unus agere deberet, quæ cum Ecclesiæ jejuniis componi non possent; verum etiam ad conservandum, vel acquirendum in altero charitatis gaudium, quod ad conservandam, vel acquirendam charitatem necessarium sit, talia agere ille unus poterit, quæ ad charitatis gaudium, in altero conservandum, vel acquirendum, aptum medium judicaverit, etiamsi cæteroquin talia agens, jejunium, aliudve opus, ex humano jure procedens, servare non posset, dicente Apostolo: *Adversus hujusmodi non est lex.*

Quo sensu prædicta solutio procedat, declaratur.

CXIV. Et quia non de quocunque gaudio, sed de illo sermo procedit, quod effectus charitatis sit; inde non ad tollendam in altero quamcunque tristitiam, sed illam, quæ charitati opponitur, ab Ecclesiæ jejuniis, aliove opere, ex humano jure procedente, in illo uno consurgere poterit exemptio. Ad tollendam igitur in altero tristitiam illam, quæ potius ex charitate procedit, in

in illo uno exemptio non consurgeret, illaque esset quæ ex Ap. 2. cor. 7. v. 10. *secundum deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur*. Adeo autem verum est ad hujusmodi tristitiam, quæ adversus gaudium spiritus non est, in proximo tollendam, ab Ecclesiæ jejunio aliove opere exemptionem in illo uno non consurgere, ut potius ad illam, in altero conservandam, vel acquirendam, talia ille unus agere possit, quæ cum jejunio componi non possint. Si forte igitur animi tristitia in altero sit, in peccatorum vindictam excitata, ille unus illam fovere, deque illa in proximo excitata guadere potius debebit juxta Apostolum, qui, etsi Corinthium incestuosum, & publicum, ut ex Ep. 1. cap. 5. patet, excommunicans, & postea Epist. 2. cap. 2. absolvens, se Corinthios contristasse confessus sit, eorum tamen tristitiam, ad spiritus utilitatem ordinatam, gaudii causam extitisse declaravit cap. 7. v. 8. dicens: *Quoniam etsi contristari vos in Epistola, non me pœnitet: Etsi pæniteret, videns, quod Epistola illa (etsi ad horam) vos contristaverit*; v. 9 *nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pænitentiam. Contristati enim estis secundum deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* v. 10. *Quæ enim secundum deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur*.

CXV. Quod autem ad præsens attinet, licet jejunium secundum se paci, quatenus fructus spiritus est, non repugnet; quia tamen discordia paci, quæ fructus spiritus est, opponitur; inde quoad tertium fructum spiritus discutiendium nobis est, an revera, ne discordia in proximo oriatur, jejunium solvere, aliudve opus, ex humano jure procedens, omittere ille unus posset, si je-

Principalis hujus positionis doctrina prosequitur explicanda.

ju-

junans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, discordiam in proximo impedire, vel avertere. Et sane si talis in proximo oriretur discordia, seu dissentio, quæ alterius, seu multorum charitatem in re gravi non læderet, ab Ecclesiæ jejunio servando in illo uno exemptio consurgere non videtur; *quia*, ex Angelico 22. q. 29. art. 3. ad 2. *dissentire in aliquibus parvis quasi non videtur esse dissensus. Et propter hoc nihil prohibet, aliquos, charitatem habentes, in opinionibus dissentire. Nec hoc repugnat paci, quia opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum qui per pacem unitur.* Et pergit: *Similiter etiam existente concordia in principalibus bonis, dissentio in aliquibus parvis non est contra charitatem: procedit enim talis dissentio ex diversitate opinionum, dum unus æstimat hoc, de quo est dissentio, pertinere ad illud bonum, in quo conveniunt, & alius æstimat non pertinere. Et secundum hoc talis dissentio de minimis, & de opinionibus repugnat quidem paci perfectæ, in qua plena veritas cognoscetur, & omnis appetitus complebitur; non tamen repugnat paci imperfectæ, qualis habetur in via.* Unde licet ille unus, jejunium, aliudve opus servans, occasio existeret, ut alter diversa sentiens, turbaretur tali turbatione, quæ pacem quoad charitatis substantiam non tolleret, in illo uno ab hujusmodi jejunio, aliove opere servando exemptio non consurgeret: quin immo etiamsi admonitione facta, adhuc in re levi perseveraret dissensio, etiam tali perseverante dissentione, a jejunio, aliove opere ex humano jure procedente, exemptio oriri non videtur.

Disparitas inter causam, & occasionem

CXVI. Disparitatis autem ratio quoad causam, qua talem, peccati etsi venialis, & occasionem, qua talem, in eo sita est, quod, licet

cet quis nullo modo possit causa existere, ut alius venialiter peccet, & quodcunque damnum potius sustinere, quam alium ad veniale peccatum inducere; si tamen ex ejus licita actione, quæ ex præcepto saltem humano debita sit, alius ex sua malitia, vel ignorantia occasionem sumat venialem culpam perpetrandi, non videtur ex hoc posse quis ab opere præcepto servando eximi. Si quis igitur jejunium, aliudve opus, ex humano jure præceptum, servans, occasio existeret, ut alterius pacem, quæ ad charitatem pertinet, in re gravi læderet, & per hoc ille alter charitatem amitteret; teneretur quidem ille unus, quantum posset, gravem illam dissentionem, etiam jejunans, impedire; Et, si jejunans, non posset, posset autem non jejunans, gravem illam turbationem impedire, teneretur ille unus jejunium, aliudve opus ex humano jure præceptum, potius non servare, quam illud servans. gravis dissentionis, quæ charitatem ab altero tolleret, occasio existere; contra vero si levis tantum peccati ex alterius malitia occasio existeret; nec consequenter in hoc secundo sensu ab opere præcepto eximi poterit. Disparitatis autem ratio inter puram peccati levis occasionem, in altero permittendam, qua permissa agere licet; ac gravis peccati occasionem, etsi ex alterius malitia orituram, in altero impediendam, qua exorta, a quocunque opere, etiam præcepto, abstinere potius ille unus debet; disparitatis, inquam, ratio ex ipsamet turpitudinis peccati natura sumitur, cujus maculam in altero impedire magis nobis expedit, quam opus bonum, licet præceptum agere, juxta illud Eccli. 17. v. 12. *Et mandavit illis unicuique de proximo suo*: quod mandatum de proximo suo ille unus non servaret, jejunans, ut procedit. Unde

peccati, sive levis, sive gravis assignatur.

de & pro bono animæ suæ illi uni non expediret jejunare, secus enim divini mandati erga proximum contra animam suam transgressor existeret; sed potius pro bono animæ suæ illi uni expediret non jejunare: quæ sane ex levioribus scandalis, facillime orituris, ab operibus bonis præceptis abstinendi obligatio consurgere non videtur; nisi forte ex circumstantiarum varietate quod secundum se leve scandalum esset, grave judicari deberet, & tunc, ut paulo ante dictum est, solutio patet.

Assignatæ disparitatis directior innotescit expositio.

CXVII. Propinquiore autem ratione directam disparitatem assignare volenti, sic ratiocinari placet: Talis quidem est cujuscunque peccati etiam venialis natura, ut omnia quæcunque bona opera omittere magis expediret, quam venialem maculam contrahere: quia tamen venialia peccata passim occurrunt, eorumque actus ita excusabiles apparent, ut de eorum malitia dubitare possimus; & bona opera præsertim præcepta ad spiritualem progressum maxime utilia sunt; inde fit, quod isthæc ratiocinatio non videtur procedere: *bona opera nobis præcepta, nostræque spirituali saluti proficua præterire debemus, ex eo, quod alter ex sua culpa, vel ignorantia, non nostri caussa, sed boni operis præsertim præcepti implendi occasione, an venialem culpam contrahat, dubitamus*. Sic enim ex multitudine, ac frequentia cum venialium culparum, tum venialiter peccantium, ut plurimum bona opera reprobantium, via sterneretur ad omnia ferme bona opera cum tanta nostri spiritualis profectus jactura, omittenda. Quod sane contra charitatis ordinem esset, talem nempe conatum ad veniales culpas, in proximo impediendas, adhibere, ut cum nostri spiritualis progressus jactura, bona opera etiam præcepta præte-

terire debeamus. Contra vero: quia mortale peccatum ex sua gravitate majori cum certitudine in proximo dignoscitur, atque ex boni nostri operis, præsertim præcepti, occasione ab altero commissum raro contingit; etsi contingit, ex plena alterius malitia contingere solet; inde non mirum, si ille unus jejunans, aliudve opus servans, non possit, possit autem non jejunans, aliudve opus non servans, gravis peccati periculum in altero impedire, ab hujusmodi jejunio, aliove opere exemptionem admittere, eamque ex levis peccati occasione negare.

CXVIII. Unde si ex nostri boni operis occasione pharisaicum scandalum oriretur; si quidem cum certitudine dignosceretur, poterit ille unus de bono suo opere alterum instruere; quod si non acquiesceret; si quidem ex illius malitia, ac veluti ex boni operis odio, vel contra operantem invidia, & multo magis si ex præcipientis contemptu scandali occasio procederet, eo ex misericordia semel, vel bis admonito, non bonum opus præterire, sed agere licebit. Quod si ex ignorantia, vel imperitia, vel spirituali infirmitate non acquiesceret, & scandalum grave reputetur, non pharisaicum, sed pusillorum; & tunc ad tam grave malum in altero impediendum, bonum opus, quod tamquam medium ad salutem necessarium non sit, præterire vel differre, vel occulte agere potius debemus. Unde ex pharisaico alterius scandalo, eo instructo, etiam in scandalo perseverante, a jejunio, aliove opere præsertim præcepto, non oriretur exemptio; ex infirmorum vero, seu pusillorum scandalo, vel invincibili ignorantia orto, ad illud impediendum ab illo opere etsi præcepto, si de necessitate medii non sit, oriretur exemptio, ut de S. Spiridione n. 67. diximus: quod si, in altero

Assignata disparitas ulterius quoad praxim explicatur.

tero satis instructo, & admonito, non amplius infirmorum, seu pusillorum, sed ex malitia procedens, in pharisaicum scandalum versum esse dignosceretur, tunc non secus ac de pharisaico scandalo dictum est, ab illo bono opere, etsi de necessitate medii non sit, exemptio non consurgeret.

Idem prosequitur explicandum.

CXIX. Unde apparet, quod si opus adeo necessarium sit, ut nec præterire illud possimus, quatenus saltem respective, medium ad salutem existeret; nec occulte illud agere; tunc altero pro posse, mediocriter instructo, adhuc invito, & in scandalo perseverante, etiam ex hypothesi quod hujusmodi scandalum ex magna ignorantia, vel infirmitate, seu pusillitate procederet, agere etiam publice possumus, vel debemus; ut in circumstantiis confitendi Christi fidem, si alter licet Catholicus, occasionem sumeret, ex hoc patiendi scandalum, quasi scilicet ob hypocrisim vel alium pravum finem illa fidei confessio procederet.

Assignatæ disparitatis ex Angelico confirmatur discretio.

CXX. Cujus rei discretio, quatenus scilicet ea, quæ de necessitate salutis sunt, etiamsi quocunque orto ex eis scandalo, prætermitti non debeant, assignatur ab Angelico, in sua 22. q. 43. art. 7. c. dicente: *Est autem in spiritualibus bonis distinguendum: nam quædam horum sunt de necessitate salutis, quæ prætermitti non possunt sine peccato mortali. Manifestum est autem, quod nullus debet mortaliter peccare ut alterius peccatum impediat: quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam spiritualem salutem diligere, quam alterius. Et ideo ea, quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent, propter scandalum vitandum.* Quoad alia vero bona opera, quæ de necessitate salutis non sunt, ea, ratione scandali, prætermitti non debere per dis-

cre-

cretionem sic pergit: *In his autem spiritualibus bonis etiam præceptis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum. Quia scandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando: & hoc est scandalum pharisæorum, qui de doctrina domini scandalizabantur: quod esse contemnendum, dominus docet.*

CXXI. Quod si de bonis operibus ad salutem non necessariis, non pharisaicum, vel ex malitia, sed ex infirmitate, vel ignorantia scandalum oriretur, quoad hoc non secus ac supra diximus, sic docet, & confirmat Angelicus, loc. cit. dicens: *Quandoque vero scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia: & hujusmodi est scandalum pusillorum; propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione, hujusmodi scandalum cessat: Si autem post redditam rationem hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse:* scilicet ut plurimum, *& sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia bona dimittenda.*

Idem prosequitur ex Angelico argumentum.

CXXII. Unde patet ad nostrum institutum responsio: Si enim ex unius jejunio alter scandali, ac discordiæ occasionem sumeret, & pacem perturbaret; Siquidem ex religionis, vel Ecclesiasticæ potestatis contemptu jejunii solutionem intenderet: Et tunc, etiamsi illo uno jejunante, aliudve opus servante, scandali, ac discordiæ licet gravis, occasionem alter sumeret, & pacem, quæ ex charitate procedit, ex hoc amitteret, sive cæteroquin ista turbatio ex malitia, sive ex ignorantia, vel infirmitate procederet, posset ille unus, immo & teneretur, altero, qualicunque modo, ac pro viribus prius admonito, & instru-

Assignata discretio, ad nostrum institutum applicata innotescit.

cto, etiam non acquiescente, jejunium, aliudve opus servare; unde, sic posito casu, exemptio non consurgeret; ut patet in Eleazaro, qui unus erat de primoribus scribarum; hic enim, ut 2. Mach. 6. v. 18. legitur, *vir ætate provectus, & vultu decorus; aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare*; cujus abstinentiæ propositum licet adstantes graviter turbaret, de quibus dicitur v. 29. *Hi autem, qui eum ducebant, & paulo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt propter sermones, ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur*, a servando præcepto non abstinuit. Quia scilicet carnem porcinam manducare a lege prohibitum erat, & a duce, qui regis nomine instabat, compellebatur Eleazarus non ex ciborum necessitate, sed in legis contemptum carnem porcinam manducare; licet ex hujus abstinentia, suorum, amicorumque scandalum, magnamque inter eos perturbationem oriri dignosceret; quia tamen de necessitate salutis erat illum religionis actum profiteri, non secus ac dictum est, suis de abstinentiæ honestate, ac necessitate admonitis, etsi non acquiescentibus, abstinentiam custodivit, ac mortem, quacunque aliorum persuasione postposita, eligere decrevit. At contra; licet prohibitum esset aliis propositionis panes comedere, præterquam sacerdotibus, quia tamen præceptum illud de necessitate salutis non erat; inde David ex necessitate comedens, imo & Apostoli spicas die sabbati vellentes, non peccasse a Christo domino declarantur; etsi de his, ac similibus, ut patet Matt. 12. scandalum sumerent Pharisæi.

Idem prosequitur ex Christi doctrina explicandum.

CXXIII. Sicut igitur ex Christi exemplo his admonitis, etiam in scandalo perseverantibus, quatenus ex malitia oritur, ab eo, quod licet, & convenit, abstinere non tenemur; ita si ex abs-

abstinentia, vel jejunio, aliove opere, licet non de necessitate salutis existat, grave oriretur scandalum, ac discordia, alteriusque pax perturbaretur, si admonitus, & instructus acquiescere nollet, quatenus ex pharisaico potius scandalo post instructionem alterius perturbatio oriretur, parvi faciendum est; neque proinde ab illo jejunio, aliove opere exemptio consurgeret. Quod si adhuc post admonitionem leve perseveraret scandalum, quatenus opus non causa, sed occasio tantum illius scandali sit, facta iterum admonitione, agere possumus. Quod si adhuc post alteram admonitionem, & instructionem gravis perturbatio incresceret, non ex pharisaico scandalo, sed ex ignorantia, vel infirmitate exorto; tunc quatenus jejunium illud, aliudve opus ad salutis necessitatem non pertineat, omitti poterit, si vel occulte fieri nequiret.

CXXIV. Hoc autem punctum, quod initio levioris momenti videbatur, ad praxim reducendum, ulteriori discussione indiget. Si quidem ergo pacis perturbatio in superioribus esset, plura distinguere oportet. Si enim jejunans, aliudve opus servans, in sui sustentatione, & multo magis si etiam in educatione in omnibus a superioribus repugnantibus, ac præcipue dominantibus pendeat; tunc si jejunium ex Ecclesiæ præcepto non sit, etiam si illa oppositio, sive scandalum, seu pacis perturbatio esset levis, jejunium omittere potius deberet, si ratione data, illi non acquiescerent; & multo magis si superiorum perturbatio ex illius subditi jejunio, aliove implendo opere, esset gravis.

Idem reassumitur quoad nostrum institutum argumentum.

CXXV. Quod si jejunium ex Ecclesiæ præcepto procederet, siquidem superiorum perturbatio fuerit levis, ratione assignata, jejunare tenetur, nec proinde exemptio consurgeret: si-

Idem prosequitur explicandum.

quidem autem fuerit gravis ex illo jejunio, aliove opere ab Ecclesia præcepto servando, orta, vel oritura in superioribus perturbatio, ac, nulla assignata ratione, acquiescerent; quia ut plurimum hujusmodi perseverans, & gravis superiorum, seu superioris perturbatio magnum erga subditum generare solet incommodum, atque erga ipsum affectus, ac benevolentia diminui; & tunc si perturbatio illa non ex Ecclesiasticæ potestatis contemptu oriretur, neque aliquid contra religionem & Evangelicam legem intrinsece malum involveret; ad tantum malum sibi impediendum, sive avertendum, posset ille subditus jejunium, aliudve opus, ex humano licet jure præceptum, pro illa saltem vice omittere. Non enim ex Ecclesiæ benignitate præsumitur, hujusmodi subditum, sic constitutum, ad hoc illudve opus cum evidenti, ac magno incommodo obligari; ut scilicet deinceps suorum superiorum, seu superioris, a quibus, sive a quo in sui sustentatione, & educatione pendere ponimus, benevolentiam sibi necessarium amitteret, torvisque oculis aspiceretur.

Idem prosequitur quoad extensionem argumentum.

CXXVI. Quæque de subditis dictæ sunt regulæ, pro servis relate ad dominos, pro filiis familias relate ad parentes, pro dependentibus relate ad eos, a quibus in sui gubernatione, seu educatione dependent, ac pro uxoribus relate ad proprios viros in similibus intelligi debent; etsi cæteroquin ad superiorem potestatem, pro dispensatione, vel commutatione deinceps recurrere suadendi sint. Neque per hoc de facili præcipiendum videtur servis, ut suos dominos deserant, alios quæsituri. Præterquam quod enim apud alios dominos forte similia, ne dicam pejora experirentur incommoda, considerandum est, quod humana præcepta, cujusmodi est jejunium

aliud-

aliudve opus cum gravi incommodo non obligant. Unde si servus bene se habeat apud dominum suum, ejusque sustentatio ex servitute pendeat; & multo magis si uxorem habens, vel filios, aliquid pro sua familia ab illo domino speret; tunc in prædictis, ac similibus casibus, prout dictum est, agere poterit, si scilicet jejunans, aliudve opus, ab Ecclesia præceptum, servans, domini pacem perturbaret, & occulte jejunare, aliudve opus servare non posset. Quod si forte, ut supra innuimus, passim ab hujusmodi jejunio, aliove præcepto opere eximi contingeret, ad petendam dispensationem, sive commutationem obstringi videtur.

CXXVII. Quod si pacis perturbatio in superioribus esset, a quibus ille subditus, ad jejunium aliudve opus, ab humano jure adstrictus, non in sui sustentatione, sed in sola educatione penderet; & tunc hujusmodi subditus taliter se gerere debet, ac supra discussimus, ubi de non perturbanda pace egimus; ab hujusmodi proinde jejunio, aliove præcepto opere in illo subdito exemptio non consurgeret. Educator enim ex una parte bonam sui alumni voluntatem conservare, ac fovere potius tenetur; ex alia parte si subditi sustentatio ab alio proveniret, mala, quæ contra hujusmodi subditum secus timeri possent, non imminerent; contra ac contingeret, si superior ex illis esset, a quibus subditi sustentatio penderet, ac suæ domus emolumenta sive ex jure, sive ex benevolentia speraret. Idem prosequitur explicandum.

CXXVIII. Quod si jejunium, aliudve opus non ab Ecclesia, sed a confessario sit impositum, superioribus illis ignotum; tunc, ne scandalum ex præcepti jejunii, aliusve operis manifestatione oriretur, & ne familiæ pax perturbetur, poterit ille subditus, immo & deberet, si occulte jeju-

na-

nare non posset, jejunium pro illa vice sine scrupulo omittere omissumque de confessarii licentia in aliud salutare opus commutare: idque multo magis dicendum, si scandalum, ac perturbatio ex præcepti operis manifestatione oritura, gravis prævideretur extitura. Quod autem, ne ad servandum quidem impositum a confessario opus, tanquam impositam pœnitentiam manifestare, sed potius non manifestare teneatur, ex eo patet; cum enim jejunia ex sacramentali præcepto injuncta, ob culpas graves sive purgandas, sive impediendas præscribi soleant; inde impositum jejunium, aliudve opus, ob gravia peccata imponi solitum, manifestare non tenetur, nedum ne seipsum infamaret, quasi grave peccatum perpetrasset, vel ne scandalum ex hoc aliis præberet, verum etiam ne ex mala erga ipsum opinione, suorum superiorum amor, ac benevolentia erga ipsum frigescerent.

Idem prosequitur explicandum.

CXXIX. Quod si ex simplicitate jejunium, aliudve opus, a confessario impositum, manifestaret; tunc, si servato jejunio, superiorum, sive superioris turbatio esset levis, & grave malum erga seipsum ex hoc non timeretur, ratione assignata, ab illo jejunio, aliove opere non orietur exemptio. Licet enim confessarii præceptum quoad substantiam humani juris sit; quia tamen ex ipsomet sacramento quamdam haurit cum divino præcepto affinitatem; & neque altiores Ecclesiasticæ potestates in pœnitentialibus operibus, a confessario occulte injunctis, dispensare soleant, sed potius pœnitentibus imponere, ut prudentem adeuntes confessarium, impositas pœnitentias, etsi graves, in alia salutaria opera minus gravia sibi commutare faciant; & multo magis, quia Sacramentalis pœnitentia nedum in satisfactionem, verum & in peccatorum vindictam,

ctam, ac medelam tanquam medicina, imponi soleat, inde ex hypothesi, quod manifestetur, pro observantia potius insistere debet; secus enim ex alio capite, ex pœnitentiæ scilicet transgressione scandalum sumerent superiores.

CXXX. Quod si confessarii præcepto manifestato, superiores, seu ille superior, a quo penderet, non acquiesceret, dataque ratione magis perturbaretur, & notabilis ira, & indignatio contra ipsum exurgerent, ac vehemens in familia perturbatio oriretur, præsertim si ex subditi contumacia periculum esset, ne deinceps torvis oculis aspiceretur cum suæ sustentationis periculo; & tunc, si, data iterum cum obsequio ratione, non acquiesceret, sed perturbatio invalesceret, posset ille subditus, immo & deberet, suo superiori, a quo dependet, acquiescere, atque a servando jejunio, aliove opere, a confessario imposito desistere. Et quia ab imposita pœnitentia nunquam absoluta exemptio consurgit; inde adhuc in casu posito, non absolute a jejunio, aliove opere eximeretur, sed vel dilationis, vel commutationis, per confessarium faciendæ, onus emergeret. Idem prosequitur explicandum.

CXXXI. Quoad hæc autem, quæ hactenus dicta sunt in 22. q. 147. art. 3. in calce sui commentarii sic procedit Cajetanus: *Jejunium impedire majus bonum contingit non solum quasi per se, hoc est ex parte jejunantis, sed per accidens, hoc est ex parte alterius, cujus persona tenetur convivere; ideo si propter improbitatem viri uxor potens jejunare, compellitur ad non jejunandum, potest ex dispensatione jejunium solvere: quoniam casus est talis, in quo si legislator adesset, mallet pacem domus, quam jejunium uxoris; compatiendum quippe est sexui*. Et Sylvius in 22. q. 147. art. 4. sic habet: *Si tales sint*, conjuges, *ut quum* Prædicta doctrina confirmatur, & concluditur.

unus

unus jejunat, non possit esse pax in familia, poterit prudens. confessarius excusare innocentem, si alius non in comtemptum legis Ecclesiasticæ agat, immo & ipsa innocens, nondum scilicet Confessarii audito judicio, *immunem se existimare potest, quando novit ex jejunio graves rixas sequuturas propter viri duritiem, & austeritatem, absque eo quod jejunium, vel Ecclesiam contemnat*. Non secus, ac supra discussimus. Ut autem inde redeat, unde discessit oratio: Si supernaturalis boni privatio, seu amissio, sive omissio malum divini honoris læsivum in alterum non traheret, tunc a præcepto jejunio, aliove opere ab humano jure procedente, in illo uno in favorem alterius non oriretur exemptio: Quod si jejunium aliudve opus, etsi ab humano jure procedens, ille unus servans, perturbationem familiæ, superioris &c. aliudve malum divini honoris læsivum in alterum traheret; & tunc secundum exposita, vel absoluta exemptio, vel dilationis, aut commutationis onus emergeret, secus vero pro tunc implendi operis obligatio.

An ex humano jure ad jejunium, adstrictus, ad physicum malum in altero impediendum ab hujusmodi jejunio eximi possit, discutitur, ac resolvitur.

CXXXII. Positio III. dictante in uno universalis Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto, sive particularis diœcesis lege, vel legitima consuetudine, sive Episcopi, aut confessarii præcepto, jejunium, aliudve opus; & ille unus jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, physicum animæ, corporisve malum in altero impedire, vel repellere; tunc ad physicum animæ corporisve malum in altero impediendum, vel repellendum, ab hujusmodi jejunio, aliove opere in alterius favorem in illo uno oriretur exemptio. Unde si unus esuriales cibos haberet, sibi tantum sufficientes, & alter esuriali cibo tantum indigeret, quatenus ex naturæ infirmitate car-

carnes comedere non posset; & ille unus esuriales cibos alteri emere non posset, vel ex penuria, vel ex paupertate, vel ex alio capite esuriales cibi pro utroque haberi non possent; posset ille unus, alterius indigentiæ satisfacturus, esuriales cibos alteri præbere, etiamsi cæteroquin esurialibus deficientibus cibis, per reliquos non esuriales cibos ille unus suæ indigentiæ satisfacere cogeretur; ab hujusmodi proinde jejunio quoad delectum ciborum in alterius favorem in illo uno oriretur exemptio.

Prædictæ doctrinæ ratio assignatur.

CXXXIII. Horum autem, ac similium ratio esse poterit: Cum enim sicut nosmetipsos proximum diligere teneamur; inde ad sustentandos pauperes, qui secus unde viverent non haberent, præsertim si honestæ mulieres, vel viduæ, vel periclitantes virgines, vel domi reclusæ, vel in communitatibus, seu conservatoriis; vel si pueri sint, vel puellæ, ut educantur in scholis, vel collegiis; vel alii, sive viri, sive mulieres, aliorum sustentatione indigentes; etiamsi ille unus pro sui sustentatione satis haberet, nec proinde tales suscipere labores cogeretur, cum jejunio servatu impossibiles; si tamen ad proximorum necessitates, ex charitate sublevandas, si quidem veræ essent, & graves, tales suscipere labores oporteret, ut cum jejunio proximum adjuvare non posset; ab hujusmodi laboribus, etiamsi periculum non servandi jejunium incurreret, desistere non teneretur. Unde in casu posito, ac similibus, ad aliorum necessitates sublevandas, in illo uno ab hujusmodi jejunio, ex humano licet jure præcepto, oriretur exemptio; eo tamen sensu exemptionis ordine intellecto, quo cap. 3. discussimus. Excepto semper, si jejunium, aliudve opus a confessario sit impositum,

tum, a quo nunquam exemptio, sed vel dilationis, vel commutationis onus emergeret.

An ex humano jure ad jejunium adstrictus, ad physicum bonum in altero conservandum eximi possit, discutitur, ac resolvitur.

CXXXIV. Positio IV. dictante in uno universalis Ecclesiæ lege, &c. jejunium, aliudve opus; & ille unus jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, physicum animæ, corporisve bonum in altero conservare, vel acquirere; & tunc ad physicum animæ corporisve bonum, in altero conservandum, vel acquirendum, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, ab humano jure præcepto, secundum se non cousurgeret exemptio.

Prædicta doctrina ulterius explicata.

CXXXV. Non casu dictum est: *Secundum se*; si enim physici animæ, corporisve boni privatio, seu amissio physicum animæ, corporisve malum in alterum traheret, tunc, ut sæpe dictum est, ab hujusmodi jejunio oriretur exemptio. Quod si proprie non physicum animæ, corporisve malum, sed physici boni diminutio in altero sequeretur; & tunc, si pensatis omnibus, physici boni diminutio cum physico malo conveniret, ad physici boni diminutionem in altero impediendam, ab hujusmodi jejunio, aliove opere in illo uno in alterius favorem exemptio similiter consurgeret: quod si physici boni diminutio cum physico malo non conveniret, sed physici boni perfectionem tantum in altero impediret; & tunc, nisi notabiles circumstantiæ aliud suaderent, ab hujusmodi jejunio, aliove opere in illo uno exemptio non consurgeret. Ab opere autem, a confessario imposito, omnimoda exemptio nunquam exurgeret, sed commutationis onus emergeret.

An ex humano jure ad jejunium ad-

CXXXVI. Positio V. dictante in uno universalis Ecclesiæ lege, vel Pontificis præcepto, sive particulari diœcesis lege, vel consuetudine, vel Epi-

Episcopi; aut confessarii præcepto jejunium, aliudve opus; & ille unus jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, externa hominis bona in altero conservare, vel acquirere; tunc ad externa hominis bona in altero conservanda, vel acquirenda, secundum se in illo uno in alterius favorem ab hujusmodi jejunio, aliove opere non oriretur exemptio.

strictus, ad externa bona, in altero conservanda, ab hujusmodi jejunio eximi possit, discutitur, ac resolvitur.

CXXXVII. Quod si externa illa bona adeo necessaria alteri essent, ut ex eorum jactura a sui conditione, aut statu, vel dignitate decideret; & ille unus non jejunans, aliudve opus non servans, illorum privationem, seu amissionem impedire in altero posset, quod jejunans, aliudve opus servans, non posset; tunc ad externorum bonorum jacturam, in altero in sensu exposito necessariorum impediendam, ab hujusmodi jejunio, aliove opere non secus ac in persona propria exemptio consurgeret. Idemque sentire videtur Franciscus Sylvius 22. q. 147. art. 4 dicens: *Necessitas a jejunio excusans est, quando alicui incumbit facere aliquod opus, cum quo jejunare non potest, sive hoc ei incumbat ex necessitate victum quærendi; sive ad vitandum damnum suum, vel alienum, sive ad tuendam salutem animæ, vel corporis, & sive ad illud opus obligetur ob necessitatem publicam, sive tantum ex officio, quod gerit.* Unde si illi alteri ex honoris amissione grave incommodum, vel gravis amaritudo sustinenda immineret; & ille unus posset a tali incommodo, alteri superventuro, vel in hujusmodi discrimine positum per suum laborem, vel corporis fatigationem, cum jejunio, aliove opere, etsi ab Ecclesia præcepto, servatu impossibilem, alterum liberare, si non in jejunii fraudem, sed ex charitate erga alterum age-

Idem prosequitur argumentum.

agere intenderet, posset ille unus ad id incumbere, licet ex tali fatigatione, seu labore solvendum jejunium prævideret. Unde in sensu exposito, in illo uno in alterius favorem ab illo jejunio, aliove opere, etiamsi ab Ecclesia præcepto, oriretur exemptio.

Prædicta doctrina roboratur.

CXXXVIII. Et licet intrinseca assignatæ solutionis ratio præcisive a quacunque positiva lege, vel positivo præcepto, ex naturali jure petita dignoscatur, quod sicuti dictat alteri non facere, quod nobis nolimus, ita & dictat debere alteri facere, quod nobis velimus; placet tamen in hujus doctrinæ confirmationem Veritatis oraculum in medium afferre, qui charitatis praxim erga proximum discipulos docens, sic eloquitur: Luc. 6. v. 31. *Et prout vultis, ut faciant vobis homines; & vos facite illis similiter.* Quique Matt. 5. v. 17. dixit: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere*; proximi dilectionem compendio exponens, præcepit, dicens Matt. 19. v. 19. *diliges proximum tuum sicut teipsum*. Si igitur ex ipsamet Veritate regula diligendi proximum nostra dilectio est; inde fit quod omne, quod nobis ad grave malum impediendum, sive avertendum licet, etiam ad illud in altero impediendum, sive avertendum, nobis licere dicendum est. Sicut igitur ad grave honoris detrimentum, in nobismetipsis impediendum, sive avertendum, liceret nobis magnum laborem, aut corporis fatigationem, aliudve medium ad finem aptum, cum jejunio, aliove opere etsi ab Ecclesiæ præcepto, servatu impossibile, adhibere; ita etiam ad impediendum, sive avertendum ab altero grave honoris detrimentum, cum gravi verecundia, ac tristitia sustinendum, licite posset ille unus talem susci-

pe-

pere laborem, corporisve fatigationem, cum jejunio servatu impossibilem; si illius opera ad malum illud in proximo impediendum, sive avertendum aptum ac necessarium medium existeret.

CXXXIX. Unde si illum unum, ad jejunium, aliudve opus adstrictum, ad grave detrimentum in altero impediendum, talia agere fas esset, ut jejunandi, aliusve operis agendi impotens fieret; nisi alio modo alterius necessitati subvenire posset, nec in jejunii fraudem, sed ex charitate erga proximum onus illud susciperet, potius a jejunio, aliove opere, etsi præcepto, quam ab illo opere suscipiendo oriretur exemptio. Quod a fortiori dicendum est, si de alterius fama, in re gravi tuenda, vel sub ea ratione, sub qua debita fuerit, instauranda; & multo magis si de positiva infamia, in altero impedienda, vel repellenda sermo procederet. Sicuti enim ad propriam famam tuendam, vel infamiam impediendam, sive avertendam, licite posset ille unus media adhibere, etsi cæteroquin, illis adhibitis mediis, ad jejunium, aliudve præceptum opus servandum impotens evaderet; ita ad alterius famam tuendam, & multo magis impediendam, vel avertendam infamiam, & ille unus adhibere poterit media, quæ ad id consequendum in alterius favorem necessaria judicaverit, etsi servandi jejunium ex hoc impotens evaderet.

Idem prosequitur argumentum.

CXL. Et licet charitatis ordo plus ad propriæ personæ, quam ad aliorum dilectionem obliget; id tamen quoad præsens, traditam doctrinam non infringit. Charitatis enim ordo id unum quoad præsens probat, quod scilicet in concursu detrimenti proprii honoris, vel famæ cum detrimento alterius honoris, vel famæ; si ille unus suam, & alterius famam, sive honorem ser-

Idem ulterius explicatur.

servare, vel instaurare non posset, ad suam potius famam, sive honorem servandum, sive acquirendum, quam ad alterius incumbere debebit: nec absimiliter si propriam, & alterius infamiam impedire non posset, suam autem posset, ad illam in seipso impediendam potius, quam ab altero teneretur avertendam. Sub eadem enim ratione, dilectionis regula quoad prælationem stat pro seipso; in dispari autem ratione; si scilicet externi boni detrimentum in illo uno minoris momenti, ac leve esset; alteri autem majus, & grave immineret, vel existeret; & tunc si utrique, sibi nempe ac alteri subvenire non posset, posset autem uni eorum, vel sibi scilicet, vel alteri; sub inæquali incommodo, ad grave detrimentum in altero impediendum, vel avertendum potius, quam ad leve incommodum a se tollendum, urgeret charitas. Unde leve incommodum, minusque detrimentum in seipso sustinere potius teneretur, quam a mediis, ad grave detrimentum, in altero impediendum, sive avertendum aptis, desistere.

Tenenda doctrina ulterius explicata concluditur,

CXLI. Pro generali autem responsione quoad externa hominis bona in altero conservanda, vel acquirenda, videtur dicendum, quod, si externa illa bona in altero necessaria sint, nec non & personæ conditioni, aut statui, vel dignitati, sive officio congrua; tunc ad talia bona in altero conservanda, vel acquirenda, si ille unus jejunans, aliudve opus servans, non posset, posset autem non jejunans, aliudve opus non servans, necessaria alteri bona conservare, vel acquirere, ab hujusmodi jejunio, aliove opere, etsi ab Ecclesia præcepto, in alterius favorem in illo uno oriretur exemptio. Quod si in illo altero nec necessaria sint, nec conditioni, aut statui, vel dignitati, aut officio congrua; & tunc ille

unus, etſi non jejunans, aliudve opus non ſervans, poſſet bona illa externa in altero conſervare, vel acquirere, ſive eorum jacturam impedire, ad talia tamen bona in altero conſervanda, vel acquirenda, ſive ad eorum jacturam impediendam, ab hujuſmodi jejunio, aliove opere, ab Eccleſia præcepto, in illo uno exemptio non conſurgeret. Quod ſi ex externorum bonorum privatione, ſeu amiſſione, ſive omiſſione aliud ſequeretur; vel malum ſcilicet divini honoris læſivum; vel ſupernaturalis boni, vel phyſici animæ, corporiſve mali, vel boni periculum; & tunc ad malum illud, bonumve, in proximo impediendum, ſive avertendum, ac proſequendum reſpective, ſi ille unus jejunans, aliudve opus ſervans, non poſſet, poſſet autem non jejunans, aliudve opus non ſervans, alterum adjuvare, exemptionem ab illo jejunio, aliove opere cum adjutorio, alteri præſtando, ſervatu impoſſibili, exurgere, vel non exurgere tenendum, ſicut in ſuperioribus poſitionibus 1. 2. 3. & 4. in hoc eodem ſupplemento diſcuſſimus.

APPENDIX.

Quæ extra methodum, huc ſpectantia, exagitanda remanent, diſcutiuntur, ac reſolvuntur.

CXLII. Antequam autem ſecundam hujus operis partem abſolvamus, placet, de invitantibus, ſeu provocantibus, vel occaſionem ſolvendi jejunium, vel aliquam ejus conditionem, aliudve opus præceptum non implendi præbentibus, aliquid diſcutere; ſive cæteroquin urbanitatis gratia ſive cauponis officio, ſive famulatus, ac dependentiæ ratione, ſive ob aliud quodcunque id contingere dignoſcatur.

Eorum, quæ in hac appendice diſcutienda proponuntur, intelligentia aperitur.

CXLIII.

Quæstionis status quoad invitantes ad operis præcepti transgressionem, ex Caetano aperitur.

CXLIII. Et sane quoad invitantes, quæstionis statum sic aperit Caetanus, 22. q. 147. art. 4. in fine dicens: *Hic non vertitur in quæstionem, an peccent illi, qui directe ad solvendum jejunium invitant, aut ministrant: quia horum peccatum est manifestum, sicut invitantium, aut cooperantium ad furtum, & alia mala: nec etiam est quæstio, an peccent illi, qui præsumentes quemlibet salutis suæ memorem, & nescientes potentiam, vel impotentiam privilegiaque hominum, simplici corde invitant ad comedendum pro urbanitate, aut hospitalitate &c. vel petentibus cibos ministrant: quoniam horum excusatio est manifesta ex eo, quod non tenentur scrutari potentiam, aut conscientiam proximi. Sed quæstio est de ministrantibus, aut invitantibus ad comedendum, potentes, & nolentes jejunare absque privilegio, ut communiter creditur. Et est sermo de comestione, quæ si fiat, solveret jejunium, puta de cœna post sumptum prandium, vel comestione summo mane, & hujusmodi.* Suam autem mentem quoad praxim explicans, sic prosequitur: *Invitantes autem ad comedendum, aut credunt invitationem suam fore illis occasionem exequendi violationem jejunii, quam non exequerentur forte nisi invitati, quamvis parati sint ad non jejunandum: & tunc non excusantur: quoniam non licet etiam paratos ad malum, inducere ad illius executionem.*

Quoad sequentia non recte procedere videtur Caetanus.

CXLIV. Non autem in omnibus recte procedere videtur Caetanus in eo, quod sequitur, nec omnino cum eo, quod præmisit, concordare pergit autem sic: *Si autem omnino cœnaturi sunt, & ego invito eos ad mecum cœnandum, non invito eos, nisi ad locum, & societatem cœnæ, vel ministro illis cibos.* Licet enim præcisive a mea invitatione, omnia indicia habeam, illos jejunium omnino soluturos, non proinde tamen mihi licere

cere dicendum est ad solvendum jejunium paratis commodum ac media ministrare; sicut omnino paratis malum facere, sive ad duellum convenire, non possum ego locum illis præbere, dicens: *non invito eos nisi ad locum*; etsi cæteroquin non ad me, sed ad alios divertentes, malum patraturos certissime prævideram. Unde falsum videtur, quod concludit, absolute dicens: *Ex nullo autem horum apparet peccatum aliquod; & propterea excusantur; sicut etiam hospites cœnaturos invitant, ut in suo hospitio magis quam in alio cœnent.*

CXLV. Cum Caetano ferme idem sentit Navarrus in suo manuali cap. 21. n. 24. dicens: *Quarto peccat, qui ad cœnam invitat eum, quem nescit non esse a jejunio exemptum, & probabiliter credit, aut dubitat, ob illam invitationem jejunium fracturum, quod alias servaturus esset, quia dat causam propinquam peccandi mortaliter secundum Caet. 22. q. 147. art. 4. dicentem: hoc non procedere in eo, qui scit invitatum alibi esse cœnaturum, quam limitationem tenuimus primum hic, & postea contrarium in quadam additione vulgari lingua scripta per multas rationes; nunc vero alta mente re perpensa, credimus posse salvari eam secundum mentem ejus in eo, qui ex causa justa invitat paratum cœnare, puta, urbanitatis, vel amicæ hospitalitatis ad cœnandum secum, in quantum cœna est actus sustentandi naturam, & de se bonus, vel indifferens, nullatenus consentiendo in eum, quatenus est fractio jejunii.* Nescio autem quare distinctionem illam pure metaphysicam, ac theoreticam esse tantus vir ignoraverit Martinus.

Cum Caetano sentire videtur Navarrus.

CXLVI. Ad suam autem tuendam mentem non pauca cum plausu adducit in suo manuali loc. cit. n. 25. dicens: *Credimus enim licere invi-*

Navarri hallucinatio ex ipsomet roborata dignoscitur

vitare, & provocare justa de causa alium ad aliquem actum suo genere bonum, vel indifferentem, nullatenus consentiendo in eum, quatenus sit male, vel est malus. Tum quia deus ipse invitat, immo juvat ad agendum aliqua, quæ sunt peccata, quatenus sunt entia; quia quatenus sunt talia, sunt ab eo, per quem omnia facta sunt. Tum quia licet gaudere de eo, quod est peccatum, alia ratione, quam quia est tale. De occisione autem Christi gaudemus, qua parte est nostra redemptio, & dolemus, qua parte fuit gravissimum peccatum juxta illud: actio displicuit, passio grata fuit. Et de occisione tyranni gaudemus, qua parte est liberatio populi, licet alia ratione sit peccatum. Tum quia licet egenti mutuum petere simpliciter ab usurario, qui scitur non esse mercaturus sine usuris, immo & accipere sub eis, non consentiendo in dationem, quatenus est mala. Tum quia licet parochiano petere, & accipere a suo Parocho sacramenta, in quibus dandis ille peccat, & creditur peccare. Tum quia licet locare meretrici domum, in qua creditur meretricaturam, sitam in ea parte urbis, in qua meretricari permittitur.. Tum quia licet vendere, aut dare peccatoribus non excommunicatis necessaria, & uti illa ad sustentationem, licet illa directa ad peccandum, ut ipsi dicunt, sit peccatum... Immo & oportere id facere etiam excommunicatis, extreme egentibus, immo & infidelibus volentibus infideliter vivere secundum omnes.... Tum quia licet petere a Gentili, Judæo, vel Saraceno, ut confirmet juramento contractum, licet sciatur, vel credatur superstitiose, & cum peccato juraturus... Tum quia beatus Laurentius dixit Decio Tyranno: assatum est jam, versa, & manduca; cum tamen illa versio esset peccatum ex parte assantis. Et multi martyres provocarunt tyrannos ad sui occisionem,

quæ

quæ tamen ex parte eorum erat peccatum. Quin & S. Andreas Apostolus provocavit ad sui crucifixionem, & ejus protractionem, resistendo, ne deponeretur, cum tamen utraque, tam crucifixio, quam ejus protractio esset grande peccatum. Et rationibus in contrarium adductis responderi potest eas procedere in eo, qui sine justa causa invitat, vel consentit actui cœnandi, vel cum causa, quatenus est peccatum, vel est causa, ob quam jejunium illius diei frangitur.

CXLVII. Ad hæc autem, & similia videtur pro generali responsione dicendum, non apposite aptari, quæ ad suam tuendam opinionem coacervat Navarrus. Et primo quidem falsum est, quod *deus ipse invitat, & juvat &c.* Deus enim proprie non invitat ad actum, qui ex parte creaturæ sit malus, sed tantum ut physica universalis causa ad illum concurrit sub ratione physica tantum, minime vero sub ratione malitiæ. Unde licet deus physico tantum concursu manum Cain ad innocentem Abel interficiendum moverit, non tamen ad occisionem invitavit; in casu autem nostro non physico quidem concursu, sed morali ad jejunii solutionem, invitans concurrit.

Quæ a Navarro ad suam tuendam opinionem coacervantur, per singula discutiuntur.

Et. I. Relate ad deum, qui per solum concursum peccati causa revera non est.

CXLVIII. Nec secundo de gaudio, vel dolore de Christi passione, ac morte exemplum adducit apposite. Licet enim verum sit posse nos gaudere de morte Christi, quatenus nostræ redemptionis caussa existit, dolere autem, quatenus gravissimum peccatum fuit; sive tamen per gaudium, sive per dolorem in sensu exposito, per nos non stat, ut crucifigatur, seu crucifixus fuerit Christus. Nisi igitur fateatur Navarrus licite potuisse nos, ad Christum crucifigendum paratos, ad inferendam illi mortem invitare, non quatenus peccatum est, ut ipsiusmet Navarri verbis insistam, sed quatenus illa actio, Christo mortem

Et. II. Confutatur Navarrus quoad gaudium, & dolorem de Christi passione, vel de tyranni morte.

inferens, redemptionis medium esset, non apposite tale exemplum adduceret; quod certe non fateretur: Sicut quoad præsens contingit: invitantes enim ad jejunium solvendum non præcise de amicitia, & urbanitate gaudent, vel de peccato dolent, sed absolute ad id, quod illi non licet, cum gaudio inducunt. Idem de gaudio, ac dolore de occisione tyranni dicendum est. Non enim de tyranni occisione gaudentes, vel dolentes respective, alios invitamus ad illius occisionem, sicut ad peccatum invitant, qui ad jejunii solutionem invitant, ac provocant.

Et III. Confutatur Navarrus quoad usuram.

CXLIX. Neque tertio apposite loquitur Navarrus quoad usuram. Licet enim aliqui sentiant, licere egenti usuram reddere petenti, id tamen proprie non est provocare, vel ad usuram invitare, sed potius pati ob aliquod bonum, ad propriam scilicet miseriam sublevandam, juxta Angelicum, 22. q. 78. art. 4. c. qui ibidem aliud insuper adducit exemplum, dicens, licere nempe *ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet, quæ, latrones peccant, diripiendo, ad hoc, quod non occidatur*, secus vero si ad usuras exigendas, vel ad latrocinia perpetranda provocaret, invitaret, vel incitaret indigens. Non quatenus ignoramus aliquos non dissimile quid sentire; sed quatenus malum cum sit, alium ad peccatum invitare; inde malum omnino esse usuram reddere, nisi ob indigentiæ caussam cum sanioribus theologis, ac divo Thoma sentimus, loc. cit. dicente: *Nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere ab usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius*. Quod sane, si recte perpendatur, non est provocare, seu invitare ad usuras. Qua autem

tem conſcientia alii aliter ſentiant, ipſi videant. In eo ſolum caſu plus dare, quam accipere licere declaramus, ac ſentimus, quo ſcilicet alter ex datione lucrum ceſſans, vel damnum emergens, petentis cauſa, pateretur, vel certiſſime paſſurum dignoverit.

CL. Nec abſimiliter: falſum eſt parochianum in ſacramentorum adminiſtratione ad parochi peccatum moraliter concurrere: nedum ex eo, quod parochianus, quod ſibi debetur, ſacramentorum nempe adminiſtrationem petit; verum & ex eo, quod, etiamſi parochus in peccato mortali exiſteret; eſſet tamen in parocho evitabile peccatum per elicitam ante ſacramenti adminiſtrationem contritionem. Quod ſane in eo, qui ad comeſtionem, ſeu ad jejunii ſolutionem invitaret, non eſt ſimile; ipſamet enim comeſtio ex parte comedentis eſt ipſiſſima jejunii transgreſſio, ac proinde peccatum; & ex parte invitantis ipſamet invitatio eſt ad comedendum cum peccato provocatio; quod in ſenſu expoſito in parochiano non contingit.

Et IV. Confutatur Navarrus quoad ſacramentorum miniſtrationem per malum parochum.

CLI. Quod ſi de parocho procedat ſermo, ſine ſtipendio ſacramenta miniſtrare nolente: Si ſtipendium illud ad parochi ſuſtentationem ordinetur, etiamſi ea non miniſtrans parochus ſine ſtipendio, contra charitatem tantum, vel ſivis, etiam contra juſtitiam peccaret; quia tamen in ſenſu expoſito poſſet parochus petere, ſi licite annuente Epiſcopo ex ſui inſtitutione hujuſmodi proventus ad ordinariam illius parochi ſuſtentationem ordinentur; inde & parochianus poſſet ſine ſimoniæ labe parocho petenti ſtipendium dare. Non igitur parochianus in ſenſu expoſito, vel parochus, ſacramenta petens, vel miniſtrans reſpective, etiam mediante ſtipendio, peccaret. Quod ſi parochus non quatenus ſuæ ſuſtentationis

Idem proſequitur explicandum.

nis emolumentum, sed tamquam sacramentorum pretium stipendium peteret, falsum omnino est licere parochiano stipendium parocho dare. Unde deberet potius parochianus sine sacramentis in re ex hac vita decedere, quam parochi simoniæ concurrere. Licet enim sacramenta in re suscepta ut media ad salutem ut plurimum existant; quia tamen nedum in re, verum & in voto suscepta virtutem habent; inde etiamsi in casu posito sine sacramentis in re susceptis parochianus decederet, posset tamen per eorum votum eorumdem virtutem percipere. Prætereo, quod posset in casu posito parochianus per aliam viam sacramenta in re suscipere.

Idem prosequitur, & concluditur argumentum.

CLII. Quod si parochus in sacramentorum administratione stipendium peteret, non quidem tanquam ex justitia ad sui sustentationem debitum, neque tanquam sacramentorum pretium, sed veluti ex quadam lucri cupiditate; & tunc ad redimendam vexationem posse videtur parochianus, ne sacramentorum susceptione frustetur, etiam ex conventione non ab ipsomet, sed a parocho proposita, stipendium dare: quod sane Martino non favet. Parochianus enim invitus conventionem acceptans in sensu exposito, parochum ad malum non invitat, neque parochus malum facit, sacramenta ministrando, cum justitiæ opus exerceat, sicut nec malum faceret sacramenta ministrans illis parochianis, a quibus furatus ex indebita conventione esset; etsi stipendium petens, vel parochianorum rem, ipsis invitis, retinens, contra justitiam agens, peccaret, & in peccato ministrans, peccaret. Parochianus autem in casu posito stipendio consentiens, non consentit invitando, sed patiendo. Sicuti si justum stipendium a lege, vel legitima consuetudine taxatum, ad transmeandum flumen

unus

unus nummus aureus esset; & viator aliquis ad illud transmeandum viginti nummos aureos solvere a ministris cogeretur; secus flumen non transmeaturus; excedentem illam summam etsi injustam petenti dare liceret: in hoc enim viator ille non consentiret, nec ad injustitiam invitaret, sed tantum sustineret, & pateretur invitus: contra vero ad comestionem invitans in casu posito, non patitur, sed illud agit, ad illudque invitat, scilicet ad comestionem, quæ est ipsissima jejunii transgressio, quæ non licet.

CLIII. Neque quinto apposite loquitur quoad domum meretricibus locandam; falsum est enim non peccare, qui domum meretricibus locaret ad meretricandum. Quod si non quidem ad meretricandum, sed ut a tempestatum injuriis sicut alii, se defenderent, meretricibus locaret, per hoc, quod domum locans, meretricaturas præviderét, nullo modo ad meretricium concurreret, cum ad illud non invitaret; sicut ad id, quod non licet, tanquam agens concurreret, ad prohibitam comestionem invitans.

Et V. Confutatur Navarrus quoad meretricis domum.

CLIV. Neque sexto apposite adducitur quoad peccatores, vel infideles: peccatoribus enim etiam excommunicatis, vel infidelibus necessaria ministrans, non concurrit ad ea, quæ illi facient; non enim vitæ necessaria ministrans, ad idololatriam, quam exercerent infideles, invitat: contra vero si ea peccatoribus, seu infidelibus ministraret, ad peccatum directe ordinata; ut esset venenum vendere ad obtinendum abortum, vel idolum facere: non secus ac ad comestionem in sensu posito invitans, ad id invitat, quod, jejunii obligatione in invitato subsistente, secundum se non licet.

Et VI. Confutatur Navarrus quoad illa peccatoribus vendenda.

CLV. Quoad juramentum autem infidelium can. *Movet te* 22. q. 1. S. Augustinus, cujus ver-

Et VII. Confutatus Navarrus

quoad juramentum. verba referuntur, directe inquirit, an liceat uti juramento, quo per dæmonia juraverit infidelis? Et dicit uti licere. Ad quæstionem autem, an peccet, qui per falsos deos sibi jurari facit, respondere non audet, sed suffragari dicit juramentum Abimelech, ab Abraham exquisitum Gen. 21. v. 27. *percusseruntque ambo fœdus* & v. 31. *Idcirco vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi uterque juravit.* Et juramentum Laban, qui Gen. 31. v. 49. dixit: *Intueatur, & judicet dominus inter nos, quando recesserimus a nobis* v. 50. *si afflixeris filias meas .... nullus sermonis nostri testis est absque deo, qui præsens respicit.* Dixitque rursus ad Jacob v. 53. *deus Abraham, & deus Nachor judicet inter nos deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac.* Et addit Augustinus quoad juramentum Abimelech: *si tamen Abimelech per deos suos juravit; sicut Laban per deum Nachor.* Scripturæ autem difforme non videtur dicere, Abimelech ab Abraham per verum deum adjurandum adactum esse. Per hoc item quod Gen. 31. v. 53. Laban per deum Nachor jurasse videatur, non proinde tamen infertur Jacob per deum Nachor juramentum exquisivisse, sed potius ex eo, quod per quem juraverit, non appareat, videtur dicendum. Jacob per verum deum juramentum a Laban exquisivisse. Etsi autem Laban per verum deum jurare noluisse, & a Jacob aliter, quam per verum deum jurare prohibitus, ponatur; si tamen adhuc invito Jacob, per falsum deum juraverit, potuit Jacob ex consequenti juramentum acceptare, & uti, quod in illo can. *movet* dicit Augustinus.

Idem prosequitur probandum. CLVI. Neque expresse in scriptura habetur, aliquos e sanctis viris juramentum per falsos deos exquisivisse, sed ad summum illud acceptasse ex con-

consequenti jam prolatum, de quo Augustinus Epist. 47. al. 154. apud Angelicum 22. q. 78. art. 4. c. Publicolæ quærenti, utrum liceret uti juramento ejus, qui per falsos deos jurat, in quo manifeste peccat, eis divinam reverentiam tribuens, respondet quod: *Qui utitur fide illius, qui per falsos deos jurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per dæmonia juravit, sed pacto ejus bono, quo fidem servavit*. Et notandum, quod sequitur: *Si tamen induceret eum ad jurandum per falsos deos, peccaret*. Diversum est enim dicere licere ad illicitum juramentum scilicet per falsos deos prolatum, provocare, ac illicito juramento, per falsos nempe deos prolato, uti: primum quidem illicitum est, secus vero secundum. Cum igitur jurandi actus ad religionem pertineat: sicuti non licet illum religionis actum dæmoniis præstare, ita neque ad illum præstandum actum, etiam præter aliam malam intentionem invitare licebit; cum enim ex natura sua malum sit per falsos deos jurare; inde quantacumque bona sit sub alia ratione ad hujusmodi juramentum invitandi intentio, semper tamen esset malum ad illud, quod secundum se malum est, provocare. Neque necessitas poterit licitum reddere, quod contra religionem est; quicquid aliqui moralistæ minime solidis principiis, sed sibimet ipsis innixi blaterare non cessant. Non igitur prædicta, ac similia exempla ad rem faciunt, cum falso innitantur supposito, ut Sacra Biblia percurrenti innotescere poterit.

CLVII. Neque octavo illud divi Laurentii ad rem facit, dictum enim illud: *Assatum est jam, versa, & manduca* non est invitantis, sed exprobrantis, ac patientis, simile illis Christi domini verbis, Judæ proditori dictis Joan. 13. v. 27. *Quod*

Et VIII. Confutatur Navarrus quoad Tyrannorum provocationem.

Quod facis, fac citius, non ad malum invitantis, sed exprobrantis, permittentis, ac patientis; quod non evenit in casu nostro. Qui enim ad indebitam comestionem invitat, non illam exprobat, vel permittit, ac patitur, sed illam vult, illiusque causa existit, & efficit, ut sit. Neque apposite martyrum exempla refert. Falsum est enim martyres ad martyrium sibi inferendum tyrannos provocasse, sed potius ab illis præparatum permisisse, libentique animo acceptasse. Quod si forte aliqui ad martyrium sibi inferendum tyrannos provocasse videantur, vel etiam sibimet ipsis martyrium jam jam subituris intulisse, sive in ignem semet ipsos projecisse; id non illorum peccatum cogitantes, sed peccandi periculum in semetipsis evadere cupientes, ex quadam ignorantia, seu ex quadam simplicitate vel ex quodam spiritus Sancti impulsu respective id egisse dicendi sunt. Et Sanctum Andream ad sui martyrium tyrannum non provocasse, sed crucem sibi præparatam libenti animo acceptasse protestatum novimus. Contra ac evenit in eo, qui alios ad indebitam comestionem invitat; non enim patitur, aut permittit, sed illud agit, & illius causa existit, quod non licet.

Confutatur denique Navarrus quoad alia, quæ ad suam stabiliendam opinionem, e scripturis hauriri posse videntur.

CLVIII. Neque in scripturis adinveniuntur exempla, quæ suffragari poterunt. Non enim Lot filias prostituere declarans, Gen. 19. v. 8. ad malum invitavit, sed ad majus malum v. 4. 5. & 9. quod a Lot omnino impediri non poterat, faciendum, proxime paratis minus proposuit. quod proprie non est ad malum invitare, sed aliud agere per vim non valentem, a majori malo certissime patrando, dissuadere, & avertere conari. Prætereo quod in illis angustiis constitutus, turbatus animo, ac perplexus, quid consilii caperet, ignoraret. Neque Naaman 4. Reg. 5. v. 18.

18. in templo Remmon ab Eliseo permissa fuit idoli adoratio, sed politica tantum; non erga idolum religionis actus, sed ne dominum suum super Naaman manum innixum, ac deum suum adorantem, nisi simul se incurvaret, contemnere videretur. Nullo igitur modo isthæc distinctio datur, concurrendi scilicet tantum ad actum, quatenus indifferens est, secus vero quatenus peccatum est: cum ista distinctio non in re quoad præsens institutum, sed in intellectu tantum, ac theoretica sit. Caetani autem ac Navarri ratiocinatione posita, ad plurima mala impune perpetranda sterneretur via. Peccare igitur omnino dicendus est, alium, qui ad jejunium tenetur, ad comedendum invitans; suaderet enim illi, quod non liceret.

Idem quoad præsens extenditur argumentum.

CLIX. Unde nec ad indebitam comestionem invitare serio poteris, quem invitum, jejunium non soluturum ex circumstantiis dignoveris; vel e contra; quem scilicet præcisive a tua invitatione ad jejunium solvendum, proxime paratum certissime sciveris. Si enim serio invitas, suades illud, quod non licet; non secus ac si suaderes, restitutionem, vel sacri auditionem omittere, vel furari, vel die veneris carnes comedere, vel communionem, seu Eucharistiæ sumptionem paschali tempore præterire &c. etiam si cæteroquin scias, illum sacrum non omissurum, non furaturum, carnem non comesturum, Eucharistiam sumpturum, inimicum non occisurum, &c. suadere autem inimicum occidere, præceptum sacrum omittere, &c. peccatum esse nemo non videt. Non enim solum peccant, qui male agunt, verum, & qui consentiunt facientibus; Unde Gregorius Magnus, relatus 27. q. 1. can. *Si custos* Vitaliano Sipontino Episcopo, qui Tulliani filiæ, religiosam vestem deferenti, post votum alii de

fa-

facto nubere permisit, scribens, atque indebitis nuptiis consentientem Episcopum culpam contraxisse declarans, multa ad rem nostram valde apposite congerens, Episcopum male se gessisse comprobat; cujus utens sententiis Joannes VIII. dist. 86. can. *Facientis*, apposite sic habet: *Facientis culpam procul dubio habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare: scriptum quippe est: non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes judicantur. Et libat domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Et negligere, cum possis, deturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere. Nec caret scrupulo consentionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Et probat odisse se vitia, qui condemnat errantes. Nec relinquit sibi locum deviandi, qui non pepercerit excedenti. Et primus innocentiæ gradus est odisse nefanda. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate consensum & nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.*

Contra Navarrum, & Caetanum concluditur

CLX Non igitur tenendum est, quod contra sentire videntur Caetanus, & Martinus, quasi scilicet illa cooperatio, seu invitatio esset quoad actum indifferentem, ut comestio secundum se; quæ sane ratio si valeret, inferri posset, posse servum submissis humeris &c. contra damnatam agere propositionem; posse ensem venenum &c. vendere petenti, quibus certissime scirem non ad alium finem usurum nisi ad occidendum hostem; posse artificem fabre facere statuam, qua certissime scit petentem, seu ementem usurum ad idolatricum cultum; quæ omnia, ac similia, damnata dignoscuntur ab Innocentio XI. Feria 5. die 2. martii 1679. in proposit. 51. dicente: *Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras*

ad

ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur: non enim per feneſtras aſcendere, ſcalam deferre, januam aperire eſt ſecundum ſe malum, ſed quid indifferens, & tamen peccatum eſſe ab Innocentio declaratur, & merito quidem, eſt enim formalis, ac ipſiſſima mali cooperatio, his, illiſve poſitis circumſtantiis, proxime ad peccatum ordinatis.

CLXI. Unde meliora ſapiens idem Navarrus quoad provocantes, incitantes, invitantes &c. in ſuo manuali cap. 21. n. 26. ſic procedit: *Quarto peccat, qui pater familias, œconomus, tabernarius, hoſpes, aut caupo mane, aut veſpere diebus jejuniorum ſuis filiis, famulis, aut aliis, quorum curam gerit, cibos miniſtrat, aut iis, qui ſuam tabernam, aut cauponam adeunt propinat eos cibos, quibus illos jejunium ſoluturos ſine cauſa credit, aut ſaltem dubitat, aut dubitare debet; quia quamvis fortaſſis non ſit cauſa principii peccati, eſt tamen cauſa actus per quem peccatum exequitur ſecundum Caetanum in 22. q. 147. art. 4. aut continuationis illius, & ita peccato conſentit, & cooperatur, ut Joannes Major in 4. diſt. 15. q. 5. tradit, non autem ſi ſatis apparet, eos non teneri ad jejunandum, eo quod ſunt iter facientes, adoleſcentes, ſenes, infirmi, gravidæ, aut nutrices, aut probabiliter credit habere aliquam cauſam occultam legitimam.* Navarrus meliora ſapiens ad noſtram accedit ſententiam.

CLXXII. Et ob hanc cauſam in conſtitutionibus panormitanæ Eccleſiæ anno 1679. ſub auſpiciis Illmi & Rmi dom. dom. Jacobi de Palafox & Cardona ejuſdem Panormitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi n. 170. ſic legitur: *Jejuniorum tempore di-* Omnem ad frangendum jejunium occaſionem vitari atque impediri

debere ex Ecclesiasticis proponimus monumentis.

districte inhibemus omnibus, & singulis cauponibus, hospitibus, & quibuslibet aliis receptatoribus, ne in suis cauponis, & hospitiis cibos vetitos exponant, parent, aut ministrent, iis dumtaxat exceptis, quibus propter adversam valetudinem eis vesci a medicis fuerit permissum. Panormitanis constitutionibus Neapolitanæ consentiunt anno 1694. sub Eño, & Rño d. d. Cardinali Cantelmo Archiepiscopo Neapolitano celebratæ, cap. 7. de jejunio n. 7. dicentes: *Cibos in quadragesima vetitos nemini liceat vel sibi parare, vel aliis vendere, nisi cum licentia, non aliter concedenda, quam gratis, & juxta formam præfati edicti, tum a nostris Prædecessoribus, tum a nobis promulgari consueti*. Et n. 8. additur: *Neque tabernarii, neque alii quicunque hospitium exercentes, ulli parare audeant carnes, aliosque cibos vetitos, vel permittere illorum esum in suis tabernis, hospitiis, vel domibus tempore quadragesimali, nisi ipsis constiterit de legitima licentia, ut in eodem edicto præscribitur, ejusque forma servata*. Et Clemens XIV. in edicto pro quadragesimæ observatione anno 1770. die 25. Februarii edito n. 1. sic habet: *Ut nemo, durante quadragesimali tempore, vendat, vel cædat carnes in quocunque Urbis loco, exceptis iis, ad infirmorum, vel valetudinariorum, vel male habentium utilitatem destinatis: quæ carnes debeat esse ex iis, quæ salubres vocantur, scilicet agnorum, vitulæ, seu vituli, & hædi*. Et n. 2. *Emptores dictas carnes ad infirmorum usum, ut supra, debent, ad omne scandalum evitandum, eas ita secum ferre, ut non appareant*. Et n. 3. *Ut publice, & apparenter non videantur, neque per civitatem cujuscunque carnis genus, vel ovorum, aut lacticiniorum circumferatur*. Et n. 4. *Et solum sylvestres carnes*, venales licet occulte, exponantur,

tur, *quæ ex Protomedici testimonio possunt inter salubres carnes adnumerari, & non aliæ*. Et n. 5. sine licentia *gratis* concedenda neque emere, neque vendere quis possit. Et n. 8. *Ut caupones, ac tabernarii*, hospitii commodum dantes viatoribus, vel quicunque alius *cujuscunque status, gradus, & conditionis non permittant, ut in eorum tabernis, hospitiis, receptaculis vel domibus coquantur, vel comedantur cujuscunque speciei cibi prohibiti quadragesimali tempore, & in aliis diebus, in quibus pariter a S. Romana Ecclesia prohibeantur, exceptis infirmis &c.* ut supra.

CLXIII. Unde si venales cibi prohibiti, publice expositi, occasionem darent emptoribus ad frangendum jejunium, Pontificum Sanctionibus, atque integræ disciplinæ insistentes, tenentur Magistratus, & a potiori Ecclesiasticæ potestates tales venditores cohibere, ne in diebus jejuniorum vetitos cibos venales exponant; & venditores, eos vendentes iis, quos probabiliter, vel certo scirent ad frangendum jejunium usuros, peccare dicendi sunt. Quod si, licet non prohibiti, in concursu tamen magnæ solemnitatis occasionem ad frangendum jejunium præberent, pensatis circumstantiis, etiam ii, ad quos prohibere, vel permittere spectat, ac venditores a lethali, vel saltem a veniali peccato immunes esse non videtur.

Solicitudo Magistratibus suadetur venales prohibitos cibos impediendi.

CLXIV. Sub ratione autem occasionis frangendi jejunium, duscutiens Angelicus, an invitantes, vel provocantes, sive incitantes ad laborem pauperes in die jejunii, qui per susceptum laborem ad servandum jejunium impotentes fiant, peccent, in 4. dist. 15. q. 3. art. 3. q. 4. ad 3. sic procedit: *Nec iterum illi a peccato immunes sunt, qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto, ut jejunium solvant; nisi forte sit caussa*

Occasionem frangendi jejunium dantes, vel intendentes, peccare ex Angelico declaratur.

ne-

necessaria, quæ festinationem operis, pro quo laboratur, exposcat.

Quid dicendum quoad Reges, suas dapes aliis comedendas proponentes?

CLXV. Quoad Reges autem, aut absolutos Principes, si dubitent, aut suspicentur, dapes suas veneno infectas esse, non possunt eas offerentem vassallum, ad comedendum cogere, nedum ratione jejunii, verum & potius ne morti exponerent innocentem; vel si reus sit, etsi probatum, & convictum ad subeundam mortem cogere non possunt, nisi ad summum animæ suæ saluti prius consulat. Prætereo, quod ille, etsi reus propriam mortem sibimet inferre non teneatur. His autem, aliisque in præsentiarum relictis quæstionibus, ad nostrum propositum, quod attinet, videtur dicendum, quocunque modo in illa imperata comestione mortis periculum deesset, quantum autem ad jejunium spectat, poterit subditus ad angorem illum suo Principi tollendum ex charitatis lege cibos Principi permissos, sibique fortasse prohibitos gustare, idque si non sufficeret, etiam in sui Principis præsentia comedere; qui non ad jejunium frangendum, sed tantum ad veneni suspicionem tollendam sui cibi comestionem permittere poterit, non tamen id poterit, ut veneno infectum cibum comedens, servus moreretur.

Quid dicendum quoad famulos, prohibitos cibos suis dominis præparantes, declaratur.

CLXVI. Huc spectat, quod Caetanus 22. q. 147. art. 3. asserit, dicens: *Ex eadem radice; (quia scilicet ad famulos non spectat judicare an sui domini sufficiens exemptionis motivum ab unica comestione, vel a ciborum delectu sive ab hora habeant, vel non,) excusantur etiam, si pro hujusmodi securitate dominorum infirmorum, aut dispensatorum credentiam facerent in cibis prohibitis, scilicet ovis, & carnibus.*

Azorii, & Caetani opinio dis-

CLXVII. Quoad famulas autem non videtur recte sentire Azorius, quasi famulus, parans domi-

mino prohibitos cibos, sive ipsi constet esse infirmum, vel non, eos parare possit: suffragari, inquam, non videtur Azorii ratiocinatio cap. 20. de 2. Ecclesiæ præcepto, dicentis: *Est quidem domini affectus, ut paulo ante dixi, malus, in quo famulus minime consentit, sed solitum officium famuli dominus petit, quod malum non est. Et ideo famulus jure consuetum suum officium domino præstat*. Nec placet Caetanus, dicens 22. q. 147. art. 4. in fin. *Et ad hoc dicitur, quod ministrantes cibos istis, excusantur a peccato, quoniam non cooperantur comestioni, quatenus est solutiva jejunii, ut procedit a mala voluntate non jejunantis, sed cooperantur comestioni quatenus est actus deserviens nutritivæ & sustentationi naturæ. Hoc enim licitum esse ex eo constat, quod deus ipse cooperatur illi comestioni, quatenus servit naturæ. Ministri autem ciborum, ut sic absolute loquendo actui comestionis serviunt, ut est actus hominis, non vitii: & ideo, ut dictum est excusantur*. Hæc autem præcisio omnino metaphysica, & in intellectu tantum est, neque in praxi valere poterit, ut supra satis discussimus. Si enim, etiamsi dominum suum peccare dignoscat famulus, posse illum parare vetitos cibos asserat Azorius, vel Caetanus, recta ratiocinatio non videtur, ut in superioribus usque modo in Navarri, & Caetani confutatione observari poterit. Sed potius suadere sibi debet famulus dominum suum sibi ignotum habere motivum, ut a jejunio, vel ab alia ejus conditione eximatur. Unde meliora quoad hoc sentire videtur Caetanus in 22. q. 147. art. 3. subjungens: *Nec spectat ad eos, scilicet famulos, judicare, an domini sui excusentur a jejunio: sed juxta Apostoli sententiam: qui non manducat, manducantem non judicet; sed præsumant ipsum vel dispensatum a Papa, vel a conditione aliqua*

cutitur ac resolvitur.

occulta sibi, secus vero quod etiamsi illicita sibi manducaret dominus, liceret famulis illicita dominis suis ad manducandum præparare.

Quid dicendum de patribus-familias, suis filiis, ac dependentibus prohibitos cibos præparantibus.

CLXVIII. Quod autem famulis licere, superioribus non licere, sentimus. Inde non potest paterfamilias suos dependentes, filios scilicet, vel filias, servos, & famulos, & ancillas, eadem utentes ex condicto comestione, ad ciborum prohibitorum esum urgere, & cogere. Unde non approbat Lambertinus eorum confessariorum, ac spiritualium Magistrorum praxim, qui universæ familiæ indiscriminatim carnium esum permittunt, eo scilicet, quia eorum caput, sive ex familia duo, vel tres carnes edere ex infirmitate, vel alias licite possunt; quippe quod duas mensas diversis dapibus instruere non posse dictitent. In sua proinde Inst. 15. n. 25. sic procedit: *Vehementer, ac libere hoc malum improbent: quod sane perniciosum est, & nullo modo ferendum*. Nisi scilicet aliud notabile incommodum a patrefamilias, sive a gubernatore domus sano consilio dignoscendum sequeretur. Immo Navarrus consiliorum, sive responsorum lib. 3. consil. 3. sustinet, quod famulis jejunare valentibus, & cœnam petentibus, licet importune, *dominus debet denegare cœnam famulis potentibus jejunare; non curando de opprobrio avaritiæ, imo gaudendo, cum maledicant ei propter deum* juxta illud scilicet Matth. 5. v. 11. *Beati estis, cum maledixerint vobis ... propter me*.

Sub quacunque ratione exemptio consurgat, ordinem servari debere intelligimus.

CLXIX. Tandem licet ex Reg. 35. juris in 6. *Plus semper in se continet quod est minus*; & ex alia 53. ibidem: *Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus*; quia tamen ex Reg. 28. ibidem: *quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*; inde oritur, quod etiamsi a potiori jejunii conditione ex quocun-

cunque motivo exemptio consurgat, non proinde tamen, a minus principali ejusdem jejunii conditione exemptio consurgere dicenda erit: cujus servandus ordo cap. 3. discussus, observari poterit.

Totum hoc opus, qualecunque sit, S. Romanæ Ecclesiæ, cujus judicium veneror, ac sequi constitui: Em̃is d. d. Cardinalibus; Episcopis omnibus, ac Prælatis; universæque Ecclesiæ Pastoribus: quin & præclarissimis Theologis; eruditisque omnibus, ac doctoribus, qui ex quadam fortassis benignitate lectitandum assumpserint, si forte opus fuerit, corrigendum propono, eorumque judicio subjicio.

Deo uno, ac Trino, ac Jesu Christo Redemptori nostro, ejusque Matri Cæli Reginæ, Integerrimæ Virgini Immaculatæ Mariæ; Angelicis spiritibus; Apostolis omnibus; cunctisque cælitibus Laus, & Gloria; Honor, ac decor; Virtus, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

INDICES LOCORUM

QUORUM IN HOC OPERE FIT USUS.

INDEX PRIMUS

Sacræ Scripturæ.

3. Reg.

INDEX SECUNDUS
DECRETALIUM GREGORII IX.

IN-

INDEX TERTIUS

BULLARUM, ENCYCLICARUM, CONSTITUTIONUM, PROPOSITIONUM, ET JURIS CÆSAREI, QUORUM IN OPERE FIT USUS.

EX JURE CIVILI.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A

C

Ex-

Je-

Pi-

So-

ER.

ERRATA			CORRIGE
pag. 13	*lin.* 22. & 23.	necessarias	necessariam
16	23	apposite sic habet	apposite sic habens
27	11	simili jure	similiter jure
35	6	*juramento*	*In juramento*
44	10	obligatio processerit	obligatio praecesserit
73	25	reviviscerit votum ,	reviviscerit , votum
84	25	vitæ tuæ tempore	vitæ suæ tempore
95	2	inde incedente	inde eo die incidente
112	18	etiam quo Nativitatis die	etiam quoad Nativitatis diem
147	36	Et tunc Joannes	Et cum Joannes
150	30	sub lege cum præceptorum	sub lege tunc præceptorum
162	27	Alexandri VI.	Alexandri VII.
168	10	servitute libertatis	servitute liberatis
180	9	nonnullæ rationes	nonnullæ nationes
113	2	a deo optatam	adeo optatam
202	31	ordinatur	ordinantur
221	23	in dictus licitus	in dictis diebus licitus
230	33 & 34	ad particulares rationes	ad particulares nationes
239	24	explicandum	explicandam
416	20	eo,quod supra	eo , quo supra
510	2	horum per urbem	herum per urbem
526	30	Quin enim	Quia enim
568	21	adjurandum	ad jurandum
574	3	cauponis , & hospitiis	cauponiis , & *hos*pitiis